

3 3433 07437765 0





AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. C.

OPERA OMNIA.

VOL. I.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. C.

OPERA OMNIA

EX EDITIONE PARMENSI

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

AD

SERENISSIMUM

DELPHINUM

STEPHANUS CHAMILLARD,

E SOC. JESU.

ABIIT ætas illa, PRINCEPS SERENISSIME, quæ te ingeniosa Musarum inter mendacia, et dulces eruditæ pueritiæ nugas detinebat. Satis profanæ hactenus historiæ, ac fabulosis datum heroibus. Vidisti unum illis omnibus, etsi cothurnatis et ad faciendam admirationem magna prodigiorum mole succinctis, majorem: cum LUDOVICUM revera MAGNUM vidisti; et hoc uno duce et magistro instructus, missos Achilles ac Cæsares facere potuisti. Nunc Christianis Musis, Christianis heroibus locus est: quemadmodum priores nunc sibi et potiores in LUDOVICI MAGNI vita partes pietas et religio vindicant. Ille orbis terror, Europæ arbiter, hostium victor, post amplificatos regni fines, post fractum quicquid obstiterat, constituta late per Europam pace, ipsa Victoria et fama, propter rerum gestarum magnitudinem quasi fatigatis, tandem in id incubuit ut hæresim profligaret, monstrum illud immanissimum, cujus afflatu dirissimo violata legum divinarum et humanarum sanctitas, Majestas regum abjecta, populorum scissa concordia, Gallica res pæne in ultimum discrimen adducta fuerat. Dignum hoc illi visum est, quod LUDOVICUS MAGNUS, ut efficere poterat solus, ita solus perficeret. Tentaverant hoc idem Henricus Magnus, Ludovicus Justus, et alii Gallia-

rum antea reges, at irrito conatu. Multis præliis, multo sanguine id erant assecuti, ut hæresis valentior in dies et publicis cladibus major exsurgeret. Nova hydræ infelici capita succreverant: deerat Alcides, qui hanc pestem extingueret. Ea LUDOVICO MAGNO gloria servabatur. Ministri, templa, edicta, cetera religionis deformatæ subsidia nulla sunt: et hoc vix uno mense absolutum: sublata jurgia, compositæ lites, omnia incredibili omnium consensione et tranquillitate perfecta. Ita Constantinos et Theodosios, quorum laudes Prudentius persequitur, LUDOVICUS parens tuus, DELPHINE SERENISSIME, imitatus est. Quid esse jam causæ potest quin illi prodire tuum in conspectum gestiant, sperentque se a te benigne acceptum iri? Videbis hic eversa per eos profanæ superstitionis templa, fictas numinum imagines profligatas et abjectas, Senatum illum, Romæ decus, rerum Dominum, ab impio cultu ad veram Religionem summorum Imperatorum cura traductum, et superbos fasces cruce Christi atque humilitate mutantem. LUDOVICUM in illis agnosces, hujus fortitudinem, constantiam, sapientiam, pietatem in eorum depictam virtutibus facile deprehendes. Summo fuit Prudentius apud Arcadium et Honorium in pretio, quia ipsis exemplum, quod sequerentur, in describendis illis Catholicæ Religionis heroibus proponebat. Idem tibi a summo illo poëta proponitur. Favebis illi, opinor, et hominem ingenii ac pietatis gloria florentem, qui superiorum temporum injuria tantisper jacuit, benigne, ut ceteros soles, accipies: dumque in eo res præclare gestas summorum virorum Constantini et Theodosii perleges, informabis animo jam tum quæ facturus es aliquando: cum te LUDOVICI MAGNI vestigia prementem, orbis terrarum fortitudine, prudentia, religionis studio præstantem intuebitur, et LUDOVICUM, parentem tuum Augustissimum, te potissimum filio Magnum et felicem esse prædicabit.

PRÆFATIO.

[EX ED. PARM. 1788.]

Optimo sane consilio, eruditi prudentesque veterum Auctorum Editores nonnulla præfari consuerunt, ut qui qualisque fuerit, cujus opera vulgant exornantque, quo ævo floruerit, quam sibi vindicet ingenii scientiæve famam, aliaque hujusmodi pernotescant. Plurimum enim hæc conferunt lectori, ac pro continenti amploque Commentario haberi possunt; et mirum quanto sint adjumento ad Auctoris mentem, ejusque lucubrationum intelligentiam assequendam. Hinc factum videmus, ut et ipsi θεόπνευστοι sacrarum paginarum Scriptores, initio suarum aut Prophetiarum, aut Literarum, aut Librorum, similia notare dedignati minime sint. Operæ igitur pretium erit, nostrique muneris ad præstantissima Prudentii Opera, quæ iterum typis edenda ac illustranda suscepimus, hac Præfatione lectori viam sternere atque munire, in qua de celeberrimi Poëtæ vita, dotibus, scriptis, elogiis, nævis, variis editionibus, deque hujusce nostræ methodo atque utilitate disseremus. Inde profecto omnes intelligent, quanti habitus, quantique faciendus sit hujusmodi Auctor; quamque de pietate, de religione, de eruditione, de Historia Ecclesiastica benemeritus fuerit; ita ut pudere plerosque Christianorum debeat, in impuris profanisque Poëtis diu multumque versatos, hunc ne semel quidem attigisse, ab cujus lectione non eruditiores tantum, sed etiam religiosiores discessissent. Nec jam improbandum videri poterit eorum consi-

lium, qui in votis habent,[1] ut cum Virgilio, Horatio, ac Cicerone, in Christianis scholis, etiam Juvencus, Lactantius, atque Prudentius conjungantur, quo juventus Catholicæ religionis fundamenta, veteris Ecclesiæ disciplinam, mores, et vices addiscere mature valeat ac recte cognoscere; quod sane multum conferret ad pietatem et ad solidam omnis generis eruditionem. Res enim si spectes, absque ulla comparatione præstantiores ab his Scriptoribus, divino Fidei lumine perfusis, e Sacrarum Literarum thesauro proferuntur, quam quæ proferri ab ullis ethnicorum potuerint, qui quantumvis licet illuminati viderentur, cæcos tamen fuisse, ac in tenebris ambulasse Veritas ipsa testatur. Luc. I. 79. Ad hæc, cum Christianis rebus, Romanorum quoque, aliarumque gentium antiqui ritus, Philosophorum sectæ ac placita, in his nostrorum libris, luculentis verbis repræsentantur, ut qui eosdem attento animo legerit, plurimum se profecisse sentiet in iis etiam literis, quæ juvant et ornant universa disciplinarum studia; quod tandem ad verborum puritatem atque elegantiam attinet, nulli certe profanorum secundi reperientur ab iis, qui ad eos legendos animum a præjudicatis opinionibus vacuum traduxerint: ac si quid etiam desideraretur, reminisci oporteret vel illius Quintiliani moniti, quo curandum in primis ait:[2] 'Ut teneræ adolescentium mentes, tracturæque altius quicquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant.' Sed de hoc videant pii sapientesque gymnasiorum moderatores, et ii quibus cura erudiendæ juventutis incumbit.[3] Nos interim susceptum Præfationis opus prosequamur, in qua, Deo dante, non perfunctorie, ut superiores Editores, sed operosius aliquanto, pleniusque disseremus: De Vita Prudentii:

1 In libello Basileæ excuso an. 1537, quo continentur Juvenci Presb. lib. tres 'De Hist. Evang.,' Aratoris lib. II. Act. Apost., et Prudentii Enchirid. seu Dyptic. annuntiantur in ipso titulo tanquam 'Scholæ Christianæ necessarii libelli.'

2 Instit. I. 14.

3 Si cui consilium hoc probaretur, ei ex omnibus Poëtæ operibus faciliora, et ad puerorum captum magis accommodata seligenda forent, ut e. g. Cathemerinon liber, Psycomachia, vel etiam aliquot Peristeph. Hymni.

De ejus scriptis genuinis, spuriisque existentibus ac deperditis: De ejus doctrina, et carminum elogiis, dotibus, ac nævis: De ejus Operum Mss. Codd. præstantioribus: De Editionibus: De hujusce nostræ methodo atque utilitate.

CAPUT I.

De Prudentii Vita.

Aurelius Prudentius Clemens[1] Christianorum Poëtarum facile princeps; atque inter Auctores Ecclesiasticos pietate et omnigena eruditione clarissimus, in Hispaniis ortus est Coss. Salia et Philippo,[2] nempe anno repar. Salutis cccxlviii. ut ipse innuit Præf. in Cathem. vs. 24. unde etiam in Apotheosi vs. 450. Juliano imperante, puerum se fuisse scribit. Quonam autem peculiari in loco prodierit in lucem, controvertitur adhuc; neque potest, in magno Veterum silentio, certi quicquam definiri. Verum quidem est Perist. Hymn. i. 116. Calagurrim Vasconum 'nostrum oppidum' eum appellare, similiterque ejusdem lib. Hymn. iv. 21. 'Nostra gestabit Calagurris ambos,' &c. indeque Calagurritanum eum fuisse, perplures[3] recte sibi colligere visi sunt. Sed cum Hymn. vi. de SS. Fruc-

1 Elias Dupinius Bibl. Eccl. t. i. p. 11. Quintus pronomen addidit, sed quo fundamento, non apparet. In nullo certe Ms. reperitur; et Nicol. Antonius, diligentiss. eorum, quæ Prudentium respiciunt, investigator, non solum non agnovit, sed etiam integram, quam retulimus, Poëtæ appellationem esse confirmat Bibl. Hisp. vet. lib. ii. p. 165.

2 Prioris ita meminit loc. cit. vs. 24. 'Oblitum veteris me Saliæ Consulis arguens: sub quo prima dies mihi.' Ex hoc loco aperte nimis, ut quisque videt, eruitur certus Poëtæ nativitatis annus. Et tamen si nupero Scriptori de Sanctitate et magnificentia B. Levitæ Laurentii credimus, non anno 348. qui Saliæ et Philippi consulatui respondet, Prudentii ortus est assignandus, sed an. 330. Verum de novi hujusce Scriptoris opinionibus opportunius in Monitu ad Hymn. S. Laurentii. Hujus comparatione, minus profecto culpandi sunt Aldus, Sixtus Senen., Possevinus, aliique, qui cum pro *me Saliæ*, *Messaliæ* legerent, civitatem quandam commenti sunt, cujus Prudentius Consul fuerit.

3 Mariana Joan. Hist. Hisp. iv. 17. Ambr. Morales x. 41., Tillem. Hist. Eccl. t. x. p. 560., Cellar. in Not. ad suam Prud. Edit., Nicol. Anton. Bibl. Hisp. vet. ii. 10.

tuoso, Augurio, et Eulogio vs. 143. paria de Tarracone proferat, 'nostram urbem' appellans, non est potior ratio, cur ex hac potius, quam e Calagurri ortum eum fuisse dicamus; quod et sibi persuasit Guil. Cave De Script. Eccl. Sæc. v. p. 207. Rursus eodem utuntur argumento, qui Cæsaraugustanis accensendum eum esse volunt. Quoties enim Perist. Hymn. IV. de Cæsaraugusta, Aragoniæ Regni principe, mentionem facit, toties suam appellat. Verum pro hac opinione, non ista tantum militat conjectura, quæ communis ceteris est; sed illud insuper quod eodem Hymn. IV. Vincentium Martyr. Sagunti vel Valentiæ passum, sibi peculiariter vindicat vs. 97. de eo loquens: 'Noster est, quamvis procul hinc in urbe Passus ignota,' &c. quod et confirmat vs. 101. Hic autem Vincentius certo certius Cæsaraugustanus fuit. Accedit etiam quod redux Poëta in patriam Hymn. S. Hippol. Perist. XI. Episcopum suum Valerium, seu Valerianum nomine, compellat, eique præfatum Hymn. inscribit. Hic autem Valerius haud certe alius videtur esse, quam Valerius Cæsarugustanus Episcopus, qui an. 381. interfuit[4] Concilio Cæsaraugustano contra Priscillianistas hæreticos in Hispaniis pullulantes. Adi Martinum Carillum in Vita S. Valerii Cæsaraug. Præs. c. 2. Si quæ igitur ex his omnibus opinionibus seligenda nobis esset, huic certe subscriberemus, quam etiam viri eruditissimi amplexi sunt.[5] Nec vero quicquam negotii facessere debet, quod uno aut altero loco sive Calagurris, sive Tarraco, suæ urbes a Poëta vocentur; cum enim Calagurris Prætoris Cæsaraugustani audientiæ et conventui subjecta esset, ipsa autem Cæsaraugusta ad Provinciam Tarraconensem pertineret,[6] utramque potuit aliquo jure suam appellare; vel etiam suas vocat, nomine non

4 Apud Labbeum Concil. t. II. p. 1197.

5 Ant. Episc. Nebrissen. in Not. ad suam Prudentii Edit., Aldus in Vit. Prud., Giselin. in Not. Possevin. in Appar., Sixtus Sen. Vasæus, Hofmannus, Clericus, Dupinius, Bailletus, aliique.

6 Ptolem. II. 6. Geogr., Plin. III. 3., Strab. lib. III. et Antonini Itinerar.

proprio, sed suæ nationi, Hispanæ videlicet communi. Sed de hoc satis, cetera videamus.

Ingenium acre, disertum, ferax, scientiis percipiendis, sciteque tractandis apprime idoneum a natura Prudentium nostrum hausisse, quisquis ejus Opera non oscitanter legerit, facile animadvertet. Huic naturali bono, ingens parentum accessit solicitudo, qua eum, puerum adhuc, magistris traditum, ut liberalibus, optimisque disciplinis imbueretur sedulo curarunt. Ipse vero industriam studiumque solers præstanti naturæ conjungens, in iis adeo profecit, ut et propter animum scientiis humanioribusque facultatibus excultissimum, et propter insignia Reipublicæ munera, quæ administrasse promeruit, magnam sibi gloriam pepererit, et non tantum Hispanæ nobilissimæ, sed totius etiam Ecclesiæ ingens ornamentum et præsidium evaserit. Ab infantia aut sacro purgatum baptismate, aut saltem inter Catechumenos allectum, religioni Christianæ semper adhæsisse, conjicitur ex eo quod, cum varias aberrationes, vel teneræ ætatis, defleat, nunquam tamen meminit falsorum numinum cultus.

Septimum decimum ætatis annum agens, Rhetorum scholas frequentare cœpit, (Præf. in Cathem. vs. 7.) in quibus, uti prava, sui, aliorumque sæculorum ferebat consuetudo, declamandis causis totum se dedit. In hoc autem ejusmodi exercitatio, quam vulgus magni faciebat, tota versabatur, ut posita cujuscumque generis causa, eam vel defendere, vel oppugnare juventus addisceret, tam parum de veritate solicita, ut qui modo pro una parte depugnaverant, mox pro altera certare deberent; quin immo, Cicerone teste, in Bruto § 8. caput artis erat docere: 'quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset.' Quot inde mala proficiscerentur, unusquisque facile potest intelligere. Licet enim id per ludum, ac exercitii causa fieri videretur, insuescebant tamen adolescentes, de rebus omnibus, earundem natura minime perspecta, temere pronuntiare, suumque sensum, per fas et nefas, solo vincendi studio, pertinaciter defendere. Hinc apud plerosque, hujusmodi

declamatores male omnino audiebant. Lactantius, qui diu multaque cum laude in hac professione versatus fuerat, agnovit tamen postea, non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam se juvenes erudivisse, lib. I. Divin. Inst. c. 1. 'Nolo,' ait etiam S. Hieron. ad Nepot., 'te declamatorem esse, ac rabulam, garrulumque sine ratione.... verba volvere et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur semper quod nescit, et cum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam.' Et Prudentius eo ipso loco, quo sua hæc studia designat, eodem damnat his verbis Præf. in Cathem. vss. 8. 9.

mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.'

Illud etiam ibidem humiliter fatetur ac dolet, dum his studiis incumberet, juventutis ardore abreptum, vitiis se fræna laxasse, quæ postmodum, vita in melius commutata, jugibus lacrymis est prosecutus.

Expleto literarum dicendique ludo, ad forum se se applicuit,[7] in quo ita egit causas, ut victoriæ unice intentus, non semel maximum in discrimen veniret. Cathem. ut sup. vs. 16. Ad hæc, inquit de se Poëta:

Bis legum moderamine
Fræenos nobilium reximus urbium;
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.

Provincias (quænam fuerint, latet[8]) bis gessisse Prudentium ex his apparet. Nam Rectores tum temporis, juxta Romanum jus usumque, non peculiaribus urbibus, sed Provinciis dabantur, qui eas, jus reddendo, lustrabant; nulli civitati tribunal affigentes, ut et Provincialibus com-

7 Nicol. Anton. II. 167.

8 Pseudo-Dexter quidem in Chronico asserit Prudentium Urbibus Toleto, Cordubæ, ac Cæsaraugustanæ præsedisse, sed nullam mereri fidem ostendit Nicol. Anton. in calce Bibl. suæ Hisp.

modo essent, ac peculiarium locorum ministros in officio continerent; tum etiam ut frequentibus lustrationibus, et coram per se inspicientes res, lites melius dijudicare possent, et Rempubl. rectius administrare.

Militiæ quoque operam dedit,[9] sed ab omni armorum ac castrorum strepitu alienæ; quique secus opinati sunt,[10] vehementer hallucinantur. Non enim de militia armata, sed de togata, seu Palatina, Prudentius est intelligendus, de qua adest tit. in Cod. Theodos.[11] nempe de Privilegiis eorum qui sacro Palatio militant, cujusmodi erant Notarii, Scriniarii, Largitionales, aliique. Gennadius sane ex recitatis Prudentii verbis scite ait:[12] 'Agnosci Palatinum militem fuisse.' Sed quem illi in Palatio gradum nova hæc dignitas tribueret, divinari non potest. Præter Aldum, Baronium, Vasæum, Giselinum, aliosque, recentiorum quoque non pauci aut Præfecturam urbanam,[13] aut Prætorii, vel ipsum etiam Consulatum[14] gessisse Poëtam nostrum literis prodidere. At eos fefellit, aut illud 'ordine proximo,' in quem assumtum se affirmat a Principe, Theodosio Seniore, ut puto,[15] aut nota V. C. Prudentii nomini in Mss. fere semper affixa, quam Virum Consularem efferre perperam sibi in animum induxerunt; cum vetera monumenta nos doceant, non Virum Consularem, sed Virum Clarissimum ea sigla significari. Præterquam quod apud Romanos, ut is qui Consul fuerat, designaretur, non Vir Consularis, sed Consularis tantum, aut potius Exconsul dicebatur.

9 Ibid. ut sup. vs. 19. 'Tandem militiæ gradu Evectum pietas principis extulit Assumtum propius stare jubens ordine proximo.'

10 Caveus De Script. Eccl. sæc. v. p. 207., Cleric. in Biblioth., Belius Diction. Crit. 5 edit.

11 Lib. 6. tit. 27.

12 Ut infr. Not.

13 Cleric. ut sup., Hofmann. in Lex., Caveus De Script. Eccl. sæc. v., Moreri Lexic., Vossius Hist. Lat. II. 10.

14 Eques Francisc. Victorius in Explic. Nummi Ær. Christ. p. 62.

15 Qui Honorium a Poëta designari censent, sero nimis ejusdem ad aulam Imperatoris accessum ponunt, post annum videlicet 395. quo Theodosii mors contigit. Cum enim, ut Tillemontius, Muratorius, aliique conjiciunt, jam ab an. 403. duos in Symmach. libros ediderit, eosque, dum sibi vacaret, composuerit, quatuor vel quinque annis tantum apud principem substitisse dicendum esset.

Integerrime[16] honorificentissimis muneribus hisce defunctus, non rei suæ privatæ, sed publicæ studuit, ita ut, et post hæc, opibus potius indiguerit, quam affluxerit; nec Deo, aut pauperibus largas facultates offerre unquam potuerit, étsi adesset animus.[17]

Quanto tempore apud Principem commoratus fuerit, ignoratur. Eruditus Nicol. Antonius[18] eundem gradum apud Honorium servasse eum putat, quem apud Theodosium habuit. Verosimilius fortasse est, secuta Theodosii M., qui illum acciverat, morte, hac usum occasione, propositum vacandi sibi, Deoque soli inserviendi executum fuisse. Perspecta igitur rerum omnium, quæ tanti a mundo fiunt, vanitate, ac fugacis sæculi, carnisque fatiscentis honorum, voluptatumque pertæsus,[19] Imperatoris aulam reliquit, seque in patriam, velut in portum recepit, in qua super Fidei fundamentum, non ligna, fænum, et stipulam, ut ante, sed aurum, argentum, lapides pretiosos ædificaret. Ac primum venam suam, quam antea rebus amatoriis forte impenderat,

Nam quis (Poëtarum) non teneros molli pede lusit
amores? (Hier. Suida Hymn. I. De Deo.)

pietati ac religioni penitus sacravit: unde Præf. ad Peristeph. vs. 7. ait:

Nos citos iambicos (Deo)
Sacramus, ac rotatiles trochæos.

In hoc etiam ceteris felicior,[20] quod, si quæ hujus gene-

16 Vid. Petrum Mantuan. in Annot. ad Hist., Joan. Marianæ p. 59., Bellium in Diction., Tillemont. Hist. Eccl. t. x. p. 401. n. 1.

17 Præf. in Perist. vs. 10.

18 Bibl. Hisp. vet. II. 10.

19 Cathem. Hymn. II. 45.

20 Inter Christianos Poëtas pauci reperientur, qui vergentibus in senium annis, atque arida prepellente lascivos amores canitie, quæ amatoria vel turpia olim in juventute scripserunt ac ediderunt, non doleant et damnent, ac alios ab eorum lectione deterrere studeant atque retrahere, et ad alia honesta atque utilia, quæ forte literis consignarunt, transferre. Sidonius ep. XVI. lib. IX. ad Firminum: 'Nec recordari queo quanta quondam Scripserim primo juvenis calore, Unde pars major utinam taceri Possit et abdi.' Sed quam irrito plerumque conatu patet ex ep. Æneæ Sylvii Piccolominei, postmodum

ris antea scripsit, vel non evulgavit, vel ita potuit revocare, ut ad posteros non transirent. Ad hæc Præf. in Cathem. vs. 36. et seq. se cum meritis nequeat, voce saltem, ac Hymnis dies noctesque Deum celebraturum spondet: contra Hæreses pugnare, Catholicam tueri Fidem, Apostolos Martyresque laudibus prosequi; atque iis vacans reliquam vitam traducere in votis sibi esse testatur. Id ut rite præstaret, sacrarum Literarum, rerumque Ecclesiasticarum studio totum se dedit; atque eo quidem successu, ut inter Ecclesiæ Patres, virosque Theologos annumerari meruerit, atque in sacra non minus, quam profana eruditione versatissimus haberetur.

Sed quod magis refert, interioris hominis reformationi, Christianisque virtutibus comparandis conservandisque summo studio deinceps incubuisse ex pluribus ejus Operum locis non obscure colligitur. Cum optime nosceret nulla alia re magis hominem Deo propinquare, quam sincera animi demissione, hanc in primis consequi, in eaque se stabiliter solideque fundare sategit. Quibuscumque in locis de se ipso mentionem facit, non aliter ac de peccatore loquitur, indignumque se esse dicit,[21] quem Christus exaudiat[22] ob crimina, quibus divinæ ejus justitiæ obstrictus tenetur. Hinc frequenter admodum ante SS. Martyrum

Pii II. ad Carolum Cypriacum apud Raynald. an. 1463. Pii II. 5. in qua sic loquitur: 'Tractatum de amore olim sensu, pariterque ætate juvenes, cum nos scripsisse recolimus, Carole fili dil. pœnitentia non modica, pudorque ac mœror animum nostrum vehementer excruciant, quippe qui sciamus, quique protestati expresse fuimus, duo contineri in eo libello, apertam videlicet, sed heu, lascivam nimis, prurientemque amoris historiam; et morale, quod eam consequitur, ædificans dogma: quorum primum fatuos atque errantes video sectari quamplurimos, alterum, heu dolor, pæne nullos, ita deprivatum atque obfuscatum infelix mortalium genus. De amore igitur, quæ scripsimus olim juvenes, contemnite, o mortales, atque respuite: sequimini quæ nunc dicimus; et seni magis, quam juveni credite; nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem, Æneam rejicite, Pium suscipite.' Id poëtica vena præditis documento esse potest, quantopere cavere debeant, ne unquam ad hujusmodi conscribenda stylum accommodent, aut saltem ne divulgentur ulla ratione permittant.

21 Apoth. vs. 742.

22 Perist. Hymn. II. 575. et seqq.

monumenta prostratus, cum lacrymis præteritorum delictorum veniam a Deo, eorum intercessione deposcebat, eosque ut veram sibi cordis conversionem impetrarent enixe deprecabatur, totam spem suam in magna valde misericordia Dei positam esse ubique declarans. Quin immo non defuerunt,[23] qui humilitate ultra terminum, eum processisse conquesti sunt, ut cum e. g. Perist. Hymn. x. vers. fin. se in extremo Judicii die inter hædos a sinistris collocat, ac nonnisi S. Romani precibus ad dexteram transferendum se esse scribit; et cum ejusd. lib. Hymn. vi. 150. eam sibi esse spem ait, ut in eodem Judicii die suis tormentis S. Fructuosus medelam obtineat. Verum his, non quod futurum revera esset, sed quod ipse peccatis suis promeruerit, innuere voluisse Poëtam, cuivis facile intellectu est. Quo autem magis se demittebat, eo magis in interiori lumine, ceterisque virtutibus proficiebat: ‘Resistit quippe Deus superbis, humilibus autem dat gratiam.’ Hinc Psycomach. P. ult. vs. 888. plurimas Christo gratias agit, quod sibi patefecerit immane illud virtutum vitiorumque certamen, de quo Paulus ad Rom. vii. quod in corde hominis perpetuo geritur. Ita enim loc. cit.

O quoties animam, vitiorum peste repulsa,
Sensimus incaluisse Deo? quoties tepefactum
Cœleste ingenium post gaudia candida tetro
Cessisse stomacho?

Verum inter has luctantis animæ vices ad Christum se se convertens, sic eum ardentissimæ caritatis affectu compellabat, Apoth. vs. 392.

O nomen prædulce mihi! lux, et decus, et spes,
Præsidiumque meum! requies o certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas.

Ex quo abdicata rerum sæcularium cura, domum redierat, in solitudinem se contulisse, valde probabile est; idque

23 Georg. Remus in Not. ad Prud. apud Weitz. p. 516.

conjici posse videtur ex Hymn. IV. Peristeph. vs. 574. in quo se 'rusticum Poëtam' appellat. Ibi omnibus curis et sarcinis sæcularibus expeditus, Deo liber vivebat, ac jejuniis, orationibus, bonisque operibus vacans, et in lege Domini diu noctuque meditans, Monachorum vitam, quoad poterat, æmulabatur. Non solum jejunii diebus, extra Quadragesimam, tribus post meridiem horis, ut et ceteri tum temporis fideles, cibum sumebat, sed eandem quotidie servasse consuetudinem, innuere ipse Cathem. Hymn. III. 79. videtur, quod sua ætate usitatissimum fuisse scribit S. August. De Morib. Cath. Eccl. c. 33. Inde etiam vs. 59. carnibus eum perpetuo abstinuisse liquido evincitur. Certis quoque per diem horis, veteri Ecclesiæ consuetudine, laudes Deo persolvebat; matutino scilicet tempore, meridiano, et vespertino (Cathem. Hymn. III.). Quin immo noctis partem aliquam fundendis Deo precibus insumsisse ex Hymn. I. Cathem. vs. 82. jure colligi potest. Hujusmodi vitæ instituto tam pio, tam religioso, magna utique fruebatur pace, animique tranquillitate, quæ ex bono oritur conscientiæ testimonio; sed cum domui suæ, sinistri nescio quid accidisset,[24] e secessu egredi, atque Imperatorem (Honorium) adire coactus est, quem Romæ convenit. Hanc versus iter faciens, cum Forum Cornelii pervenisset, ibidem S. Cassianum Martyrem, cui postea Hymnum consecravit, veneratus est, deprecatusque prosperum ut sibi iter tribueret: voti compos factus: quæ enim impetraturus accesserat, ab Imperatore consecutus, lætus et gaudens, domum reversus est. Dum moram in urbe traheret, non tam artis opera in omni genere excellentissima, quam cœmeteria, aliaque sacra Martyrum ac religionis monumenta,[25] pie ac attente lustrare consuevit. Id ipse testatur sic canens:[26]

24 Perist. Hym. IX. 103. 104.

25 Cl. Mabillonius in ep. ad Theoph. Gallum De cultu Sanctorum ignotorum, graviter reprehendit eos, qui sola ducti curiositate, ac nullo devotionis sensu, hujusmodi sacra loca invisunt, ostendens quanta veneratione prosecuti illa sint SS. Hieronym., Carolus Borr., Philippus Nerius, aliique.

26 Perist. Hym. XI. 1. 2.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

et inf. vs. 17. et seq.

Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
Rerum apices veterum per monumenta sequor,
Invenio Hippolyt. &c.

Ex his autem, quæ suis in operibus de Sancto Laurentio, de SS. App. Petro et Paulo, Hippolyto, Agnete, aliisque Romanis Martyribus, sacris Monumentis, Basilicis, Festis, Ritibusque passim memorat, satis liquet dum Romæ esset, optime Christiani hospitis officia explevisse, et Religionis mysteriis mentem avidius informasse.

Quando inde discesserit, incertum omnino est. Cum Prudentius in urbe Imperatorem se offendisse dicat, hinc cl. Tillemontius eum Romam adventasse credidit an. 407. quem Honorius in urbe totum transegit; unde ejus sententia nonnisi an. 408. Poëtæ in patriam reditus contingere potuit. Sed cum mos esset Honorio, Ravennæ ut plurimum commoranti, Romam identidem invisere, non est cur illi potius anno, quam alteri Poëtæ nostri adventus ascribatur. Præterea cum plerosque Sanctorum Martyrum Hymnos, postquam in patriam rediit, Prudentius composuerit, ut ex Hymnis SS. Cassiani, Hippolyti, Agnetis aperte constat, si anno tantum 408. ut vult Tillemont. domum reversus est, in sequentibus annis iisdem Hymnis vacasse dicendum esset, quod est improbabile; cum enim an. 409. Barbarorum in Hispanias irruptio contigerit, aut liberum illi non fuit pangendis versibus immorari; aut ejus calamitatis alicubi meminisset, quod nusquam facit. Satius igitur erit rem in incerto relinquere. Illud autem tuto affirmari posse videtur, postquam se ex urbe in patriam restituit, si non omnia, majorem sane suorum carminum partem composuisse, quæ secundis curis facta castigatiora, iterum evulgasse, auctor est Heinsius in Addend. p. 145. de quibus infra. Circa tempus, quo unumquodque Prudentii opus lucem aspexerit, hæc tantum affirmari pro

certo possunt. Primum Peristeph. Hymnos ferme omnes, post suum ex urbe reditum, compositos ab eo fuisse, atque evulgatos; meminit quippe in iis eorum quæ Romæ viderat. Tum libros contra Symmachum an. 403. emissos in vulgus fuisse. Non prius, quod in horum altero de victoria contra Alaricum ab Stilichone relatam in agris Pollentinis mentionem faciat: non postea, quod eodem libro Imperat. Honorium ad tollendos Gladiatorum ludos exhortetur, quos hic an. 404. e medio sustulit. Hæc interim abunde produnt quanto religionis fideique propagandæ studio, quantaque in Deum ac Sanctos pietate flagraret Christianus Poëta. Quo anno obierit, pariter ignoratur, ne ullis extantibus literarum monumentis satis probabili conjectura assequi potest. Nam quod tradit Pseudo-Dexter in Chron. ad ann. 424. Prudentium Cæsaraugustæ Episcopum mortuum fuisse, inter ineptissima falsarii hujus somnia computandum est. Illud quod magis interest, nemo prudens inficias ierit, videlicet inter pia opera, inter Dei Sanctorumque laudes scribendas concinendasque uti semper optaverat,[27] pretiosam in conspectu Domini mortem oppetiisse, et ad Superos evolasse.

CAPUT II.

De Scriptis genuinis spuriisque existentibus ac deperditis.

GENNADIUS Presbyter Massilien., qui septuaginta circiter annos post Prudentii mortem floruit, eruditione quidem illustris, non parum tamen Semipelagianismi nota suspectus, Prudentii scripta recenset Catal. de Script. Eccl. c. 23. his verbis: 'Prudentius vir sæculari literatura eruditus, composuit Diptycon[1] de toto vet. et novo Testa-

27 Præf. in Cath. vs. 43. et ejusd. lib. Hym. IV. 102.

1 Hoc est 'duplicatus libellus' a *πτύσσω* complico, quod utriusque Testamenti summam tenet. Ita legendum esse quorundam Codd. auctoritate asseruit Gifanius, quem docti viri Albertus Fabricius in Biblioth., Nicol. Heinsius in Not. ad suam Prudent. edit., Cellarius in Not. ad Prud. ab se edit., Bailletus Jugemens des Savans tom. IV. p. 482. secuti sunt;

mento, personis exceptis: commentatus est autem in morem Græcorum, Hexaëmeron de mundi fabrica, usque ad conditionem primi hominis, et prævaricationem ejus: Composuit et libellos, quos Græca appellatione prætitulavit Apotheosis, Psycomachia, Hamartigenia; id est de Divinitate, de Compugnantia animi, de Origine peccatorum. Fecit et in laudem Martyrum sub aliquorum nominibus Invitatorium ad martyrium librum unum, et Hymnorum alterum, speciali tamen intentione adversus Symmachum, idololatriam defendentem,[2] ex quorum lectione agnoscitur Palatinum militem fuisse.' Plura enumerat Trithemius[3] Prudentii scripta, seu potius in plures dispescit sectiones, e. g. librum Apotheosis, qui unus est, quemque sub uno tit. recte indigitavit Gennadius, in sex libros secat; totidem nempe quot sunt ii, contra quos, absurde de divina Natura sentientes, stylum acuit Poëta. Præfationes etiam libris affixas, librorum nomine interdum donat, ut in Hamartigenia videre licet, cujus ex Præfatione librum commentus est, haud melius de Peristeph. meritus. Parum proinde attendendus est Trithemius in tam nova atque inordinata Prudentii operum partitione ac recensione, contra quam et Mss. veterum fides, et pluris facienda Gennadii auctoritas satis superque esse debet. Hæc tamen annotanda fuerunt, ne quis Trithemii testimonio fucum sibi fieri patiatur. Jam vero quæ hucusque edita lucem aspexerunt hæc sunt juxta ordinem editionis Nicolai Heinsii, qui pluribus et præstantioris notæ Codicibus consultis, aliorum omnium

nec Tillemontius l. c. rejecit. In recentioribus S. Hieronymi operum editionibus a Maurinis et Vallarsio adornatis, in quibus post S. Doctoris opus De Scriptorib. Eccl. Gennadii Catalogus subjicitur, pro Δίπτυχον Διττόχαιον legitur, h. e. 'duplex cibus,' uti etiam in Vaticanis aliquot. Ac posset hic etiam titul. præsenti libello convenire, quod haustus ac compactus ex utroque Testamento sit. Sed enim eorund. Vaticanorum Codd. probatissimi priori illi astipulantur, quem proinde retinendum censeo.

2 Cum hic aliquid desiderari videretur, in aliquibus editionibus, ut Miræi, additur: 'duos libros laude dignissimos compegit, ex quorum,' &c. Sed desunt hæc in pervetusto Vat. Cod. et in Editionibus recentioribus Fabricii, Vallarsii ad optimorum Codd. fidem exactis.

3 Catal. Script. Eccl.

in edendo Prudentio curam diligentiamque superavit. Hymni duodecim Cathemerinon cum Præfatione: Hymni quatuordecim Peristephanon cum Præfatione: Apotheosis versus hexametri 1085. cum duplici Præfatione: Hamartigeniæ versus hexametri 966. cum Præfatione: Psychomachiæ versus hexametri 917. cum Præfatione: Contra Symmachum libri duo[4] cum suis Præfationibus. Primus constat versibus hexametris 658. alter 1131. Diptychon, seu Enchiridium utriusque Testamenti constans strophis 48. quarum unaquæque quatuor hexametris absolvitur. Hæc si cum iis, quæ Gennadius recenset, conferantur, nil aliud deesse intelligetur quam Commentar. in Hexaëmeron. Nam illud Invitatorium ad Martyrium tam clare patet pro libro Peristephanon accipiendum esse, quo cum Martyres celebrantur, legentium animi ad Martyrium veluti invitantur ac succenduntur, ut mirum omnino sit eruditiss. Tillemontium (Hist. Eccl. t. x. p. 819.) ac Nicol. Antonium (Bibl. Hisp. vet. II. 10.) id non advertisse, atque hunc librum inter deperditos enumerasse. Alterum vero Hymnorum librum, a Gennadio memoratum, quis dubitet esse librum Cathemerinon Hymnorum duodecim cum Præfatione 'Per quinquennia jam decem,' &c. Demum et in Mss. Prudentii Codd. quotquot Aldus, Giselinus, Weitzius, et diligentissimus Heinsius aut per se aut per alios invenire ac scrutari potuere, et iis, quos in hac omnium principe Vaticana Bibliotheca ipsi lustravimus, nulla alia opera sub nostri Auctoris nomine[5] reperiuntur, quam superius enumerata, et ab Heinsio edita. Unicum igitur illud in Hexaëmeron Commentarium de mundi fabrica usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem ejus, cujus vidi-

4 Corrigendus propterea Joan. Marangonius, qui pro duobus Poëtæ nostri in Sym. libris, *quinque* reposuit; in eo etiam lapsus quod Symmachi libellum, cui Prudentius respondit, Theodosio M. oblatum fuisse scribit. 'Delle cose Gentilesche trasportate a uso delle Chiese' c. IX. p. 34.

5 In duobus quidem Vatic. Codicib. signatis n. 84. 334. occurrunt Prudentii Flores Psalmorum. Sed eos alterius Prudentii, Tricassini videlicet Episcopi, fœtum esse ostendit cl. P. Josephus Blanchinus in Libello Oration. Got.-Hisp. p. 464.

mus Gennadium meminisse, gravi ac impense deflenda temporum injuria exaruisse dicendum est; ni forte adhuc alicubi delitescat, tamdiu cum tineis blattisque conflictaturum, donec docta, sagax, fortunatiorque manus in illud offendat, et in lucem proferat, magno Christianæ ac Literariæ Reipubl. bono et ornamento. Ex omnibus autem existentibus adhuc Prudentii Operibus, unus est libellus Diptychon, quem nonnulli Poëtæ nostro ascribendum esse haud facile sibi persuadent.[6] Alia aliis dubitandi ratio. Joan. Sichardus, cujus nonnullæ extant in Prudentium annotationes, licet fateatur vetustissima quæque exemplaria in hoc convenire, ut istiusmodi opus Prudentio ascribant, dictionem tamen eam esse ait, ut facile probet alterius esse, et fortasse Sedulii, vel Amæni cujusdam parum noti Scriptoris, cujus nomen in vetusto Cod. Argentoratensi huic Opusculo præfixum, se vidisse testatur. Styli dissonantiam Dupinius etiam urget loc. cit.; sed ejus sententia est, hujusmodi opus a Prudentio quidem profectum initio fuisse, quod modo tamen habemus, illius epitomen quamdam esse ab Amæno vel alio quovis auctore confictam. Nam, inquit, opus quoddam de toto V. et N. Testamento Prudentium elaborasse, atque in publicum emisisse, Gennadius aperte tradit. Sed illud tanquam ingens opus idem Auctor designat, Diptychon autem libellus parvus est. Vellem equidem locum, in quo hæc Gennadius dicat, designasset, nullibi enim reperio. Verum sane est, quod hoc opere atque in Hexaëmeron commentario recensitis, Gennadius addit: ‘Composuit et libellos,’ &c. quibus Diptychon, ut majus quiddam a ceteris libellis distinguere videtur; sed conjectura est super quam firma probatio construi omnino non potest. Nullius pariter ponderis est de styli dissonantia quod aiunt; secum enim invicem pugnant. Dominicus Macrus in Hierolex. Dupinius loc. cit. aliique, non eadem linguæ puritate ac venustate, qua Prudentii cetera conscriptum eum esse dicunt. Bailleto Adriano e contra,

6 Joan. Sichardus J. C. Scholiis in Prud., Georg. Fabric. in Vit. Prud., Possevin. in Apparat., Heinsius in Not., Dupinius Bibl. Eccl. t. III. p. 1.

Joan. Clerico Bibl. Univ. tom. XII., aliisque excultum nimis atque elegans est. Hic certe opinionum conflictus nobis admodum favet, qui pro genuino Prudentii fœtu hujusmodi opus agnoscimus. Et sane eandem, quam alia opera, humilitatem spirat, eodem stylo, iisdem phrasibus, allegoriis sententiis exaratum esse eruditissimi viri[7] pridem senserunt, ac facili posset negotio demonstrari. At enim in Mss. Argentoraten. Amœno[8] tribuitur; atque etiam in Biblioth. Patrum, uno in loco; nam alio, Prudentium præ se fert. Sed quam parum, etsi hucusque annotata deessent, Ms. unus, ceteris omnibus, si non majoris, ejusdem certe auctoritatis, refragantibus, attendendus sit, æqui rerum æstimatores dijudicent.

CAPUT III.

De ejus Operum Elogiis, Dotibus, Nævis.

INNUMERA plane sunt cujuscumque ætatis Scriptorum splendidissima de Prudentio ejusque Operibus judicia, quorum hic potiora saltem lectorum oculis subjicienda, ut quanto in honore Christianus Vates habendus sit intelligatur, et quam inique juniorum aliqui eum inter bonos Poëtas annumerandum minime esse pronuntiaverint. Sidonius Apollinaris,[1] artis Poëticæ cultor satis peritus, Prudentium Horatio comparare nequaquam veritus est. Eundem ven.

7 Giselinus Comment. in Prud., Labbeus De Script. Eccl. t. II. p. 263., Tillemont. Hist. Eccl. t. X. p. 520., Guill. Caveus De Script. Eccl.

8 G. Barthius Adversar. VIII. 11. libelli hujus cum ceteris Prudentii Operibus collatione instituta, non solum eum pro genuino Poëtæ fœtu habendum esse demonstrat, sed etiam rationem, probabilem satis, reddere conatus est, ob quam in Mss. aliquot Amœni nomen præ se ferat; eaque est, quod usitatum inter recensitores aut exscriptores veterum Auctorum fuerit, generis eorum aut styli notandi gratia, agnomina seu attributiones vulgatis nominibus appingere, quibus semel papyro commissis, proclive fuit posteros uti veris nominibus aures accommodare. Ita Ovidius Geta, Martialis Cocus, Petronius Arbiter, uti Prudentius Amœnus, quia omnium Christianorum Poëtarum amœnitate et varietate lyricorum carminum longe sit princeps.

1 Lib. II. ep. 9. ad Donidium.

Beda [2] nobilissimum Hispaniarum Scholasticum dici; atque hoc antiquior B. Avitus Viennensis Antistes, et ipse poëtica laude commendatus, in Poëmate VI. de laudibus Virginitatis, post multa quæ de Virtutibus tractavit, laudat Prudentii Psychomachiam his versibus:

Has virtutis opes, hæc sit solatia belli,
Describens mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.

Mitto ex iisdem veteribus S. Prosperum in Chronico, a Pithæo editum, sub an. II. Arcadii et Honorii, Theodulphum Aurelianensem IV. 5., aliosque, pietatem cum doctrina conjunctam Prudentio tribuentes, ejusque poësin passim celebrantes. Sed enim non aliud recentiorum quique doctissimi de eo tulerunt judicium. Petro Crinito,[3] Gifanio,[4] Bellarmino,[5] Prudentii carmina gravissima, præstantissima, egregia sunt. In Scaligeriana n. 51. elegantissimi Poëtæ nomine Prudentius decoratur: Joan. Card. Bona Pindarum Christianum eum vocat 'dulcissimum ac prudentissimum Christi Vatem:' demum, ut ceteros sileam, eruditus Nicol. Antonius[6] Prudentium nostrum Juvenco præfert, atque a cl. Jo. Ant. Vulpio, Comment. in Catullum: 'Poëta suo sæculo major, cultissimus, ac veterum elegantiarum studiosissimus' dicitur. Post hæc nihil plane moror quidquid Lil. Giraldus, Rapinius, Dupinius ad elevandam Poëtæ nostri famam dixerint. Esto in iis quæ styli castitatem nobilitatemque spectant, Horatio, Virgilio, ceterisque aurei sæculi Vatibus, inferior aliquanto fuerit, ac in vocibus peregrinis, maxime Græcis, interdum etiam peccaverit; ideo ne plumbeus continuo dicendus est, inelegans, infructuosus? Nonne hunc qualemcumque defectum, in Ecclesiastico præsertim Scriptore, nullo loco habendum, exquisitissima cum sacra cum profana eruditione, sententiarum gravitate, rerum de quibus agit sanctitate ac

2 De Arte metrica circ. fin.
3 De Poët. Lat. c. XC.
4 Indic. Lucret. p. 499.
5 De Script. Eccl.
6 Bibl. Hisp. lib. XI.

præstantia cumulatissime supplet atque compensat? Quid e. g. duobus contra Symmachum libris utilius, in quibus totus gentilium cultus, Deorumque prosapia, eruditissime solidissimeque destruitur atque convellitur; nostraque sacra ab omnibus ethnicorum calumniis atque objectionibus vindicantur? Quid libro Cathemerinon aut Peristeph. ad pietatem fovendam accommodatius? In eo siquidem per omnes diei partes nostri muneris admonemur, totamque diem aptissimis ad id precibus sanctificare; in hoc autem ad ipsum Christianæ perfectionis apicem gloriosis SS. Martyrum gestis invitamur atque succendimur. Demum Apotheosis et Hamartigeniæ libri, in quibus contra hæreticos disputatur, universam pæne inclusam habent theologiam, eamque sanissimam, proindeque innumera ex iis tanquam ex instructissimo armamentario sumi possunt argumenta, sive ad Catholica tutanda dogmata, sive ad hæreticos refellendos revincendosque. Sed nec omnino inelegans est, plurimumque leporis, acuminis, harmoniæ, ac energiæ habere quisquis ejus opera attente legerit, deprehendet, atque etiam fatebitur. In lyricis Horatium, in hexametris Lucretium imitari videtur; nec infelici eventu, ut ætas illa ferebat; optimus sane Poëta; nec Claudiano, Ausonio, aut alii cuicumque illius sæculi ethnico Vati posthabendus: 'Unus' denique, ut ait Heins. in dedic., 'qui inter veteres, majore cum successu poësin Christiani argumenti dederit excultam aut laudabiliore exemplo famæ ac posteritati commendaverit.' Ex his autem duo confici posse videntur. Primum vanum esse, vanissimum, ne gravius dicam, commentum, vanamque excusationem, quam obtendunt, poësin in rebus sacris suas vires, leporem, venustatemque minime exerere posse, sed frigescere atque evadere inconcinnam: secundo, quod et superius attigimus, optime et literis humanioribus, et præsertim pietati consulere eos qui avent, hortanturque ac præcipiunt, ut in Gymnasiis ab adolescentibus, aut saltem domi a viris, juxta sapientissimum S. Sidonii Apollin. exemplum, Horatio Prudentius conjungatur. Indignum enim est ac non ferendum,

inter juvenes virosque Christianos,[7] et sacris etiam ordinibus insignitos reperiri plurimos, qui Terentii, Horatii, Ovidii, aliorumque Vatum ethnicorum ac lascivientium lectioni plus adjecerint animum adjiciantque in diem, quam Prudentii ceterorumque Christianorum pietati veritatique studentium, in quibus sancta phrasi, res divinæ, serio et tamen satis eleganter tractantur. Hanc utique plerique putant esse causam, ob quam in Christianorum non paucis, eruditionis quidem plurimum reperiatur, pietatis vero parum; quod a primis annis in gentilibus impurisque Poëtis unice versati, cum iisdem non tantum loqui sed et sapere didicerunt. Haud igitur diffitebimur, præsertim cum Christianis loquamur, in hoc nostro qualicunque labore, non tam illud intendisse, ut Auctorem daremus, ex quo Poëticæ artis exempla ac præcepta sumantur, quod præstiterunt alii Prudentii interpretes, Heinsius maxime, qui de rebus parum soliciti, in verbis unice occupantur; sed ut per eum sanctissimæ Religionis nostræ naturam ac fundamenta teneantur, Christianæ mentis officia percipiantur, ad eaque præstanda, SS. virorum exemplo, quorum laudibus integer Peristephanon liber consecratus est, legentium animi excitentur ac inflammentur.

Verum hanc ipsam stabiliendæ Fidei ac juvandorum morum prærogativam Prudentio auferre moliuntur hæreticorum novissimi Clericus,[8] Belius,[9] Cellarius,[10] aliique, prave ipsum de Fide Christiana pluribus in capitibus sensisse causantes. Sed quæ illi exprobrant, aut ei summam per injuriam affingunt, aut Catholicæ Ecclesiæ inconcussa venerandaque dogmata sunt, quæ ad ultimum usque spiritum retinuisse, ac totis viribus propugnasse, in præcipua Poëtæ nostri laude reponendum est.

Id igitur primum in Prudentio reprehendit Clericus,[11] vel potius fingit se reprehendere, quod de Verbo Dei loquens, dura admodum expressione usus sit Verbigenam [12]

7 S. Hieron. ep. 22. ad Damasum.
8 Bibl. Univ. t. XII. p. 166.
9 Diction. Crit. 5 edit.
10 In Not. ad suam Prud. Edit.
11 Loc. cit.
12 Cathemer. Hymn. III. vs. 2.

appellando. P. Chamillardus in sua Prudentii editione ad hunc locum annotaverat, quod licet juxta Latini sermonis proprietatem Verbigena sonet Verbogenitus, ut Martigena Martegenitus, non id tamen quod a Catholica Fide alienum est, sentire Prudentium, sed hanc vocem pro ipso Verbo genito adhibitam ab ipso fuisse; quod est Isonii Magistri, omnium Prudentii Interpretum antiquissimi, glossema. Verum id gratis asseri respondet Clericus, ac dubitari non posse, Filium Dei, verbo Patris genitum, hac voce Poëtam designare voluisse; quod alio ejus loco confirmat, ex Hymn. in Nat. Dom. vs. 17. ubi de Verbo loquens, ait:

Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, et verbo editus
Tamen, &c.

contenditque Prudentium his verbis nonnullorum Antenicenorum Patrum sensum exprimere, qui censebant Filii Dei substantiam, modo quodam incomprehensibili, et sine generatione, in Patre ab omni æternitate extitisse, ex eoque ante Mundi creationem ineffabiliter emanasse, quam emanationem tum temporis Patres generationem appellasse; ita ut in eorum sententia, Filii Dei natura non solum ante Mundi constitutionem, sed etiam coæterna Deo fuit, ejus vero Personalitas nonnisi improprie dici potest æterna, quatenus scilicet ante tempora, seu Mundi creationem extiterit. Quæ iisdem pæne verbis, de Tertulliano loquens, repetit in Hist. Eccl. an. 186. lectorem præterea monens ne Patribus qui post sæculum Apostolicum floruerunt, nimis credat; quæ omnia eo tendunt, ut eversa traditione, ac in sola Scripturarum revelatione, privatim accepta, Fidei regula constituta, Catholicum de Verbi Divinitate dogma convellat, quod velut aliud agens, magno verborum apparatu molitur in ep. IV. Critica, quæ est de usu Patrum.

Ne longius quam par est, progrediar, nihil hic de Patribus Antenicenis dicam, quorum adversus Petavium, Wolzogenium, Clericum, aliosque vindicias egregie prosecuti sunt doctissimi viri Georgius Bullus in Defens. Fid. Nicen.,

Nicol. le Nourrius in Appar. ad Bibl. vet. PP., Maran. De Divin. Verbi, Laurentius Berti De Theolog. Disciplin. t. I. lib. 8. plurimique alii, ad quos lectorem remitto. Sed ad Prudentium quod attinet, prorsus nego eum minus recte de Filio Dei sensisse, aut locutum fuisse; nec, ut Clericus ait, aliam Filii Dei generationem agnovisse, quam temporariam et impropriam; cum innumeris propemodum locis æternam Verbi generationem deprædicet: Personam a Patre distinctam fateatur, et Catholicam ubique teneat ac propugnet Fidem. Ab omnibus ferme, quos modo nominavi, doctissimis viris animadversum est, antiquos Patres nonnullos duplicem Filii generationem ante conditas creaturas distinxisse. Prima est, cum Pater Verbum genuit intelligendo seipsum, quam generationem constat sempiternam esse, cum Deus semper fuerit Pater, ac Rationalis: altera generatio, seu potius externa Verbi prolatio fuit, quando Verbo virtutis suæ Mundum condidit; tunc enim in creaturarum productione apparuit ac manifestata nobis fuit Dei Sapientia, ac Potentia, quæ ab æterno erat in sinu Patris.

Hac distinctione, veterum Patrum de Verbo locutiones longe duriores expediunt et explicant communiter Theologi. Objectis igitur a Clerico locis postremam hanc generationem a Prudentio fuisse intellectam, et nos dicimus; at sine ullo veræ, propriæ, ac sempiternæ generationis præjudicio, quam Poëtam nostrum agnovisse atque inculcasse sequentes loci palam faciunt. Personarum Divinarum Trinitatem, et Naturæ unitatem sic enuntiat Cathem. Hymn. IV. init.

O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.

Quod iisdem pæne verbis repetit Peristephanon Hymn. X. vs. 321. Eodem libro Hymn. II. vs. 413. sic Christum Apostolicis verbis (ad Hebr. I. 3.) compellat:

O Christe Numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O Factor orbis et poli.

Communiter Patres ex eo quod in cit. Apostoli loco Filius dicitur 'Splendor gloriæ Patris' ostendunt eum a Patre procedere, et quidem ab æterno. Sed hanc processionem, generationem esse, ita Noster disertis verbis affirmat Peristeph. Hymn. x. vs. 319.

Cum lumen esset [Pater] lumen effudit suum,
Ex luce fulgor natus, hic est Filius.

Tum Præfatione in Apoth. init. sic:

Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est.

Omnimodam cum Patre æqualitatem sic agnoscit ibid. vs. 4.

Tempore nec senior Pater est, nec Numine major;
Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se
.... Verbum.

Eum non factum, sed genitum, sed natum, Patri coæternum, Animum Patris, Dei certissimam prolem vocat in Apoth. vss. 89. 792. et Præf. in Psychom. vs. 60. Hæc utique satis esse possent. Sed quæ Apoth. lib. habet a vs. 239. ad 289. tam aperte, tam solide, æternam Filii Dei a Patre nativitatem annuntiant, ac confirmant, ut ni prolixitas obstaret, integre hic transcribenda forent. In iis enim, contra Sabellianos, consulto probat Deum Patrem non posse talem dici, nisi semper Filium habuerit, quem Symbolo 'Deum de Deo, Lumen de Lumine' vocat; quin ipsum generationis modum, quantum rei sublimitas atque incomprehensibilitas patitur, inquirit et explicat. Locum hunc ne omittas adire, ac vel summam Clerici inscitiam, vel nullam certe fidem plane deprehendes.

Adhuc autem ineptius Censor hic Poëtam nostrum in Pythagoreismi vel Manicheismi suspicionem vocat, quod a carnibus abstinentiam commendaverit Cathemerinon Hymn. III. Eadem enim nota plerique vet. Ecclesiæ Patres inu-

rendi erunt, qui hanc abstinendi consuetudinem laudant, ad eamque fideles sæpissime adhortantur; ut Tertull. init. lib. Ad Martyr. et Apolog. c. 49. p. 121., Clem. Alexandr. Pædag. lib. II. c. 1. p. 139., et Cyrill. Hieros. Cathec. IV. Quin Clemens cit. loc., Joan. Baptistæ Christi præcursoris, ac Matthæi Ap. exemplum profert, quorum primus locustis et melle agresti, alter seminibus, baccis, atque oleribus, absque carnibus vescebatur. Necnon Eusebius lib. II. Hist. c. 22. de Jacobo Apost. Minore agens, 'Hic,' inquit, 'ab ipso matris utero sanctus fuit, atque ab animantium carnibus penitus abstinuit.' Igitur non ex Pythagoræ disciplina, aut impio Manichæorum dogmate, carnibus quondam abstinebant religiosiores inter Christianos, sed voluntario frugalitatis ac temperantiæ instituto, quo vinum quoque sibi interdicebant non pauci. 'Multi,' inquit S. Aug.,[13] 'neque vescuntur carnibus, neque tamen immundas superstitiose putant: multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur. Nam et quibusdam languidioribus, et prorsus omnibus, qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime ac modestissime præberi faciunt. Itaque non rejiciendis generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, et dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis industria.' Sed in re omnium apertissima diutius immorari pudet; præsertim cum Christoph. Cellarius,[14] et Joseph. Binghamus,[15] et ipsi aliorum Catholicæ Ecclesiæ rituum ac dogmatum impugnatores, hanc tamen antiquam jejunii rationem intactam prorsus reliquerint, nullaque censura notare ausi sint.

Demum calumnia non vacat, quod idem Clericus ait: censuisse Prudentium descensu Christi ad Inferos universas damnatorum animas e pœnali carcere eductas, in libertatem vindicatas fuisse, quod asserere hæreticum visum est S. Augustino Hæres. LXXIX. Nullibi enim apud Poë-

13 De morib. Eccl. Cath. lib. I. vs. 33.

14 In Not. ad Cathem. Hymn. III. vs. 59.

15 Orig. Eccl. lib. VII. c. I. § 8.

tam nostrum tale aliquid reperitur. Ait certe[16] nocte Resurrectionis Christi Domini damnatorum pœnis intermissionem aliquam datam, de quo ad eum locum dicemus, sed inde reproborum omnium pœnam evacuatam ea nocte fuisse, nullo modo sequitur; nec præter Clericum quisquam alius somniavit.

Haud meliori fundamento nititur Pelagianismi suspicio, in quam Lucas Osiander[17] Poëtam nostrum adducit, quem vult libero hominis arbitrio plus æquo tribuisse. Sane in Hamartigeniæ libro, in quo contra Marcionitas, non a Deo, sed a libero hominis arbitrio peccatum repetendum esse demonstrat, duriuscula quædam aliquibus in locis occurrere non negamus; ita enim liberum hoc arbitrium extollit, ut præter ipsum, etiam ad bonum operandum, nihil aliud requirere videatur. Sed omnes sanioris Critices regulæ præscribunt, ut ad genuinum Scriptoris alicujus sensum percipiendum, loca obscuriora cum clarioribus conferantur, quod minime præstasse videtur Osiander. Nam primum pluribus in locis, sed præsertim in Apotheosi vs. 900. et seq., humanæ naturæ in Adamo lapsum late noster exequitur. Jam vero præcipuum peccati originalis effectum esse, nostram ad bonum quodcumque operandum impotentiam, et absolutam medicinalis Jesu Christi gratiæ necessitatem, omnes fatentur: unde Pelagiani, qui hanc Christi gratiæ necessitatem non agnoscebant, simul et originale peccatum inficiabantur. Licet ergo expressam gratiæ hujus mentionem nullibi Prudentius haberet, agnovisse eum tamen inde conjici jure posset, quod apertam peccati originalis confessionem ubique faciat. Sed nec verum est, eum Redemtoris gratiæ nunquam meminisse. Nam Apotheos. vs. 880. humanam naturam ‘ lapsam, Christique inopem, nova gratia inundatam fuisse ’ dicit. Quin ipso Hamartigeniæ lib. vs. 665. Christum perditis peccato hominibus ‘ redivivam tulisse medelam; eos ope restaurare secunda;’ tum, quod maximam vim habet, ‘ labi hominis proprium

16 Cathem. Hymn. vs. 125—133. 17 In Epit. Hist. Eccl. cent. 4.

esse, servare Dei;' atque idcirco 'nostram in Deo spem omnem collocandam' esse docet in Symmach. II. 159. Quidquod? 'Oratio,' juxta S. Aug.,[18] 'clarissima est gratiæ testificatio.' At enim innumeris locis orat Deum Poëta, non solum ut infideles ad Christum adducat, sed etiam ut 'sua tergat delicta, purum se præstet, ac esse jubeat,' quæ postrema precandi formula, S. Augustino usitatissima, superbis Pelagianis tantopere displicebat. Pudicitiæ victoriam soli Christo ascribit Psychomach. vs. 57. quod sub libri finem ad alias omnes virtutes extendit. Nam molestissima ac periculosissima carnem inter et spiritum commemorata pugna, ab ea tamdiu nos exerceri docet,

Donec præsidio Christus Deus adsit, et omnes
Virtutum gemmas componat sede piata.

Sed majus quid et expressius habet Psychom. vs. 199. et seq., quo in loco humilitatis cum superbia certamen describens, reginam eam quidem facit, sed propriis diffisam viribus, ac alieno indigentem auxilio:

. . . . Regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu:

quæ tam humilis propriæ imbecillitatis confessio nullo modo ex inflato Pelagianorum ore prodiisset: tum superbiam inducit exprobrantem humilitati, quod, ipsa fatente, non sit libera, sed metu degenerans:

. . . . Nec libera judice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.

Quam hic ab homine libertatem removet Poëta? Non utique naturalem, ad quam astruendam totus insumitur Hamart. liber: eam igitur felicem prorsus et lætam ad diligendum Deum, et bonum quodcumque salutare operandum, quam omnes homines primi peccati granditate perdidisse docet invictus Jesu Christi gratiæ defensor S. Aug. ep. 217. quæ est ad Vital. IV. 12. unde subdit: 'Ut in Deum cre-

18 Ep. 177. nov. edit. quæ ad Innocent. PP. § 4.

damus, et pie vivamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: non quia velle non debemus et currere, sed quia ipse in nobis et velle operatur et currere.' Qua ex consideratione, juxta Apostoli doctrinam, Philipp. II. 12. 13. timor et tremor exsurgit, quem loc. cit. humilitati Poëta noster assignat. Hæc puto satis esse possunt ad ostendendum, quam recte de Christi gratia, qua Christiani sumus, Prudentius senserit. Sed si quis adhuc scrupulus superesset, illud postremo adjiciendum, quod cum Poëta ante exortam Pelagianorum hæresim scripserit, benigne quædam ejus loca exponenda esse, quæ in speciem Pelagianismo, vel Semipelagianismo favere videri possent. Nam juxta regulam a S. Augustino traditam lib. De Prædestin. Sanctor. licet Patres, qui ante Pelagium vixerunt, catholice de gratia senserint, non tamen ita accurate locuti sunt, ac ii qui postea.

Jam vero quæ de Purgatorio, ac Sanctorum cultu et invocatione, Centuriatores Magdeburgen. Belius, Remus, Cellarius, aliique pro sectarum suarum pravissimis præjudiciis in Prudentio culpant, morari nos nihil admodum debent, cum ejusmodi sint, quæ gravissimo ac irreformabili Ecclesiæ judicio definita, in dubium nobis revocare non licet; ac quæcumque ad ea convellenda ab hæreticis afferuntur, ita a doctissim. viris Bellarmino, Petavio, Fratribus Walemburgen., Meldensi Episcopo, Laurentio Berti, aliisque pluribus dissoluta sint atque contrita, ut iis aliquid addere supervacaneum omnino sit.

Unum restat expendendum, rectene senserit Prudentius de Animæ natura, quam cum Elementum, ac Liquorem sæpissime appellet, corpoream materialemque existimasse censeri posset, ac visum nonnullis est. Cleric. l. c. Belius ut sup. Sed primo habita ratione temporis quo Prudentius scripsit, non admodum mirandum esset, nonnihil eum super hac re caligasse, quæ Tertulliano, Methodio, Lactantio, Theophilo Alex., Cassiano, Gennadio, aliisque summis viris perspecta satis et explorata non erat.

Verum si non unus tantum aut alter Poëtæ locus, sed ceteri quoque, in quibus de Anima loquitur, expendantur, evidenter satis patebit, de Animæ spiritualitate nihil eum a nobis diversum omnino sensisse. Consulantur postremi quindecim Psychomachiæ versus, maximum in iis animam inter et corpus discrimen Poëtam agnovisse palam fiet. Duplicem substantiam, animam scilicet et corpus, secum invicem pugnare ait: illam 'cœleste ingenium, lucem, spiritum, sereno editum afflatu,' vocat, hoc autem 'tetrum stomachum, tenebras, viscera limo effigiata.' Quid quæso opus illi fuisset duplicem in nobis distinguere substantiam, aut quomodo potuisset utramque tam diversis appellationibus sibique contrariis designare, si ejusdem cum corpore naturæ animam habuisset? Præterea in Symmach. II. 180. et seq., ubi totus est in asserenda animæ immortalitate, ejusdemque ad præmia vel supplicia reservatione, ut explicet quanam ratione possit Deus supplicio ignis animas affligere, ita Deum loquentem inducit:

Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More noti, capiam tamen et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.

Omnia in his versibus sunt observanda: ac primum si animam incorpoream spiritualemque non habuisset, non erat cur sibi objiceret, quomodo possit Deus igni animas addicere; si enim hac in re difficultas aliqua inest, ea porro est, quod non facile intelligatur, quomodo possit in substantias mere spirituales ignis vim suam exerere. Ac recte sane ad omnipotentiam Dei se refert Poëta; sed quod eum incorporeum, ac spirituum satorem hoc loco appellat, mire ad rem nostram facit; idem enim est ac si diceret: facile omnino est substantias incorporeas ac spirituales, quales animæ sunt, igne cruciandas ab eo, qui incorporeus, ac spirituum conditor est. Omitto Cathem. Hymn. III. stroph. 38. in qua sermone, Sanctis Ecclesiæ Patri-

bus usitato, animam vocat 'oris Dei opus, flante Deo compositum, superoque fluens de solio Patris artificis,' ad quem resoluto corpore revolabit, Perist. Hymn. x. vss. 533. Hæc, inquam, similiaque multa prætermitto, ut iis locum faciam, quæ Hymn. S. Romani vs. 436. et seqq. habentur. In iis enim spiritualem Animæ naturam a corpore toto cœlo diversam dedita opera astruere ipse videtur. Hic pia Martyris Romani pro Imperatoris salute vota promuntur, videlicet, ut idolorum respuat caliginem, Christi lymphis ut renascatur, ac æternæ spei lumen cernat, quod utique lumen non corporis oculis, sed mentis acie perspicitur. Tum ita prosequitur :

Pupilla carnis crassa crassum perspicit;
Et res caduca quod resolvendum est, videt:
Liquidis videndis aptus est animæ liquor.'

Haud aptior, ut puto, locus fingi poterat ad ostendendum, quam animæ spiritualitati timendum nobis non sit, ex eo quod eam liquidum liquorem, liquidam naturam a Poëta nostro appellari frequenter audimus. Ejusdem enim hic animæ liquor naturæ sit oportet, ac ea liquida, quibus videndis idoneus aptusque est. Jam vero ea liquida, ipsa sunt purissima, ac simplicissima Christianæ Religionis dogmata, quorum manifestationem Imperatori auguratur; ergo is etiam animæ liquor aliud nihil est, quam animæ puritas, claritas, simplicitas ab omni corpore materiaque abhorrens, ac longissime distans. Tandem quis unquam, modo sanæ mentis sit, somniabit, Prudentium ne Deum quidem ipsum incorporeum immaterialemque habuisse, uti Eum innumeris locis appellat, ac loc. paulo ante cit. in Symmach. II. 180.? Et tamen Apotheos. vs. 194. Spiritum S. liquidum appellare non dubitat, animamque ei similem dicit hoc ipso lib. vs. 790. Quævis igitur de Poëta nostro non bene de animarum natura sentiente suspicio rejicienda penitus et deponenda est; ac quibusdam aliis locis, in quibus cum Lactantio[19] animam elementum vel ignem appel-

19 De falsa Sap. III. 6.

lat, benigna adhibenda interpretatio: illud identidem recogitantes, Poëtam eum fuisse, ac, ut ceteris poëticæ artis cultoribus mos est, non tantum in verbis, sed in rebus quoque licentiam sibi interdum sumsisse. Cui sane licentiæ, nihil ut dissimulemus, nonnulla receptis in Ecclesia sententiis non omnino conformia ascribenda esse putamus; ut cum e. g. Cathemer. Hymn. VII. Joannis baptismum Christi baptismo æquale facit, et cum Angelis corpora tribuit aëria: fatemur quoque, in unum historias longe diversas ab eo interdum confundi, nec omnimodam physicis in rebus peritiam semper ostendere, prout suis locis annotatum a nobis est. Hoc interim dicimus; universa hæc quæcumque illa sint, tam exigui momenti visa semper fuisse, ut in Bibliotheca Patrum Prudentio locus attribueretur, ejusque carmina digna habita, quæ in quotidiana Divini Officii recitatione legerentur; nec Erasmus emunctæ naris, severissimæque critices vir, quemque in Ecclesiasticis Scriptoribus laudandis nimiæ indulgentiæ nullus insimulabit, pronuntiare dubitaverit [20] inter gravissimos Ecclesiæ Doctores Prudentium recenseri debere; eumque, quod ego maximi facio, tanquam optimum Sacrar. Scripturar. interpretem veneratus est doctissim. Estius, ac ejus mentem, frequenter ceterorum omnium Patrum tam Græcorum, quam Latinorum sensui præfert in egregio suo Apostolicarum Epistolarum Commentario pluribus locis, sed præsertim ad Ephes. c. VI. et ad Hebr. c. VII.

CAPUT IV.

De Mss. Prudentii Codicibus.

INTER Prudentii Editores, ob singularem in restituenda lectione diligentiam ad Manuscriptorum fidem, præ ceteris laudantur Weitzius Joan., et Nicolaus Heinsius. Qui enim post ipsos Prudentii editiones curarunt P. Stephanus Chamillardus, et Christoph. Cellarius, nullis se usos Codi-

20 Comment. in Hymn. de Nat. Domini.

cibus ipsi fatentur. Weitzio autem hi ad manus fuerunt Codd., ut ex ejus Præfatione colligitur: Widmanus, scilicet, Bongarsianus, Egmondanus, Heilbronensis, Fuldensis, Goldastianus, Erfurtensis, ac Palatinus. Quos inter omnes, vetustate ac sinceritate, Egmondano principatum attribuit Heinsius in Præf., quem etiam totum suis se oculis iterum percurrisse scribit in Addend. p. 142. quod non ea, qua oportuisset diligentia, collatus ab Weitzio fuerit. Hos insuper idem Heinsius in præclara sua Prudentii editione anni 1667. adhibuit Mss. Bodleianum, Rottendorphium, Nomsianum, Puteanum, Thuaneum, Ambrosianum, Bohe-rianos duos, aliosque septem minoris momenti Codd. His autem omnibus Puteanus et Ambrosianus, mutili licet, ac meliore sui parte truncati, longe admodum præstare censendi sunt. Hunc enim septimo vel octavo sæculo ascribit eruditiss. Bernard. De-Montfaucon Diar. Ital. p. 18. Ille in Regia Parisiis modo asservatus, ad ipsam pene Prudentii ætatem assurgit; nam quinto sæculo exaratum judicat cl. Joan. Mabillonius De Re Diplomat. lib. v. p. 354. cujus etiam ibidem characteris specimen exhibet. Jam vero patet ex his, ab nullo Prudentii Editorum Vaticanos Codd., præter unum et alterum, huc post Weitzii et Heinsii ætatem advectos, visos adhuc aut collatos fuisse. Dignos tamen dignissimos esse, quorum ratio habeatur, jure meritoque asserere posse videmur. Nam si numerum attendas, sexdecim sunt; si antiquitatem et sinceritatem, quatuor vel quinque exceptis, aut mutilis, aut sæquiori ævo, vel parum diligenti manu conscriptis, ceteri omnes tum vetustate, tum diligentia, optimæ notæ sunt magnique pretii. Sic e. g. Cod. membr. Alexandrino-Vat. signat. n. 321. antiquissimus proculdubio est; in folio, ut aiunt, sæculi forsitan octavi, vel certe sequentis; et omnia continet Poëtæ Opera, cum Glossis minime contemnendis. Ejusdem pariter plus minus ætatis sunt Codd. membran. 3859. 3860. quorum primus Prudentiana omnia habet, alter Cathemerinon ferme totum, Peristephanon, Apotheosin et Diptychon. Codex membr. sub n. 5821. licet in principio et fine

sit mutilus, hoc tamen præ ceteris habet, quod cum antiquioribus Mss., ac nominatim cum celeberrimo vetustissimoque illo, qui Ratisponæ in S. Emerami Bibliotheca quondam asservabatur, collatus diligentissime fuerit, ac oppido convenire inventus, si aliquas parvi momenti varietates excipias. Id in fronte Codicis annotavit P. Joan. Anton. Mariettus an. 1618. ad quem Codex iste pertinebat. Atque hunc quidem Codicem tanti fecit Nicol. Antonius Bibl. loc. sup. cit., ut in votis sibi esse dixerit, dari aliquem, qui studiose diligenterque Codicem perlustraret, ratus id in ingentem Poëtæ nostri utilitatem derivaturum. Nec vero prætereundus est Codex, inter Urbin-Vat. num. 666. quem Lucas Holstenius laudat Dissert. de Veribus Dianæ Ephesiæ; nam licet posterioribus temporibus exaratus sit, nitidissime tamen et eleganter admodum conscriptus est, in pergamena expolitissima, cum literis initialibus minio et auro expressis, ac figuris aliquorum Martyrum, a Prudentio celebratorum, artificiosissime elaboratis. Longum esset forsitan et supervacaneum de ceteris incomparabilis hujus Bibliothecæ Mss. Prudentii Codd. singillatim disserere. Hoc certe affirmari posse videtur, consultis jampridem per Weitzium et Heinsium Codicibus, Vaticanorum modo accessione facta, nihil aliud hac in parte relinqui, quod sit magnopere desiderandum. Id quod etiam nobis in causa fuit, ut Vatic. Codicibus perlustratis, alios non requireremus. Ceterum de nostro in iis evolvendis labore, ac studio, deque fructu præsenti huic Editioni obventuro, nonnihil infra: modo Editiones, quæ spectant, videamus.

CAPUT V.

De Editionibus.

MULTIPLICES Prudentii Operum Editiones, in ipso statim Typographicæ artis initio adornatæ, ac postea pluribus in locis repetitæ, quanta fuerint hujus Scriptoris legendi studia declarant. Omnium antiquissima jure habetur ea,

quæ Daventriæ prodiit, an. 1472. 4., cujus Aldus ignarus, suam an. 1501. tanquam omnium primam perperam venditavit in Epist. ad Daniel. Clarium Parmen. in Urbe Rhacusa bonas literas publice profitentem; in qua etiam testatur ad fidem vetustissimorum Britannicorum Codd. ab se editionem illam castigatam fuisse. Victor Giselinus in Animadv. ad Psychomachiam duas Prudentii Aldinas Editiones commemorat, collaudatque; cum eas tamen certis characteribus minime designet, id eum gratis asseruisse scripsit Heinsius in Præf. ad Lector., in qua nullam aliam agnoscit Aldi Editionem, præter unam an. 1502. quod et Belio visum est in Lexic. ut sup. Immerito tamen utrisque. Certum est enim præter hanc, alteram quoque extare ab Aldo Venetiis curatam Prudentii Editionem anni nimirum 1501. 4. parvo, rotundo, ac nitido charactere, quam hic meis oculis pluribus in Bibliothecis vidi, ac frequenter evolvi. Præter Prudentii Opera, continet hæc Editio, Prosperi Epigrammata, Joan. Damasceni, Cosmæ Hierosolymitani, Marci Ep. Idrontis, et Theophanis Cant. Græce et Lat. Quin in Catal. Biblioth. clariss. Vulpiorum Patavii vulgato, Aldina Prudentii Editio reperitur cum Sedulii, Aratoris, aliorumque Poëtarum carminibus, ac diversorum Opusculis sacris soluta oratione, duobus volum. in 4. Venetiis eod. an. 1501. Quamobrem jam non una, vel altera, ut supra cit. auctores arbitrati sunt, sed tres Aldinis typis curatæ Prudentii Editiones agnoscendæ sunt, quarum prima et tertia raræ admodum. Post Aldinas Prudentii Editiones, Lucroniensem Hispanam an. 1512. commemorat Nicol. Antonius Bibl. Hisp. t. I. § 104. ab Nebrissensi curata, de quo infra. Jam vero an. 1527. Basileæ prodierunt Prudentii Opera in 8. apud Cratandrum cum Scholiis Sichardi, adeo infrequentibus, ut nullius ferme momenti sint: et iterum ibid. apud Henricum Petri an. 1562. eadem forma, cum Not. prædicti Sichardi, Jacobi Spigelii, et Erasmi: atque hujus et Sichardi Scholiis, Lugduni 1553. 8. Non omnia tamen Prudentii Opera Spigelius commentatus est, sed tantum Hymn. Cathem. IX. omnis horæ, propter nimiam

prolixitatem, et observationum exilitatem lectoribus vix ferendus. Aliter de Erasmo dicendum, qui, quamvis in duobus tantum postremis Cathemer. Hymnis elaboraverit, quia 'tamen,' inquit Chamillardus, 'vir fuit, si quis alius sua tempestate, acuti et limati judicii, operæ pretium non pœnitendum fecit, ac documento esse potest, quam non Prudentius ab eruditis negligendus sit.' Illud tamen incommodi ejus Notas habere deprehendi, quod minus rectæ, aut etiam depravatæ lectioni non semel innitantur. Unam tantum Joan. Albert. Fabricius Bibl. Lat. t. II. memorat Antverpiensem Prudentii Editionem, cum Ælii Ant. Nebrissensis Commentariis, et Scholiis Sichardi an. 1540. 8. apud Joan. Steelsium. Sed duæ insuper addendæ sunt. Altera apud Martinum Cæsarem, an. 1536. 8. quæ hic in Bibliotheca Collegii Romani asservatur; altera anni 1546. quam sibi fuisse testatus est Belius in Lexic. Quanquam autem Nebrissensis, de quo late ac erudite Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Nov. t. I. § 104. suis in Prudentium Notis nihil aliud se intendisse dicat ad Hymn. Peristeph. vs. 186. quam ut aditum quendam Grammaticis aperiret, sua tamen eruditione non vacant, atque ad assequendum Poëtæ sensum idoneæ in primis sunt; ut aliqua tantum, non omnia e Prudentianis Operibus eum attigisse dolendum sit. Victor Giselinus Flander San-fordianus decem nactus Prudentii Codices, novam Editionem adorsus est, ac prelo subjecit Parisiis apud Hieronym. Marneffium an. 1562. 8. Sed cum male adeo cessisset editio, ut referente Heinsio in Præf. mendis admodum spissis fœdissimum in modum scateret, Theodoro Pulmanno Crannenburgico in partem laboris ascito, aliam aggressus est, quam Plantinianis typis publici juris fecit Antverpiæ an. 1564. 8. cum Notis, subjuncto ad calcem voluminis Erasmi in Hymn. duos Commentario. Quæ sane editio, inquit idem Heinsius loc. cit. 'reliquis omnibus in lucem solerti typographorum opera hactenus emissis, facile præstat, ac extra controversiam aliis est anteponenda.' Quod de iis, quæ lectionem atque orthographiam spectant, dictum intellige. Nam in Notis

ea tantum sectatus est Giselinus, quæ omnium erant facillima, et minime scitu necessaria, lapsus in multis etiam et hallucinatus est. Mitto alias duas Editiones forma minor. ab eo curatas Parisiis an. 1566. et Lugd.-Bat. 1596. quæ nihil habent singulare. Unam et alteram ab nemine, quod sciam, animadversas, hic subjiciam. Prior, quæ Basileæ cum aliis Christianis Poëtis per Joan. Oporinum prodiit an. 1564. 8. Altera quæ Calari vulgata est an. 1574. 8. apud Vincentium Sembenium, quam hic in Bibl. PP. Minimor. in Monte Pincio reperi. Præ hactenus enumeratis auctoribus, qui in Prudentium aliquid contulerunt, utiliorem navavit operam Joan. Weitzius elapsi sæculi Philologus non contemnendus. Nam non solum vetustos Prudentii Codices bene multos excussit, ac lectionum Variantium syllogen ex iisdem concinnavit in usus publicos, verum etiam omnium ante se vulgatas in Prudentium Notas collegit, suas addidit, easque non inutiles, vel ob hoc saltem, quod veterum Auctorum locos in medium adducunt. Duo tamen in hac ejus Editione, quæ Hanoviæ typis Wechelianis excusa fuit an. 1613. 8. reprehendit Heinsius in sua Præf. Et quod in ea orthographiæ ratio, ut plurimum turbata sit, et quod in discrepantis scripturæ delectu expectationi suæ parum Weitzius responderit; adjici et illud posset, veterum Auctorum, Patrum præsertim, loca, quæ profert, nullo ferme esse usui, quod ex ipsorum operibus supposititiis ac spuriis desumpta plerumque sint. Præter Comment. Sichardi, Nebrissen. Erasmi, Spigelii, et Giselini, quorum jam tulimus judicium, occurrunt in hac Collectione Georgii Fabricii, Adami et Theodori Siberi, Joan. Murmelii, Georgii Remi, Andreæ Wilchii, et Isonii Magistri expositiones et notæ, quibus ex interpretibus, si Isonium et Fabricium excipias, ceteri omnes omitti commode poterant; aut enim unum duntaxat Hymn. commentati sunt, aut in Hymnos, tria vel quatuor, verba sex interdum protulerunt, aut septem, ut in numero interpretum recipiendi nequaquam sint. Ne Fabricius quidem in omnia Prudentii Opera Commentarios exaravit, sed in iis quæ illustranda

suscepit, vix aliquid desiderari passus est. Utinam in meliori seligenda lectione felicior aliquanto fuisset. Isonio[1] autem tribuuntur glossæ in universum Prudentii opus, quæ in Cod. Widmanno, et Bongarsiano reperiuntur, quæque a Weitzio studiose collectæ sunt; bonæ ut plurimum, et probandæ, nisi quod frequenter nimis simplicissima quæque et literalissima ad allegoricum sensum, genio tamen sæculi, inepte trahunt. Post Weitzianam Editionem rursus absque ullis Notis prodierunt Poëtæ nostri Opera Antverpiæ 1610. 24. tum Amstelodami an. 1631. 12. et Lunebii 1648. eadem forma: nunquam tamen castigatiora ac nitidiora, quam Amstelodami 1667. in 12. Nicolao Heinsio curante. Huic sane viro eruditissimo, præ ceteris omnibus, Prudentius debet: unde satis mirari non possum, ab Nicolao Antonio, ceteros Prudentii interpretes recensente,[2] prætermissum fuisse. Non solum enim optimorum Codicum ope, ut Cap. præced. notavimus, sed singulari etiam, qua pollebat, Latinæ linguæ peritia, innumeros ferme Poëtæ locos primæ et genuinæ restituit puritati, rationibus communivit, exemplisque illustravit; ita ut quæcumque, Heinsianam hanc præcesserunt Editiones, minori in pretio habendæ proculdubio sunt. Alterius Heinsii Editionis ibidem 1670. meminit Morerus in Lexic., sed eam videre nullibi potui; uti nec aliam apud Soncinos egregios illos Typographos, quam extare certus sum. Quæ vero Coloniæ an. 1701. 8. adornata est a D. Mullero cum Not. Heinsii, et Commentar. Isonii et Nebrissensis, inter minimi pretii editiones computanda est. Etenim præter characteris et chartæ vitium, subjectæ etiam Isonii et Nebrissen. Notæ Heinsiano textui haud semper respondent, quod maximam parit confusionem. Hæc utique Editioni ad usum Delphini, Parisiis 1687. 4. P. Stephani Chamillardi

1 Fuit hic Monachus S. Galli, qui an. Christi 871. obiit, vir doctrina et sanctitate singulari sæculo suo celebris, de quo Ekkardus junior De Casibus Monasterii S. Galli c. I. et II. apud Goldastum Rer. Alemann. t. I. p. 12. et 22. atque ex illo cl. Glossarii Lat. Script. Præf. operis sui § 42. p. 35.

2 Bibl. Hisp. vet. lib. II. c. 10.

exprobrari non possunt; nam characteris concinnitate chartæque nitore, ac si vis etiam orthographiæ accuratione, elegans Editio est; sed quomodo ab Alberto Fabricio [3] omnium optima appellari potuerit, prorsus non video. Lectio enim juvari vix potuit ab eo, qui nullum Codicem vidit, ut ipse in Præf. fatetur: utinam Heinsianam secutus semper esset, a qua non semel inconsulto recedit: Paraphrasin quidem, methodo, iis qui pro Delphino laboraverunt usitata, subjecit; sed, ut merito Clericus loc. cit. animadvertit, Paraphrasis ipso textu obscurior interdum est: notæ vero in rebus contritis, pervulgatis, omniumque notissimis versantur, ut sunt Moyses, Josue, Petrus et Paulus Apostoli; veterumque, Patrum præsertim, loca non ex optimis editionibus, quæ tamen tum temporis extabant, expressa sunt. Quare si mihi daretur optio, Heinsianam potius Editionem an. 1667. superius enuntiatam, quam Chamillardianam hanc assumerem. Hoc vero dolendum, quod in novissima Veneta PP. Bibliotheca, cum Prudentii Operibus locus dandus esset, ceteris omnibus Editionibus posthabitis, hæc, de qua loquimur, prælata sit. Restat Christopheri Cellarii, non exigui inter Protestantes nominis, Editio, quæ Halæ Magdeburgicæ primum an. 1703. in 8. lucem aspexit; tum ibidem an. 1739. eadem forma.[4] Heinsii lectionem secutus ut plurimum Cellarius est, nullis adhibitis Codicibus. In notis apponendis parcus et sobrius, eruditus tamen; per omnia facile probandus, ni dolendis, heu, suæ sectæ præjudiciis abreptus, una et altera vice Poëtam cum Ecclesia Catholica rectissime sentientem taxare ausus fuisset. Atque hæc erant de Prudentii Operum Editionibus, ut de iis, quæ in Biblioth. PP. continentur, ac de singulis ejusdem scriptis, seorsim editis, interim sileamus, deque eorum Interpretibus annotanda. Jam vero quis unquam suspicaretur, ex tot, ac toties, ubique loco-

3 Bibl. Lat. t. II. p. 229.

4 Hujus Editionis exemplar vidi quidem, sed utendi facultas non fuit; quod monendum duxi, ne quis me illi imposuisse putet, dum quædam in eo reprehendo, quæ in postrema editione aliter fortasse se habent.

rum, repetitis editionibus, eo singularitatis ac raritatis devenisse, ut venales apud Bibliopolas nuspiam reperiantur, ac frustra requirantur! Hoc utique expertus affirmare possum, non solum hic apud Bibliopolas exemplaria nulla extare, sed etiam datis ad Amicum, Parisiis, Epistolis, ut mihi Chamillardianam Editionem, alibi frustra quæsitam, compararet, rescripsit ille post multas perquisitiones præfatæ Editionis exemplar reperisse se quidem, sed non minori quam viginti quinque scutorum pretio. Atque hæc tanta libri hujus raritas, non postremus mihi stimulus fuit, ut hanc novam Editionem adornandam susciperem, in qua quid præstitum sit paucis accipe, Lector humanissime.

CAPUT VI.

De hujus Editionis methodo, utilitate, &c.

In distribuendis Poëtæ Operibus, Heinsianam secutus sum methodum, suffragantibus Vaticanis melioris notæ Codicibus. Ea autem est ut primus Cathemerinon locus sit, isque duodecim Hymnis constet, non decem, ut visum nonnullis erat, qui postremos duos Hymnos de Natali Domini, et de Epiphania, a ceteris sejunctos, post Peristephanon rejiciebant. Cathemerinon excipit Peristephanon liber, quatuordecim Hymnos complectens, cui recte Præfatio: 'Immolat Deo Patri,' &c. præfigitur, quam alii in fine operum, ut Aldus, alii inter Symmachicos libros et Diptychon, alii aliter locabant. Sequitur Apotheosis, tum Hamartigenia, quæ in omnibus ferme codd. illi attexitur; ejusque veluti pars manifeste constituitur: hinc Psychomachia, a qua Editiones aliquot universum Prudentii opus recte minus auspicabantur. Succedunt inde duo contra Symmachum libri, quibus præter ipsius Symmachi Relationem, egregiam quoque S. Ambrosii Confutationem præmittimus, prout utraque ab accuratissimis S. Mauri Monachis edita est; rati plurimum ea conferre ad horum Poëtæ librorum intelligentiam. Ultimum tandem Diptycho

locum dedimus, de quo satis multa hujus Præfationis c. 11. Licet autem, ut supra dictum est, in recognoscenda lectione, labori adeo non pepercerimus, ut cum duodecim et amplius Vaticanis Codd. collatio nobis instituta fuerit, fatendum tamen est, pauciora, quam quæ existimari poterant, immutanda occurrisse; idque duabus de causis; una quod plurima, quæ castigatione indigebant, visa jam et occupata ab Heinsio fuerint; altera quod frequenter admodum in nostris Codd. æqualis ferme ætatis ac ponderis diversæ occurrant lectiones, tam bonæ ac propriæ,[1] ut quænam præferenda sit, non appareat; quo in casu satius duximus, utraque, ut plurimum, in medium adducta, rem lectorum judicio permittere. Verum non ideo in irritum laborem studiumque nostrum cessisse dicendum est; nam præter nonnullos recte, ut putamus, ope membranarum, restitutos locos, Heinsii quoque castigationes, interdum uni tantum Mss. innixæ, pleniori Codicum nostrorum consensu et auctoritate, firmasse ac solidasse, non parum faciendum est. Fusiores a principio notas, ac frequentiores apposueram, quas, opportune monitus, aut expunxi, aut resecavi, et, ut aliquid potius desideraretur, elegi, quam ut nimius et gravis legentibus evaderem. Has autem Notas interdum ex aliis Poëtæ interpretibus me desumsisse, cur tantopere, ut quidam faciunt, dissimulare debeam, non video. Nam præterquam quod impossibile est, ut quæcumque annotanda censeas, inobservata aliis sint, nove præterea ut dicas, recte minus dicere, hoc ineptissimum mihi videtur vanissimumque. Nec vero mireris,

1 Id et in suis Mss. Giselinus cum animadvertisset, suspicatus fuit, ex eo natum, quod Prudentius noster, sua opera, quæ amicis primo communicaverat, quæque descripta ab ipsis fuerant, postliminio ad incudem revocata, recognoverit diligentius, ac denuo limatius ediderit; quod et aliis Auctoribus contigit. Nam et id de sua Metamorphosi testatum voluit Ovidius, et duplicem Lactantii Divin. Institut. librorum editionem Balutius agnoscit in Not. ad ejusdem librum de Mortibus persecutorum. Ulterius progressus Heinsius, qui eandem in suis membranis varietatem offendit duplicem horum Poëmatum per Prudentium ipsum editionem, non probabilem tantum, sed et certam atque exploratam sibi esse professus est in Addend. pluribus locis.

benigne Lector, si in iis quædam enuntiata reperies, tanquam nova atque recentia, et aliis inobservata, quæ ejusmodi non esse videntur; siquidem erant, cum primum scripta sunt. Sed cum antequam typis committerentur, aliquot effluxerint anni, ac totos sex alios tenuerit Editio, Typographo in plura nimis, maximam ob nominis celebritatem, distracto, hoc tam longo temporis intervallo senuerunt quodammodo, ac rugas veluti contraxerunt, vel ab aliis prolata jam et observata sunt. Ad hæc quibuscumque libris vel etiam Hymnis, cum res postulat, admonitionem præmittimus, quæ argumentum breviter explicat, aliaque exhibet ab instituto minime aliena; tum appositæ ad marginem notulæ, non solum summam rei, de qua agitur, repræsentant, sed etiam res indigitant præ aliis observatione dignas. Sacræ Scripturæ loca, ad quæ frequentissime respicit Poëta, pariter indicamus, quam, ratione habita temporis quo scripsit, ex LXX. Interpretibus,[2] quod Vetus respicit Testamentum, vel ex alia Græca versione expressam esse, mirum non est. Id vero totum, quod Lectori nec ingratum, nec inutile speramus, in prius editis prorsus desiderabatur. Tres Indices, Cellarium imitati, addimus in fine. Unum rerum, alterum verborum ac phrasium, tertium eorum, quæ licentius solito Prudentius posuit. Jam hic plura non adderem. Sed persolvendum mihi est grati animi officium erga duos perillustris hujus Congreg. Oratorii Presbyteros, mihique amicissimos, quibus sane me plurimum debere profiteor. Hi sunt PP. Josephus Blanchinus, et Franciscus a Puteo,[3] Veronenses

2 Id pluribus argumentis probat Heinsius in Addend. p. 145. sed ex eo præsertim, quod omnia ferme propria Vet. Testamenti nomina Græcum in morem extulerit, Sarra e. g. Solomon, Ambacum &c. vid. in Lat. versiones antiquas cl. Petri Sabatterii Præfat. P. II. § 3. cui tamen auctor fuissem, ut inter antiquos Ecclesiæ Lat. Patres, e quorum operibus veterem editionem, Itala quæ dicitur, concinnare studet, Prudentio potius, quam Juvenco, vel saltem utrisque, locum dedisset. Ille enim et Juvenco illustrior, et locos longe plurimos ipsi subministrasset.

3 P. Josephi Blanchini operum Catalogum texere supervacaneum est, cum sint Literariæ Reipubl. notissima: quæ vero edidit P. Franciscus a Puteo, cum æque pervulgata non sint, hic juvat subjicere;

ambo, quos post hujus sæculi medium, immatura morte cito nimis ereptos, vehementer doluit cum Oratorii Congregatio, tum universus literarius orbis. Ille de nova Prudentii Editione cogitans,[4] omnia Poëtæ Opera, præter Peristephanon, cum tribus Vat. Codic. bonis utique, non tamen præstantioribus, contulerat, ac Variantes annotaverat, quæ mihi communicatæ, improbum molestissimumque conferendi laborem minuerunt; cum enim vir esset omnium diligentissimus, cuncta fideliter accurateque annotasse dubitandum non erat. P. autem a Puteo, cum et ipse Prudentii Opera typis committere decrevisset, quod suum consilium edito de S. Laurentio opusculo patefecerat, multiplicibus ad id Poëtæ editionibus, iisque rarissimis comparatis, quasdam in Cathemerinon notulas inchoaverat, hoc quoque adumbrato, quem tenui, Præfationis ordine. Horum omnium factus ego particeps, et primum de Christiano Poëta edendo consilium inii, et iisdem copiis adjutus, inceptum opus ad finem usque perduxi. Quare si aliquod ex eo, ut sperare licet, bonarum literarum amatores commodum percipient, iis referri potissimum debet. Si enim in hæc, quæ parata ab ipsis fuerant, non incidissem, de hujuscemodi re nunquam forsitan cogitassem.

nempe 'Memorie di S. Lorenzo Martire.' Roma 1756. 'Istoria della Vita e Pontificato di S. Gregorio M. con un Ragionamento sopra gli Studj Ecclesiastici.' Roma 1758. 4. Selecta SS. Patrum Opuscula de Sacrorum Ministrorum Officiis. Romæ 1764. t. II. 8. Apud Marc. Palearinum.

4 Libello Oration. Ecclesiasticor. Officior. Got-Hisp. p. 464.

TESTIMONIA VETERUM

DE

PRUDENTIO.

Gennadius in catalogo virorum illustrium.

PRUDENTIUS, vir sæcularis literaturæ eruditus, composuit Diptychon de Veteri et Novo Testamento, personis exceptis. Commentatus est et in morem Græcorum Hexaëmeron de mundi fabrica, usque ad conditionem primi hominis, et prævaricationem ejus. Composuit et libellos, quos Græca appellatione prætitulavit, Apotheosis, Psychomachia, Hamartigenia, i. e. de divinitate, de compugnantia animi, de origine peccatorum. Fecit et in laudem Martyrum, sub aliquorum nominibus, invitatorium ad martyrium librum unum, et Hymnorum alterum. Speciali tamen conditione adversus Symmachum, idololatriam defendentem, duos laude dignissimos libros compegit: ex quorum lectione agnoscitur Palatinus miles fuisse.

Sidonius Apollinaris. Lib. II. Epist. 9.

Nam similis scientiæ viri, hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. Quos inter Adamantius Origenes Turranio Rufino interpretatus sedulo fidei nostræ lectoribus inspiciebatur.

Alcimus Avitus poëmate.

Hæ virtutis opes, hæ sunt solatia belli,
Quis dubium adversus mentis cum corpore bellum

Ipsa suos armat clamantis buccina Pauli:
Quæ prudenti olim cecinit Prudentius ore.

Beda libro de ratione metrica.

Metrum iambicum senarium recipit iambum locis omnibus, præter novissimum, spondæum, dactylum, et anapæstum locis imparibus, pyrrhichium loco tantum ultimo; quo nobilissimus Hispaniarum scholasticus Aurelius Prudentius Clemens scripsit prooemium Psychomachiæ.

Joannes Ludovicus Vives de Christianæ fœminæ institut. lib. I.

Neque vero poëtis carebit, si capiatur numeris. Aderunt Prudentius, Arator, Prosper, Juvencus, Paulinus, qui non multum antiquis concedant. Inveniet profecto in auctoribus lectu dignissimis omnia acutiora, pleniora, majoris et certioris voluptatis, pastum denique animi jucundissimum: quæ omnia tum vitæ prosint, tum animum mentemque mira delectatione perfundant.

Joan. Franc. Picus Mirandula, de studio divinæ et humanæ philosophiæ l. 6.

Da mihi virum voluntate bene instituta; qui carmina de rebus Christiano vel credendis, vel sperandis, vel operandis conficiat: tantum abest, ut damnem, aut accusem, ut etiam magnopere tuter, laudem, venerer, et amplectar. Quales apud veteres nostros fuere Prudentius, Sedulius, Damasus, aliique nonnulli.

Erasmus Roterodam. de pueris liberaliter instituendis.

Jam si quis Prudentium, unum inter Christianos vere facundum poëtam, volet enarrare; literas etiam arcanas calleat oportet.

DE

METRIS PRUDENTIANIS.

GENERA metrorum, quibus Prudentius in hymnis Præfationibusque usus est, sunt duodeviginti.

Primum genus: ut præf. Cathemer. quæ est tricolos tristrophos. Primus quisque versus est Choriambicus Glyconius trimeter acatalectus: constans e spondæo, Choriambo, et Pyrrhichio. Secundus Choriambicus Asclepiadeus tetrameter acatalectus: qui constat e spondæo, et duobus Choriambis, et Pyrrhichio. Tertius Choriambicus Alcaicus pentameter acatalectus: qui constat e spondæo, tribus choriambis, et Pyrrhichio.

Primi generis: una Præfatio Cathemerin.

Secundum genus: ut hymn. 1. Cathem. qui est monocolos. Omnes versus sunt iambici Archilochii dimetri acatalecti; constantes e quatuor iambis: recepto tamen in locis imparibus etiam spondæo.

Secundi generis: hymn. 6. Cathem. hymn. 1. 2. 11. et 12. Perist. hymn. 2. et 5.

Tertium genus: ut hymn. 3. Cathem. qui est monocolos. Omnes versus sunt Dactylici trimetri hypercatalecti: constantes tribus dactylis et syllaba.

Tertii generis: hymn. 2. Cathem. hymn. 3. Perist. hymn. 3.

Quartum genus: ut hymn. 4. Cathem. qui est monocolos. Versus sunt hendecasyllabi: qui constant spondæo, dactylo, et tribus trochæis.

Quarti generis: hymn. 2. Cathem. hymn. 4. Perist. hymn. 6.

Quintum genus: ut hymn. 5. Cathem. qui est monocolos. Versus omnes sunt Choriambici, Asclepiadei tetrametri acatalecti: ut supra.

Quinti generis: hymn. 1. et præf. 1. Cathem. hymn. 5. Præf. lib. 1. contra Symm.

Sextum genus: ut hymn. 6. Cathem. qui est monocolos. Iambici dimetri catalecti sunt versus; qui constant tribus iambis et syllaba: recepto tamen in prima sede etiam spondæo.

Sexti generis: hymn. 6. Cathem.

Septimum genus: ut præf. Psychom. quæ est monocolos. Sunt enim omnes versus iambici Hipponactei trimetri acatalecti: recepto tamen in locis imparibus etiam spondæo.

Septimi generis: hymni 2. Præfationes 2. Cathemer. hymn. 7. Peristeph. hymn. 10. Præf. Hamartigen. Præf. Psychomach.

Octavum genus: ut hymn. 8. Cathem. qui est dicolos tetrastrophos. Primi quique tres versus sunt hendecasyllabi, Sapphici, pentametri, acatalecti: qui constant e trochæo, spondæo, dactylo, et duobus trochæis. Quartus autem quisque est Adonius dimeter catalecticus, ex dactylo et spondæo.

Octavi generis: hymn. 2. Cathemer. hymn. 8. Perist. hymn. 4.

Nonum genus: ut hymn. 9. Cathem. qui est monocolos, tristrophos. Versus sunt trochaici, octonarii catalecti: qui constant septem trochæis et syllaba, recepto tamen in locis paribus etiam spondæo.

Noni generis: hymn. 2. Cathemer. hymn. 9. Perist. hymn. 1.

Decimum genus: ut hymn. 10. Cathem. qui est monocolos. Omnes versus sunt anapæstici trimetri catalecti: qui constant tribus anapæstis et syllaba: recepto tamen in prima sede etiam spondæo.

Decimi generis: hymn. unus 10. Cathem.

Undecimum genus: ut præf. Perist. quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est iambicus Archilochius dimeter acatalectus: constans amphimacro et duobus iambis. Secundus quisque versus est iambicus Archilochius trimeter catalecticus: constans e quinque iambis et syllaba: recepto tamen in locis imparibus etiam spondæo.

Undecimi generis: una Præf. Perist.

Duodecimum genus: ut hymn. 7. Perist. qui est monocolos. Versus sunt choriambici trimetri acatalecti; de quibus in primo genere.

Duodecimi generis: hymn. 1. et Præf. 1. Perist. hymn. 7. Præf. lib. 2. contra Symm.

Decimum tertium genus: ut hymn. 8. Perist. Versus sunt elegiaci omnibus noti.

Decimi tertii generis: hymn. 2. Perist. hymn. 8. et 11.

Decimum quartum genus: ut hymn. 9. Perist. qui est dicolos distrophos. Primus quisque versus est heroicus hexameter catalecticus. Secundus quisque est iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus.

Decimi quarti generis: unus 9. Perist. hymn.

Decimum quintum genus: ut hymn. 12. Perist. qui est dicolos distrophos. Primus quisque versus est dactylicus Archilochius heptameter acatalectus: constans e quatuor primis pedibus spondæis, vel dactylis, ut in versu heroico: deinde e tribus trochæis. Secundus vero quisque est iambicus Archilochius trimeter catalecticus; de quo in undecimo genere.

Decimi quinti generis: unus hymn. 12. Perist.

Decimum sextum genus: ut hymn. 13. Perist. qui est monocolos. Versus enim omnes sunt dactylici, Archilochii heptametri acatalecti; de quibus, in decimo quinto genere.
Decimi sexti generis: unus hymn. 13. Perist.

Decimum septimum genus: ut hymn. 14. Perist. qui est monocolos. Versus sunt dactylici, Alcaici, acatalecti; qui constant ex iambo vel spondæo, iambo, et syllaba: deinde e duobus dactylis.
Decimi septimi generis: unus hymn. 14. Perist.

Decimum octavum genus: ut Præf. Apotheosis: cujus carmen est epodon distrophon: constat enim senario iambico, cui additus est dimeter iambicus.
Decimi octavi generis: una præf. Apoth.

SYLLABÆ QUÆ MALE A PRUDENTIO CORRIPIUNTUR.

1. Ænigma. A. 331.
3. Allophylus. H. 500.
2. Arius. Ps. 795.
1. Beryllus. Ps. 856.
3. Calceamentum. P. VI. 74.
3. Chalcedon. Ps. 858.
Cui, monos. C. III. 167.
2. Dæmon. S. II. 888.
2. Dispar H. 26.
2. Elutus. P. V. 362.
3. Energima. A. 400.
1. Enervatus. S. II. 143.
2. Eremus. Ps. 371.
1. Fio. P. XIII. 59.
1. Ganeo. H. 323.
1. Hæresis. Ps. 711.
2. Idolium. A. 186.
2. Idololatra. H. 404.
2. Idolum. Ps. 379.
2. Imbecillus. A. Pr. II. 31.
2. Impar. S. I. 168.
3. Involucrum. S. I. Pr. 54.
4. Lacedæmon. S. II. 247.
2. Mathesis. S. II. 478.
2. Phrenesis. H. 125.
2. Poësis. S. II. 52.
1. Pugillaris. P. IX. 15.
3. Pyreneus. P. VI. 147.
3. Quadrupes. A. 212.
2. Romphæalis. C. VII. 93.
1. Rubigo. Ps. 105.
1. Socors. C. I. 35.
1. Sphæra. A. 210.

SYLLABÆ QUÆ MALE A PRUDENTIO PRODUCUNTUR.

1. Cui, dissyl. H. 105.
2. Cyaneus. Ps. 859.
2. Delibutus. Ps. 312.
1. Duita. H. Pr. 37.
2. Hecatombe. P. X. 1051.
2. Margarita. Ps. 874.
2. Redimitus. Ps. 688.
2. Sardinia. S. II. 945.
1. Smaragdinus Ps. 863.
2. Sophia. S. I. 34.

ELENCHUS ALPHABETICUS

NONNULLORUM SCRIPTURÆ COMPENDIORUM QUÆ IN HIS VV. LL. OCCURRUNT.

A.	Edit. Ald. Manutii.
Al.	Codex Alexandro-Vat. No. 321.
Alt.	Codex Altinianus.
Amb.	Codex Ambrosianus.
B.	Codex Bongarsii.
Bas.	Edit. Basiliensis.
Bo. 1. 2.	Codd. Boheriani.
Bodl.	Codex Bodleianus.
Bi.	Codex Emerici Bigotii.
C.	Johannis Cauchii Annotationes.
E.	Codex Erfurtensis.
Eg.	Codex Egmondanus.
F.	Edit. Fabricii.
Fuld.	Codex Fuldensis.
G.	Edit. Giselini.
Gi.	Giphanii Notæ.
Gold.	Codex Goldasti.
Gr.	Codex Abbatiæ de Grœnendale.
H.	Codex Hailsbronnensis.
I.	Codex Sti Jacobi.
L.	Codex Sti Laurentii.
N.	Edit. Nebrissensis.
Nom.	Codex Nomsianus.
P.	Codex Palatinus.
Put.	Codex Puteanorum fratrum.
R.	Codex Ratisponæ in Sti Emeranii Biblioth. asservatus.
Ro.	Codex Rottendorphianus.
S.	Edit. Sichardi.
T.	Codex Thuaneæ Bibliothecæ.
U.	Codex Urbin-Vat. No. 666.
Vat.	Codd. Vaticani.
W.	Codex Caroli Widmani M. D.

INCERTI EX MS. MEMBR. ALEX.-VAT. SIGN. N°. 321. SÆC. VIII. VEL IX. OMNIA PRUDENTII OPERA HABENTE.

HÆC lege qui rectum fidei vis noscere callem:
  Quique heresum sollers spicula vafra fugis.
Hic tibi peccati veteris pandetur origo:
  Hic nova vis animi monstra veterna fugans.
Funditus ydolii virtus eversa jacebit:
  Ac penitus tetri lingua teretur ydri.
Inclitus hic Martyr elingui concinet ore:
  Heroumque acer rite canetur agon.
Christisonis hymnis prima ora resultant:
  In aliis vario musa canore boat.
Hunc tu quæso mellito gutture ructes;
  Hunc verses animo, moribus hunc teneas:
Deque imo in cælum suspiria pectore fundas;
  Pro me proque meo qui notat hæc famulo.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. CL.[a]

PRÆFATIO.

Suam unicuique Libro Præfationem adhibere Prudentius consuevit; hæc autem non ita sequenti *Cathemerinon* libro alligata est, ut non etiam universum Opus Poëticum complectatur: unde in uno Vaticanorum vetustissimo habetur cum hoc titulo: *Incipit Prohemium Aur. Prudentii*, quod et in Egmondano Cod. vidit Heinsius. In hac vero breviter perstringit Poëta potiora vitæ suæ gesta usque ad annum septimum et quinquagesimum, quo a profanis ad sacra animum ingeniumque traduxit; atque omnium ferme innuit suorum poëticorum Operum argumenta.

Per quinquennia jam decem,
  Ni fallor, fuimus: septimus insuper
  Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.

Nisi me fallo, vixi jam quinquaginta annos; insuper, a quo tempore agito

NOTÆ

[a] *V. cl.*] Consul non fuit Prudentius, ut hactenus ejus libri fuerunt inscripti. Qui error e loco male intellecto natus est; deinde e notis literarum V. C. quas Aldus et Lilius interpretantur, Viri Consularis; sed rectius Alciatus, Viri clarissimi, aitque abolitam ea ætate fuisse consuetudinem, qua quis Consularis diceretur.

1 *Per quinquennia*] Cum Poëta ageret annum ætatis septimum et quinquagesimum, quod reliquum erat vitæ, dedicat rebus divinis. Quid per adolescentiam egerit, quid per juventutem, narrat, quamdiu causas declamaverit, quot urbibus præfuerit, deinde cur in palatio cum Cæsaribus non versatus fuerit usque ad senectutem.

3 *Cardo*] Cardines dicuntur hæ duæ cœli partes immobiles sibi mutuo oppositæ, quarum altera ad septemtrionem, altera ad austrum. Linea autem recta, quam Astronomi ab uno cardine ad alterum imaginantur, proprie axis appellatur, circa quem axem cœlum volvitur.

Instat terminus, et diem
Vicinum senio jam Deus applicat.
Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?
Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis. Mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine:
Tum lasciva protervitas,
Ac luxus petulans (heu pudet ac piget!)
Fœdavit juvenem nequitiæ sordibus ac luto:
Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis:
Bis legum moderamine
Frænos nobilium reximus urbium,
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos:
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas Principis extulit,

vitam volubilem, annus est revolutus septies motu cœli. Quid ego egi conducibile ad salutem spatio tanti temporis? Per primam ætatem flens subjeci manum ferulis sonantibus. Jam adolescens plenus criminibus didici dicere falsa criminose. Deinde libido damnosa atque licentia effræna contaminarunt meam juventutem flagitiis et delictis: quorum eheu me pudet et piget. Inde studium fori exacuit animum fervidum, et cupido immoderata vincendi attulit casus fatales. Postea bis habui imperium in urbes claras, et administravi leges: jus dixi inter cives; terrui malos. Denique Imperator me evexit pro sua clementia ad tantam dignita-

6 *Utile quid tanti* Vat. unus.—11 *Et luxus* T. Bodl. Delph.—12 *et luto*

NOTÆ

8 *Mox docuit toga*] Nempe virilis. Nam post togam prætextam pueri anno ætatis 18. sumebant togam virilem; quo tempore, ut inquit Terentius, erat liberior vivendi potestas. Pers. 'Totaque impune suburra Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.'

17 *Nobilium urbium*] Quibus urbibus præfuerit dubium est. Alii Romæ præfuisse Prudentium volunt, alii Cæsaraugustæ, quidam Saliæ: sed quam turpiter omnes aberraverint, infra ostendam. Quid ergo sentiendum sit conjectura tantum assequi possumus; cum nec coævi scriptores, nec juniores de ea re scripserint.

20 *Pietas Principis*] Ad præfecturam militiæ perductum fuisse studiis atque suffragio Cæsaris Theodosii affirmant illi, isti vero Honorii benevolentia. Assentior iis, qui volunt Theodosium defendisse, amplificasse, ornasseque Prudentium. Nam anno Christi 348. imperante Constantino natus est, usque vero ad mortem Theodosii arma gessit.

Assumtum propius stare jubens ordine proximo.
Hæc dum vita volans agit,
Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens:
Sub quo prima dies mihi
Quam multas hyemes volverit, et rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Numquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona, vel mala;
Cum jam, quicquid id est, quod fueram, mors abole-
Dicendum mihi, quisquis es, [verit?
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cujus habeberis.
Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat:
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit;
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin dominum canat,

tem militarem, ut jusserit me evectum obtinere secundum locum a se. Dum ætas transiens cito agit illa, senectus, arguens non meminisse me esse natum veteri Salia Consule, venit. Canities capillorum docet, quot hyemes sint secutæ diem meum natalem sub Salia, et quoties tellus fuerit adoperta rosis post hyemem. Numquid ea aut bona, aut mala fortunæ proderunt post mortem corporis? Siquidem adeo sum mutatus morte ipsa imminente, ut jam non sim is, qui fui olim. Jure dicetur mihi, o homo, quisquis es, tua anima jam spoliata est bonis terrenis, quæ quærebat avide. Nam ea, quæ amavisti, non tendunt ad Deum, cujus in ditione deinceps eris. Quare, cum mors jam immineat, deponat anima peccatrix hunc stultum amorem; saltem laudem ore Deum, si non possum meis recte factis; transigam dies in canticis, et nulla sit nox, quin cantem Deum; refutem hæreticos;



H.—22 *vita volans* Vulg. Vat. omn. *vita volens* T.—23 *Obrepsit* Vat. duo. —24 *Mesaliæ* H. Eg. P. *Massaliæ* Codd. quidam. *Messaliæ* W. B. Gold. —28 *proferunt* Eg. P.—34 *Atquin* W. B. Gold. Weitz.—36 *Saltim* Weitz.—

NOTÆ

24 *Veteris me Saliæ*] Omnes fere codices habent *Messaliæ*, vel *Massaliæ*; quare multi interpretes aberrarunt. Fastos enim Consulares si inspicimus et excutimus, sexies Messalas, diversos tamen, Romæ consules fuisse reperimus ab urbe condita, anno 527. anno 565. et anno 592. anno item 722. et anno 741. denique anno 756. Sed ad hos Messalas non respicit, quos nec vidit Prudentius, nec videre potuit. Sequor igitur sententiam eorum, qui volunt Prudentium natum esse Philippo et Salia consulibus: his enim verbis annum sibi natalem innuet.

Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis,
Carmen Martyribus devoveat, laudet Apostolos.
Hæc dum scribo, vel eloquor,
Vinclis, o utinam, corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo!

exponam dogmata fidei Catholicæ; proteram cultus profanos; et inferam, o Roma, detrimentum tuis falsis Diis; dicam carminibus mortem martyrum; scribam odas Apostolis. O utinam, dum scribo et loquor talia, mens mea soluta a corpore evolet ad cælum, ad quod vox ultima linguæ mobilis ascendet!

39 *Puget* Eg.

NOTÆ

39 *Pugnet*] Ipse his versibus materiam librorum suorum percurrit. Hinc colligimus alia opera, quæ Prudentio tribuuntur, ipsius non esse; quia omnium, quæ nunc edita extant, facit mentionem, aliorum nullam, ut Ditrochæi et Hexaëmeri.

41 *Roma*] Urbs satis nota; 12. milliaribus distat ab ostiis Tiberinis, et ab ora maris Tyrrheni in Boream.

44 *Emicem Liber*] Alludit ad verba Apostoli: 'Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus? Cupio dissolvi, et esse cum Christo.'

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

CATHEMERINON LIBER.

HYMN. I. AD GALLI CANTUM.†

Hymnos quotidianos a galli cantu auspicatur, non illo sane primo quem galli media nocte edunt, uti Nebrissensis, Chamillardus, aliique interpretati sunt; sed qui postremus sub adventum lucis contingit, quique proprie *Gallicinium* dicitur. Hoc enim tempore 'strepunt aves ... paulo ante quam lux emicet,' ut hoc Hymn. vss. 13. 15. Hortatur autem in ipso fideles, ut gallo canente surgant omnes ad canendum Christo Deo, petendamque peccatorum suorum condonationem.

ALES diei nuntius
Lucem propinquam præcinit;
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.

Gallus nuntius diei cecinit solem esse propinquum. Christus excitator ani-



† *Ante lucem* Vat. unus.—6 *Ægros, sopores, desides* W. B. G. Heins. ex

NOTÆ

1 *Ales diei*] Incipit Prudentii Cathemerinon, h. e. hymnorum per horas diei; atque auspicatur a galli cantu, nempe a media nocte, quam Varro Gallicinium vocat. Nam media nocte inclinante, gallus prope semper canit. Hortatur itaque Poëta, ut gallo canente omnes surgant ad canendum Christo Deo, petendamque peccatorum condonationem. Dicit primo per gallum figurate debere intelligi Christum; et quemadmodum ille prædicit lucem prope futuram, et tenebrarum noctis magnam partem abscessisse, ita Christus vocat nos, ut relictis tenebris peccatorum surgamus ad vitam.

4 *Ad vitam*] Joann. cap. XIV. 'Ego sum via, veritas, et vita.'

Auferte, clamat, lectulos
Ægros, soporos, desides:
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate: jam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere;
Ni parte noctis addita
Tempus labori adjeceris.
Vox ista, qua strepunt aves,
Stantes sub ipso culmine,
Paulo ante quam lux emicet,
Nostri figura est judicis.
Tectos tenebris horridis
Stratisque opertos segnibus,
Suadet quietem linquere
Jamjamque venturo die.
Ut cum coruscis flatibus
Aurora cœlum sparserit
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.

narum jam nos evocat ad vitam: atque exclamat, O sepulti somno letali, surgite de lectulis; et casti, sancti, ac sobrii vigilate, ego sol justitiæ jam appropinquo. Nisi incubueris labori per aliquod tempus noctis, est desidiosi hominis excitari e cubili, sole corusco jam orto. Isti cantus, quos volucres, stantes supra domos, dant, paulo ante quam aurora rubescat, adumbrant vocem nostri judicis, et monent ut, qui nunc involuti sumus densis tenebris, et jacentes in lectis, qui inspirant segnitiem, pellamus somnum, die mox venturo; ut, statim atque aurora resperserit aërem flatibus rutilis, roboret spe diei homines exercitatos labore. Ille somnus, quem



fide Mss. Put. T. Alt. Eg. P. quibus Vat. omn. concordant præter duos, quorum prior habet *Ægros sopore desides*, alter cum Gold. et Weitz. *Ægro sopore desides*. In A. legitur *Ægros, sopores des.*—7 *Casteque* Gold. W. Weitz. sed in W. *Castique* superscr.—13 *Vox illa* quidam.—15 *Nova ante* Vat. unus. —19 *Monet* quidam.—21 *fletibus* ex conj. Chamillard.—26 *Mortis imago est*

NOTÆ

21 *Coruscis flatibus*] Licet omnes constanter habeant *flatibus coruscis;* mihi tamen vehemens est suspicio, *fletibus coruscis* legendum esse. Poëtæ enim finxere roris matutini guttas fletus esse Auroræ surgentis ac lacrymas, quibus et cœlum et flores tingebat. Adde quod illud epithetum rectius conjungatur *fletibus*, quam *flatibus*.

Hic somnus ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis:
Peccata, ceu nox horrida,
Cogunt jacere ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet:
Adesse jam lucem prope,
Ne mens sopori serviat.
Ne somnus usque ad terminos
Vitæ socordis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.
Ferunt, vagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparsim timere et cedere.
Invisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscii

sapimus ad tempus, est imago mortis æternæ animæ ; et peccata cogunt, veluti nox cæca, jacere et altum dormire. Sed vox Christi docentis nos monet e cœlo diem nostræ salutis illucescere, ne animæ patiantur soporem, ne homo deditus flagitiis, et immemor suæ lucis indulgeat somno usque ad extremum vitæ inertis. Fama est dæmones, qui amant obscuritatem noctis, errabundos huc et illuc fugere perterritos ad cantum galli, et decedere de loco : nam squalore noctis deterso appropinquatio Christi, nostræ lucis et salutis, inimica dæmonibus, hos satellites noctis convertit in fugam. Illi præscii noverunt cantum galli esse signum spei promissæ,

perpetis Put. a m. pr. *Imago mortis perpetis* Heins. in not.—31 *Adesse lucem proxime* Vulg.—34 *Mentes socordes* Vat. unus. *Vitæ socordes* Eg. a m. sec.—

NOTÆ

25 *Hic somnus*] Moraliter per somnum, qui est mortis imago, intelligimus animæ mortem, et noctis per tenebras peccata.

26 *Est forma mortis perpetis*] In Puteano a manu prima, *Mortis imago est perpetis*. Forte *imago mortis perpetis*, ut per epexegesin ista dicantur, quod Prudentio solenne. Respexit autem Poëta Nasonianum illud, 'Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago ?'

37 *Ferunt, vagantes dæmonas*] Nonnulli in ea fuerunt opinione dæmones per aëra tota nocte volitare ac vagari.

Norunt repromissæ spei:
Qua nos soporis liberi
Speramus adventum Dei.
  Quæ vis sit hujus alitis,
Salvator ostendit Petro,
Ter ante quam gallus canat,
Se se negandum prædicans.
  Fit namque peccatum prius,
Quam præco lucis proximæ
Illustret humanum genus,
Finemque peccandi ferat.
  Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.
  Nec tale quicquam postea
Linguæ locutus lubrico est:
Cantuque galli cognito
Peccare justus destitit.
  Inde est, quod omnes credimus,
Illo quietis tempore

qua nos excitati ex sopore animi expectamus adventum Christi. Christus prædicens Petro sese ter negatum iri ab ipso, priusquam gallus cantaret, significavit quanta esset potestas hujus alitis. Nam fit reus, antequam gallus monitor diei proximi lucem afferat hominibus, et imponat finem ipsius perjuriis. Denique Petrus perjurus flevit scelus, quod admiserat ore, cum animus non esset particeps culpæ, et is mansisset defensor fidei; neque, posteaquam resipuit, tale verbum est lapsum ex ipsius ore: et audito cantu galli cessavit peccare jam fidelis. Quare

53 *peccator* Heins.—62 *Linguæ l. lubrico* N. A. Eg. P. Gold. Heins. Weitz. Vat. præstantiores, et superscr. in H. *Lingua l. lubrica* B. W. et Edd. vet.

NOTÆ

57 *Negator* [*peccator*] Quidam *negator*, ut Anton. Nebrissensis, quidam *peccatum*, alii *peccator*, quos secutus sum, licet Giselinus improbet; quia paulo post mentem Petri mansisse integram, animumque servasse fidem affirmat Prudentius. Quis enim negare potest hunc Apostolum peccasse? Scio tamen multos scriptores asseruisse ore tenus tantum Petrum negasse fidem.

Quo gallus exsultans canit,
Christum redisse ex Inferis.
Tunc mortis oppressus vigor,
Tunc lex subacta est Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coëgit cedere.
Jam jam quiescant improba,
Jam culpa furva obdormiat,
Jam noxa letalis suum
Perpessa somnum marceat.
Vigil vicissim spiritus
Quodcumque restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrii:
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Sat convolutis artubus
Sensum profunda oblivio
Pressit, gravavit, obruit
Vanis vagantem somniis.

credimus omnes hac hora noctis, qua gallus exsiliens cantat, Christum resurrexisse e limbo. Tum vires mortis fuerunt fractæ, tum potentia inferorum fuit devicta, tum lucis vis major fugavit tenebras. Jam ergo mala opera desinant, jam atræ noxæ intermittantur, jam peccatum mortiferum, quasi victum suo sopore, obsolescat. Contra mens vigilans stet, et impendat labori reliquum tempus, dum nox venerit ad metam. Lacrymantes, orantes, sobrii invocemus Christum vocibus: fervens oratio non sinit purum animum languere. Cum membra essent impedita somno, oblivio integra rerum satis diu oppressit, gravavit, obruit nostram mentem, quæ fin-

—69 *vigor* Vat. vetustiores et Weitz. *rigor* G. Heins.—81 *Hisum* Put. sic et alibi.—84 *vetat* Vat. duo a m. sec. *vetet* Gold. Heins. in not.—88 *Vacuis*

NOTÆ

81 *Jesum ciamus vocibus*] *Hisum* veterrimus Puteanus et hoc loco et passim alibi. Ut Hymno VII. vs. 178. atque ita extulisse nonnunquam veteres id vocabuli ex compluribus aliis Prudentii locis fit manifestum, ubi lex metri præscribit sic enuntiandum esse. Apotheoseos vs. 222. 'Scrutati æternum regem cognovimus Hisum:' et vs. 417. 'cognoscimus Hisu,' ubi veterrimi Codices *IHV*. Ita Heinsius.

Sunt nempe falsa et frivola,
Quæ mundiali gloria,
Ceu dormientes, egimus:
Vigilemus: hic est veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quæcumque nos inflant mala,
Fit mane? nil sunt omnia.
Tu, Christe, somnum disjice,
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

gebat vana somnia. Nam ea, quæ ducti falsa gloria mundi patravimus tanquam dormientes, sunt vana et caduca; vigilemus, adest veritas. Aurum, voluptas, gaudium, divitiæ, honores, res prosperæ, et quæcumque nocent, dum pariunt superbiam, evanescunt luce adveniente. Tu, o Jesu, fuga soporem, tu abrumpe vincula tenebrarum; tu expelle vitia tam inveterata, et immitte novam lucem.



Vat. unus.—97 *dissici* W. B. P. Heins. fuit et in Gold. sed mutatum in *disjice* quod in Vulg.

II. HYMNUS MATUTINUS.†

Depulsis noctis tenebris, ac die jam affulgente, quæ luce sua omnia detegit, Christum orat, ut lumine suo cordis nostri tenebras penetret ac dissipet, quo pura mente et pio cantu diem auspicantes, totam inoffenso pede traducamus.

Nox, et tenebræ, et nubila,
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.

O nox, o caligo, et nubes, quæ repletis terram confusione et tumultu, abite: lux oritur, cœlum illustratur, Christus venit. Ut tenebræ terræ impetitæ radiis

NOTÆ

† *Hymnus matutinus*] Matutinum tempus inter gallicinium et ortum solis; in quo incipiunt tenebræ evanescere, et lux increbrescere. Unde de tenebris, peccatis scilicet, ac de luce, nempe Christo, multa dicit per allegoriam.

Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo:
Rebusque jam color redit
Vultu nitentis sideris.
Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisque pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescet Deo.
Tunc non licebit claudere
Quod quisque fuscum cogitat:
Sed mane clarescent novo
Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem squalido
Impune peccat tempore:
Sed lux dolis contraria

solis dissipantur, et aspectus lucidi sideris jam inducit colorem rebus; ita Christus regnans dissipat jam caliginem nostræ mentis, et resolvit nubes discussas cordis referti dolis. Tum nemo poterit occultare perversa cogitata, quæ habet; sed cuncta arcana animi patefacta luce nova apparebunt. Latro furatur impune nocte tenebrosissima ante adventum diei, sed dies adversus fraudibus statim detegit furta.



1 *jubila* Eg.—8 *nitenti* H.—12 *pallescit* Vat. tres; Heins. Delph. Weitz.

NOTÆ

5 *Caligo terræ*] Nox ac tenebræ, quæ terra interveniente fiunt, sole ab aspectu nostro subtracto. 'Ipsa enim,' inquit Cicero, 'umbra terræ soli officiens noctem efficit.'

6 *Spiculo*] Radiis, improprie. Alibi rectius dicit, 'radiorum spicula.' Radii enim spiculis comparantur. Lucret. 'Non radii solis, neque lucida tela diei:' et lib. VI. 'Et radii solis cogebant undique terram Verberibus crebris extrema ad limina apertam, In medio ut propulsa suo condensa coiret.'

7 *Jam color redit*] Eodem sensu Virg. 'Et rebus nox abstulit atra colorem.' Seu quod colores non distinguantur a lumine, diversoque lucis repercussu varii reddantur colores; seu quod solis tantum beneficio isti colores cernantur. Id tractatur fusius ab Epicureis, contra quos tamen Academici repugnant.

12 *Pallescet*] Alludit ad tempus matutinum, quo aurora pallet. Virg. Æn. IV. 585. 'Tithoni croceum linquens aurora cubile.' Aurora enim, ut videre est, in rosæ colore albicat, sicuti in igne flamma albescit. Quare et ab antiquis poëtis, rosea seu rosida interdum appellatur, et candida et pallida. Lucret. lib. V.

17 *Ante lucem*] Omnia hæc exempla referuntur ad illa Christi verba: 'Qui male agit, odit lucem.'

Latere furtum non sinit.
Versuta fraus et callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.
Sol, ecce, surgit igneus;
Piget, pudescit, pœnitet;
Nec teste quisquam lumine
Peccare constanter potest.
Quis mane sumtis nequiter
Non erubescit poculis;
Cum fit libido temperans,
Castumque nugator sapit?
Nunc, nunc severum vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio.
Hæc hora cunctis utilis
Qua quisque, quod studet, gerat,
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, institor.

Fallacia astuta et artificiosa amat jacere in tenebris: et impudicus tectus quærit noctem faventem libidini. Sol vero coruscus oritur, illum piget, pudet, pœnitet; et nemo potest manere in peccatis, cum lux est orta. Quis matutinis horis non erubescit perpotasse vitiose totam noctem: cum libidinosus se continet, et obscœnus amat castimoniam. Tum unusquisque vivit vitam sanctam, tum nemo audet lascivire, tum omnes dissimulant suas ineptias vultu gravi. Tempus matutinum est commodum omnibus, ut miles, judex, nauta, opifex, agricola, mercator agant id,

—15 *clarescunt* Gold.—21 *Versuta frons* Bodl.—40 *insitor* W. B.—53 *questibus*

NOTÆ

39 *Togatus*] Hoc loco 'togatus' pro judice sumitur, sequitur enim: 'Illum forensis gloria.' 'Toga porro,' ut ait Cicero, 'pacis est insigne et otii.' Atque alibi: 'Cedant arma togæ;' quæ judicibus præcipue tribuuntur.

40 *Institor*] Ita negotiator appellatus ex eo est, teste Ulpiano lib. III. de institoria actione, quod negotio gerendo insistat. Quidam legunt, *insitor*, qui inserit, seu olitor; sed nihil ad Poëtæ intelligentiam. Adde quod mentionem de mercatore et rustico infra facit Prudentius, h. e. de institore et aratore, non vero de olitore. 'Mercator hinc ac rusticus avara suspirant lucra.'

Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum.
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli ac fœnoris
Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellica,
Te, Christe, solum novimus:
Te mente pura et simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu
Flendo et canendo discimus.
His nos lucramur quæstibus,
Hac arte tantum vivimus,
Hæc inchoamus munera,
Cum sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitamque totam dispice:
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.

quod amant. Alter ducitur laude forensi, alter periculoso exercitio belli; negotiator vero, et villicus liguriunt aridum lucrum. At ego, o Christe, qui prorsus nescio lucrari, et negotiari, et perorare, neque sum clarus arte militari, te novi unum; scio te invocare gemendo, necnon cantando et corde casto nitidoque, et ore, et sanctis canticis, et genibus flexis. Cum sol oriens refulget, ego facio hæc lucra; vivo illa una arte, curo hæc officia. Respice mea cogitata, perspecta omnia mea acta, quorum quamplurima sunt inquinata vitiis, quæ detergentur tuo lumine. Fac



B. Gold.—58 *despice* Vat. unus, Isonius, Weitz. Gold. W. B.—59 *fuscis*

NOTÆ

42 *Classicum*] Proprie sonus est tubæ; sumitur tamen pro ipsa tuba, ut apud Virg. Æn. VII. 637. 'Classica jamque sonant, it bello tessera signum.' Sic dictum, quod classico multitudo calaretur, i. e. vocaretur, sive ad bellum, sive ad concionem.

45 *Lucelli*] Lucri diminutivum. Cic. v. in Verr. 'Age, quid tum? si Apronio deliciis Prætoris lucelli aliquid jussi sunt dare, putate Apronio datum: si Apronianum lucellum, ac non Prætoria præda vobis videbitur.'

59 *Fucis illita*] Maculata vitiis. Legitur et *fuscis*, i. e. inquinata tenebris, et sic magis cohæret sequens sententia, 'Luce purgentur tua.' Aut respicit ad aliam solis proprietatem, qui non solum illustrat, sed etiam purgat.

Durare nos tales jube,
Quales, remotis sordibus,
Nitere pridem jusseras,
Jordane tinctos flumine.
  Quodcumque nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu, rex, eoi sideris,
Vultu sereno illumina.
  Tu, sancte, qui tetram picem
Candore tingis lacteo,
Ebenoque crystallum facis,
Delicta terge livida.

ut ego maneam is, qui olim fui, quando jussisti me lotum in aquis baptismatis renidere, meis peccatis deletis. Tu, o Sancte Jesu, qui vertis tetrum nigrorem peccati in candorem niveum, et reddis colorem animæ, qui erat similis ebeno, dilucidiorem crystallo, absterge atra crimina. Jacob est luctatus audacter cum

Eg. G.—67 *Tu, lux* B. Heins.—72 *tergens* Vat. un. B. H.—76 *prælium* Vat.

NOTÆ

64 *Jordane flumine*] I. e. aqua baptismi, quæ jam inde a Christi baptismate fuit consecrata. De Jord. inf.

67 *Eoi sideris*] I. e. luciferi, de quo etiam Cinna in Smyrna sic ait: 'Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.' Et Virg. Georg. I. 288. 'Aut cum sole novo terras irrorat eous.'

69 *Tetram picem*] Isaias, 'Si fuerint,' inquit, 'peccata vestra, ut coccus, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra, sicuti murex, velut lana alba erunt.'

70 *Candore lacteo*] Tantus enim est lactis albor, ut candida dicantur lactea. Virg. Æn. X. 137. 'Fusos cervix cui lactea crines Accipit, et molli subnectit circulus auro.'

71 *Ebeno*] Dicitur hoc ebenum, et hæc ebenus. De ea sic Plin. XII. 4. 'Unam e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nusquam alibi nasci professus. [Georg. I. 117.] India nigrum Fert ebenum. Herodotus eam Æthiopiæ intelligere maluit...Romæ eam magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Uritur odore jucundo.'

Crystallum facis] Κρύσταλλος glacies. Unde gemma candida et pellucida, quæ gelu vehementiore concrescit, dicitur crystallus. Quare optime Prudentius nigrorem ebeni crystalli fulgori opponit.

72 *Livida*] Nigra scilicet. Virg. Æn. VI. 320. 'Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt.' Ubi Servius: 'Et 'lividum' non nisi apud neotericos invenimus.' Lucanus: 'Livor edax tibi cuncta negat, gentesque subactas.' Lividus enim proprie is est, qui ex ictu fustis, alteriusve corporis duri, plumbeum colorem in parte læsa contraxit.

Sub nocte Jacob cœrulea,
Luctator audax Angeli,
Eo usque dum lux surgeret,
Sudavit impar prælium.
Sed cum jubar claresceret,
Lapsante claudus poplite,
Femurque victus debile,
Culpæ vigorem perdidit.
Nutabat inguen saucium,
Quæ corporis pars vilior,
Longeque sub cordis loco
Diram fovet libidinem.
Hæ nos docent imagines,
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui

Angelo per noctem nigram, atque impar viribus laboravit, quoad sol surgeret. Sed vix aurora reduxit diem, is claudus succiduo poplite, et debellatus, coxendice fracta, amisit vires, quibus male utebatur. Inguen pars fœdissima totius corporis, et fovens longe a sede cordis turpem voluptatem, titubabat ob vulnus acceptum. Nos colligimus ex hoc exemplo vires rebelles hominis jacentis in tenebris peccati infringi, nisi forte cesset pugnare contra Deum. Attamen ille erit bea-

antiquiores, Weitz. Eg. H. et G. curis sec. *prælio* W. B. Vulg.—78 *Laxante* Gold. unde Weitz. ex conj. legit *Luxante*.—83 *luco* Eg. P.—93 *facessat*

NOTÆ

73 *Jacob*] Isaaci filius et Rebeccæ. Isaacus sexagenarius, conjugis sterilitate precibus discussa, geminos filios ex ea suscepit Esau et Jacobum, anno ante Christum 1876.

76 *Sudavit impar prælium*] Non *prælio*. Apud Claudianum Nuptiis Honorii Aug. 'Quæ prælia sudas?' Et Prudentius id verbum frequenter cum casu quarto conjungit. Hymno proximo 'Mella sudat recens favus.' Et Hymno sexto, 'Resudare crapulam.' Et in Apotheosi, 'Crudus conviva resudat Congeriem ventris.' Hymno in exequiis defuncti, 'Morbus tormenta resudans,' atque ita passim Noster.

77 *Sed cum jubar*] Id totum legimus Genes. XXXII. ubi discimus Jacobum redeuntem ex Mesopotamia, cum venisset ad locum quem ipse vocavit Phanuel, per totam noctem pugnasse cum Angelo.

Luctando claudum et tabidum
Dies oborta invenerit.
Tandem facessat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.
Hæc lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi,
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici:
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est,
Humana quod mens concipit;
Hunc nemo fallit judicem.

tior, cui post luctationem pars illa, in qua sedebat peccatum, erit clauda et livida, sole oriente. Jam tandem recedant tenebræ, quæ nos sæpe lapsos gressibus errabundis egerunt præcipites per vias obliquas. Christus nostra lux adducat tempus sudum, et nos reddat gratos sibi. Dicamus nullum verbum fallax, mente agitemus nullum pravum consilium. Vivamus per totum diem ita ut nec lingua subdola, nec manus, nec oculi mobiles labantur in vitium, nec corpus maculetur ullo crimine. Desuper est Deus explorator, qui cunctis diebus ab ortu solis usque ad vesperam nos contemplatur, et nostra facta. Hic est testis, hic est judex, hic videt id omne, quod animus hominum excogitat, et nemo potest ipsi imponere.



Heins. e vet. codd. et in W. superscr. *fatescat* Weitz.—103 *oculine* Put. Eg. B. —108 *E luce* quidam.

NOTÆ

105 *Speculator astat*] Ita David: 'Oculi Domini prospiciunt, et palpebræ ejus explorant filios hominum.' Ita Salomon: 'In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.'

111 *Mens concipit*] Quia 'scrutans corda et renes.'

III. HYMNUS ANTE CIBUM.

Hortatur seipsum Poëta ad cibi parsimoniam et sobriam cœnam quam describit.

O CRUCIFER bone, lucisator
Omniparens, pie, verbigena,
Edite corpore virgineo,
Sed prius in genitore potens,
Astra, solum, mare quam fierent.
Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus; et irradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine,
Nec juvat ore quid appetere,
Pocula ni prius, atque cibos,
Christe, tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.

O bone Jesu, qui pependisti in cruce, qui creasti lucem et omnes res, qui es verbum genitum, qui es ortus de sanguine Mariæ: licet esses omnipotens in Patre, priusquam cælum, terra, mare crearentur, aspice nos, quæso, bono vultu: pacatus ostende tuam faciem salubrem, et nos illumina, ut possimus agere hoc convivium laudantes tuum nomen. Mi Jesu, quid non est injucundum sine te? nec fas est Christianis quicquam comedere, quin prius, o Christe, tua clementia benedixerit potum et cibum: quia fides sanctificat cuncta. Nostræ escæ redoleant Jesum, et

1 *lucis auctor* P.—4 *manens* Vat. un.—20 *superne* Heins. in not. Put. Alt. Eg.

NOTÆ

2 *Omniparens*] Omnium rerum pater: quia per Filium Pater omnia creavit, et ipse per se cum Patre et Spiritu Sancto Creator est. Joan. cap. I. ' Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt.'

Verbigena] Constat de Christo illud nomen dici non posse juxta Latini sermonis usum ac regulas. Modo enim proprie exponatur, ' verbigena ' nihil aliud erit, quam verbo genitus, ut ' Martigena ' Marte genitus, ' Junonigena ' Junone genitus. Quod a sensu Poëtæ valde alienum est, atque a fide. Siquidem Christus non est a verbo partus, sed verbum ipsum est a Patre editum. Eodem vocabulo usi sunt Sanctus Augustinus Confess. II. 7. et Cyprianus in expositione symboli.

Fercula nostra Deum sapiant,
Christus et influat in pateras:
Seria, ludicra, verba, jocos
Denique quod sumus, aut agimus,
Trina superne regat pietas.
Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor:
Sed liquor influit ambrosius
Nectareamque fidem redolet
Fusus ab usque Patris gremio.
Sperne, Camœna, leves hederas,
Cingere tempora quis solita es,
Sertaque mystica dactylico
Texere docta liga strophio,

potiones sentiant Jesum. Sancta ipsa Trinitas dirigat nostram gravitatem, nostram oblectationem, nostra colloquia, nostras lusiones, demum vitam et actiones. In hac cœna nulla sunt unguenta rosacea, nullus suavis odor spargitur, sed cibus divinus defluit, adest nectar cœleste, missum ex sinu ipso Patris æterni. O mea musa, ne ambias hederas profanas, quibus solebas redimire caput; sed, jam sciens serta sacra texere, cinge caput corona Carminum dactylicorum, et esto ornata

superna Weitz. et al.—22 *fraglat* B. *flagrat* W.—34 *Quam data munera si recinat*,

NOTÆ

16 *Deum sapiant*] Divinum habeant saporem. Plin. 'Jucundiora unguenta esse dicuntur, quæ terram sapiunt, quam quæ crocum.'

17 *Pateras*] Poculi genus. Macrob. Sat. v. 21. 'Patera, ut et ipsum nomen indicio est, poculum planum ac patens est.' Varro de L. L. lib. IV. 'Patera, quod pateat, dicta est.'

20 *Superne* [*Superna*] *Superne* multi legunt, nec male. Superne, enim, et inferne, et interne, syllabam postremam corripiunt. Lucret. lib. VI. 'Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas.' Auson. in Epist. ad Theonem: 'Implicitum quam te nostris interne medullis Defore.'

21 *Hic*] Alludit ad morem antiquorum, qui in conviviis sumtuosioribus coronati, et unguentis delibuti discumbebant. Cicer. Tusc. v. 'Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere. Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores.'

26 *Hederas*] Notat Servius ad hunc versum Virgilii: 'Pastores hedera crescentem ornate Poëtam;' hedera Poëtas coronari, vel quia Libero Poëtæ sacri sunt, propter furorem, quo bacchantium instar insaniunt; vel quia hederæ sicut lauri semper virent, ideo carminibus portendunt æternitatem.

29 *Strophio*] Corona scilicet. Plin. XXI. 2. 'Tenuioribus utebantur antiqui coronis, strophia appellantes.'

Laude Dei redimita comas.
Quod generosa potest anima,
Lucis et ætheris indigena,
Solvere dignius obsequium,
Quam data munera si recinat
Artificem modulata suum?
Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus,
Aëre, gurgite, rure creant;
Hæc mihi subdidit, et sibi me.
Callidus illaqueat volucres
Aut pedicis dolus aut maculis:
Illita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, et abire vetant.
Ecce per æquora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt:
Piscis item sequitur calamum,

Dei laudibus. Quodnam debitum rectius potest solvere nobilis anima, et trahens originem a luce et cœlo, quam si, laudando suum beneficum, recenseat beneficia accepta. Nam Deus concessit hominibus omnia, quæ cœlum emittit ex aëre, aut terra ex agris, aut mare e gurgite. Hæc cuncta subjecit mihi, me vero sibi. Nunc astuta fraude capimus aves seu laqueis seu retibus; nunc virgultis oblitis visco e cortice implicamus totam seriem volucrum, nec sinimus effugere. Nunc sinuosis retibus attrahuntur pisces errantes per mare: rursum alii pisces addu-



Art. sic cum Vat. cod. interpungit Ed. Parm. secus ac Heins. et Cellar.—44

NOTÆ

32 *Ætheris indigenæ*] Quæ cœlestem habet originem. Juven. 'Sensum a cœlesti demissum traximus arce.'

34 *Munera recinat*] Juxta illud Genes. 'Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis universæ terræ.'

42 *Aut pedicis*] Nempe laqueis, quibus implicantur pedes. Virg. Georg. I. 304. 'Tunc gruibus pedicas, et retia ponere cervis.'

43 *Glutine corticeo*] Visco, quod fit aut ex corticibus quarundam arborum, aut quod iis innascitur ex stercore turdorum. Virg. Georg. I. 'Tunc laqueis captare feras, et fallere visco.'

47 *Texta sinuosa*] Retia quam plurimos sinus habentia, contexta ex cannabe aut lino.

Raptus acumine vulnifico,
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferæ segetis;
Hic, ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca viret.
Hæc opulentia Christicolis
Servit, et omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum;
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo

cuntur arundine, correpti hamo vulnerante, et os habentes sauciatum illa esca. Terra ferax tritici explicat suas opes, ubi rami vitis effundunt palmites frondosos, ubi oliva, quæ est insigne pacis, virescit. Hæ divitiæ paratæ sunt Christianis, et iis subministrant omnia alimenta. Nam longe a nobis absit tanta libido edendi, ut occidamus pecora, et vescamur cibis cruentis. Gentes barbaræ habeant sibi has sanguineas epulas ex belluis cæsis. Nobis folia herbarum hortensium, et vaginæ, in quibus varia legumina crescunt, præbeant cibum innoxium. Possu-



plumi geram Weitz. Heins. in not. *plumigenam* H.—64 *ligumine* Eg.—74 *liquet*

NOTÆ

52 *Aristiferæ segetis*] Posuit pro quibuscumque terræ frugibus, speciem pro genere, aut frumentum intelligit, puta hordeum, triticum, tipha, far, semen quod fert aristas.

53 *Pampineo*] Pampinus dicitur in vite tener frondosusque coliculus, fructum fovens. Virg. Georg. I. 'Heu male tunc mites defendit pampinus uvas.'

54 *Brachia*] Ducta est metaphora a brachiis hominum; brachia trunco adhærent, rami brachiis, germina ramis. Virg. Æn. VI. 'In medio ramos, annosaque brachia pandit.'

55 *Bacca*] Significat minutiores arborum fructus, ut sunt lauri et olivæ. De oliva inf.

58 *Absit*] Non quod putet id vetitum fuisse Christianis, sed quod primis illis ecclesiæ temporibus, plerique carnibus abstinerent, ut vitam ducerent austeriorem.

63 *Siliqua*] Pro leguminibus posuit Siliquas, ut apud Hor. Epist. II. 1. 'Vivit siliquis et pane secundo.' Proprie tamen siliqua pericarpium est, seu folliculus, involucrum seminis, pecoris potius quam hominis pabulum: unde Horat. extremam frugalitatem ea voce expressit.

Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices,
Perque coagula densa liquor
In solidum coit, et fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente favus:
Hæc opifex apis aërio
Rore liquat, tenuique thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt:
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosque jacit cumulos.

mus congerere in mulctras spumantes liquorem candidum duorum uberum belluarum, quem liquorem cogimus in duritiam per densa coagula; et premimus lac molle in fragili fiscina. Favus novus nobis stillat mel optimum, et liquorem suavissimum. Apes opifices, quæ non indulgent concubitui, illud liquefaciunt rore cælesti, et tenui thymo. Quin etiam detrahimus maturos fructus ex quamplurimis pomis. Arbores onustæ demittunt concussæ sua poma ad similitudinem imbris, et

NOTÆ

66 *Mulctra*] Mulctra, vel mulctrum, vas rusticum excipiendo lacti comparatum. Virg. Ecl. III. 'Ego hanc vitulam, ne forte recuses, Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus, Depono.' Mulctra etiam sumitur pro ipsa actione mulgendi.

68 *Coagula*] Coagulum vas dicitur, quo ad densandum lac utimur. Ovid. Met. XIII. 'Lac mihi semper adest niveum; pars inde bibenda Servatur; partem liquefacta coagula durant.'

69 *Fragili calatho*] Fiscina, unde lac exprimitur.

71 *Cecropia*] I. e. Attica. De melle Attico inf.

72 *Nectare olente*] Deorum potio est, teste Cic. Tusc. I. 'Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante lætari arbitror.' Sunt tamen, qui interpretentur vinum in Lydiæ Olympo concinnatum favis permistis, et floribus odoratis. Ut ut est, constat nectar sumi pro quocumque liquore amœno.

75 *Nexilis inscia connubii*] Virg. Georg. IV. fusius id explicat: 'Illum adeo placuisse apibus mirabere morem, Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.' Ita Plin. II. 16. 'Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos et subtilis quæstio fuit; apum enim coitus visus est nunquam.' Ita Aristoteles aliique, qui putant aliquid reperiri in floribus, quod sit seminis loco.

Quæ veterum tuba, quæve lyra
Flatibus inclyta, vel fidibus,
Divitis omnipotentis opus,
Quæque fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat!
Te, Pater optime, mane novo,
Solis et orbita cum media est,
Te quoque luce sub occidua,
Sumere cum monet hora cibum,
Nostra, Deus, canet harmonia.
Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,
Pulsat et incita quod resonam
Lingua sub ore latens caveam,
Laus superi Patris esto mihi.
Nos igitur tua, Sancte, manus
Cæspite composuit madido,
Effigiem meditata suam:
Utque foret rata materies
Flavit et indidit ore animam.
Tunc per amœna vireta jubet

dant copiam fructuum rubicundorum. Qui veteres Poëtæ heroici, aut qui Lyrici, inflantes tubam, aut pulsantes lyram, possent exæquare laudibus munera Dei divitis, et ea, quorum usum concessit hominibus. Quare, o Deus optime, mea lyra tibi agat gratias tempore matutino et meridiano, cum currus solis contingit mediam metam, atque etiam serotino, cum est tempus cœnandi. Ego laudem Patrem cœlestem, quia calor vitalis intus viget, quia arteria abscondita in corde salit, et quia lingua inclusa in ore, mota pellit aërem ad palatum concavum. Tua ergo manus divina molita imaginem tuam, finxit hominem de luto; et, ut corpus foret perfectum, inspirasti animam flatu oris. Tum jussisti hominem versari in hortis amœnis ob



B.—82 *inclita* Mss. et Edd. præstantior. *incluta* Eg. *inclyta* Put. *incita* Isonius, Heins. et Vulg.—90 *canit* Heins. Weitz. *harmonia* P.—91 *alitus* Weitz. et W. passim.—93 *resonat* A.—96 *sancte* A. F. *sancta* Weitz.—100 Ad oram h. vs. hic alius habetur in Vat. uno satis antiq. *Ore animam dedit ex proprio,*

NOTÆ

89 *Sumere*] Seu quod antiqui, atque Christi temporibus, cœnabant hora nona diei; seu quod jejunantes non sumebant cibos ante horam vespertinam.

100 *Flavit*] Genes. II. 'Formavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,' &c. Hoc capite cetera continentur.

Frondicomis habitare locis:
Ver ubi perpetuum redolet,
Prataque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.
  Hæc tibi nunc famulentur, ait,
Usibus omnia dedo tuis.
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qui medio viret in nemore.
  Hic draco perfidus indocile
Virginis illicit ingenium,
Ut socium malesuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipsa pari peritura modo.
  Corpora mutua (nosse nefas)
Post epulas inoperta vident,
Lubricus error et erubuit:
Tegmina suta parant foliis,
Dedecus ut pudor occuleret.
  Conscia culpa Deum pavitans
Sede pia procul exigitur,
Innuba fœmina quæ fuerat,

arbusta, ubi orbis agebat ver perpetuum; et aqua fluens quatuor fluminum rapidorum alluebat prata distincta multis coloribus florum. Illa omnia tibi obtemperent, inquit illi Deus: ea concedo ad usum tuum; attamen prohibeo ne decerpas fructum ex arbore letifera, quæ est sata in medio paradiso. Tum Serpens, nempe dæmon perfidus, decepit Evæ ingenium inobsequens, ut malo consilio compelleret virum suum Adamum comedere de fructu prohibito, qui ipsi foret pari exitio. Vix comederant, ut agnoverunt invicem corpora esse nuda, quæ non licet intueri, et erubuerunt se fuisse lapsos peccato; itaque faciunt vestimenta ex foliis consutis, ut pudibundi velarent inhonesta. Conscii peccati, et fugientes Deum, longe expelluntur ex loco sancto. Mulier, quæ non fuerat subjecta ante peccatum, venit

NOTÆ

105 *Quadrifluo amne*] Qui dividitur in quatuor illa paradisi flumina, quæ dicuntur Phison, Gion, Tigris, Euphrates.

106 *Famulentur*] Genes. II. 'Præcepitque Deus homini dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.'

111 *Indocile*] Aut pro inobsequenti et immorigero, aut pro indocto et rudi ingenio posuit, quia, teste Aristotele, bonæ artes in fœminis vix reperiuntur.

123 *Innuba*] Viro non erat subjecta ante peccatum, sed socia et omnium

Conjugis excipit imperium,
Fœdera tristia jussa pati.
  Auctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat:
Sic coluber muliebre solum
Suspicit, atque virum mulier.
  His ducibus vitiosa dehinc
Posteritas ruit in facinus:
Dumque rudes imitatur avos,
Fasque nefasque simul glomerans,
Impia crimina morte luit.
  Ecce venit nova progenies,

in potestatem mariti, et coacta est ferre duras leges conjugii. Ipse quoque malignus serpens artifex fraudis punitur hac pœna, ut fœmina conculcet pede caput ejus in quo tres sunt linguæ: sic ille timet pedem mulieris, et mulier veneratur hominem. Exinde nepotes corrupti fecerunt omne scelus, his ductoribus; sed, dum sequuntur parentes indociles, et cumulant fas et nefas, dant morte pœnas peccatorum nefando-



quem et in Put. vidisse se testatur Heins.—130 *Suspiciatque* W. *Suspicit utque*

NOTÆ

participes: unde ait Poëta, 'innuba;' nam nubere est minori conditione se conjugi suo dare, ut colligimus ex Martial. 'Uxori nubere nolo meæ.' Et ex Ovid. 'Tibi nubere, nympha, volentis Votis cede Dei.' Quare Deus dixit mulieri, 'Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tibi.'

128 *Colla trilinguia*] Serpentes triplices habere linguas existimarunt Poëtæ. Virg. Georg. III. 'Linguis micat ore trisulcis.' Sive quod in modum cuspidis conformata triplex habeat acumen; sive quod ita vibretur celeriter, ut non tantum trifida, sed triplex etiam appareat. Unde Ovid. Met. III. 'Tresque micant linguæ.'

130 *Suspicit*] Hoc loco 'suspicit,' duplici debet accipi significatione. In primo versu pro observat sumitur, ut Virg. 'Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus.' In secundo pro veneratur. Eo sensu Plinius Cæcilius in Epist. ait: 'Patrem tuum suspexerim magis, an amaverim.'

136 *Ecce venit*] Jam quomodo Christus humanam induerit naturam explicat Poëta. 1. *Nova progenies:* sumtum illud ex Virg. Ecl. IV. 'Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna, Jam nova progenies cœlo demittitur alto.' 2. *Alter homo.* Ita Paulus I. Corinth. cap. 15. 'Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis.' Et ad Ephes. cap. V. 'Induite novum hominem, nempe Christum.' 3. *Sermo Patris.* Id deductum est ex cap. XVIII. Sapient. 'Dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus descendit.' 4. *Numine quam.* Sic exprimit conceptum ex Spiritu Sancto: ipsum vero Spiritum

Æthere proditus alter homo,
Non luteus velut ille prius:
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisque carens vitiis.
Fit caro vivida Sermo Patris,
Numine quam rutilante gravis
Non thalamo, neque jure thori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
Omnia Virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Quæ feritas modo non trepidat,

rum. Nunc nova soboles venit; secundus homo demissus e cælo, non terrestris ut primus Adam, sed Deus ipse, qui induit naturam humanam, nec est obnoxius pravis libidinibus corporis. Verbum Patris æterni fit homo, quem parit virgo intemerata, et gravida virtute Dei, non ex homine, neque ex usu connubii, neque ex voluptate conjugali. Quod pedes virginis nunc proterat serpentem humi abjectum, id fuit causa illius veteris inimicitiæ, illius cruentæ simultatis inter serpentem et hominem. Nam Maria, quæ Christum parere meruit, frangit vim omnium venenorum. Et serpens jam languidus collectus in spiras vomit suum venenum inefficax in herba viridi, cui similis est colore. Quænam fera non trepidat nunc,



Gold.—138 *velud* H. Weitz.—142 *quam* Eg. P. et Heins. ex Mss. quibus Vat.

NOTÆ

Sanctum vocat rutilantem, forte quod die Pentecostes formam habens linguæ igneæ apparuerit. 5. *Genialibus.* Pro conjugalibus: ut apud Hor. Ep. I. 'Lectus Genialis in aula est.' Virg. Æn. VI. 'Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris.' Cic. in Cluent. 'Leçtum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat.' 6. *Hoc erat.* Genes. cap. III. Deus alloquens serpentem, 'Inimicitias,' inquit, 'ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius.'

Territa de grege candidulo?
Impavidas lupus inter oves
Tristis obambulat, et rabidum,
Sanguinis immemor, os cohibet.
  Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat:
Exagitansque truces aquilas
Per vaga nubila, perque Notos
Sidere lapsa columba fugat.
  Tu mihi, Christe, columba potens,
Sanguine pasta cui cedit avis:
Tu niveus per ovile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub juga tigridis ora premens.
  Da, locuples Deus, hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent:
Neu piger immodicis dapibus

timens turbam baptizatorum. Lupus incedit mæstus inter oves securas, et dentes rabidos continet, oblitus cruoris. Nam admirabili mutatione agnus imperat leonibus, et columba ex alto irruens insectatur per nubes et ventos feroces aquilas, easque fugat. O Christe, tu mihi es illa fortis columba, quæ domat aquilam saginatam nostro sanguine; Tu es agnus ille, qui impedis ne lupus laceret morsu oves tuas, et qui imponis jugum tigridi. O Deus dives, id concede tuis servis petentibus religiose, ut reficiant corpora sustentata modicis epulis; et ne stomachus onustus

NOTÆ

157 *De grege candidulo*] Hominibus baptismate mundatis: baptizati veste candida induebantur, unde Dominica in albis.

162 *Leonibus imperitat*] Cum Pollionis filio Genethliacon Virgilius cecinit, eadem, quæ contra communem naturæ cursum accidunt, aliis verbis descripsit: ‘Nec magnos metuent armenta leones. Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores; Occidet et serpens, et fallax herba veneni Occidet.’

167 *Sanguine pasta cui*] Male monosyllabam hanc dictionem corripuisse Poëtam quis non videt?

170 *Sub juga tigridis ora premens*] Virg. Ecl. v. 29. ‘Daphnis et Armenias curru subjungere tigres Instituit.’ Quod aperte ad Cæsarem pertinet: constat enim primum sacra Liberi Patris transtulisse Romam.

Tigridis] Tigris vox est Armena, ex Varrone, quæ celeritatem significat: unde apud eos, feram illam, sagittam, et flumen celebre significat.

Viscera tenta gravet stomachus.
Haustus amarus abesto procul;
Ne libeat tetigisse manu
Exitiale quid, aut vetitum:
Gustus et ipse modum teneat,
Sospitet ut jecur incolume.
Sit satis anguibus horrificis,
Liba quod impia corporibus
Ah! miseram peperere necem;
Sufficiat semel ob facinus
Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur, quia flante Deo
Compositus, superoque fluens
De solio Patris artificis
Vim liquidæ rationis habet.
Viscera mortua quin etiam
Post obitum reparare datur,
Eque suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,

nimio cibatu, premat viscera distenta. Absit procul hinc potus, qui amaritiem affert: absit ut tangam manu aliquid perniciosum aut vetitum; ipse quoque appetitus temperantiam observet in cibo, ut servet jecur immune a motibus illicitis. Dæmones truces id satis habeant olim perniciosos fructus eheu, attulisse corporibus mortem miseram. Satis habeant hominem creatum a Deo mori semel ob peccatum Adami. Anima, quæ est oris divini flatus, vis ignea, non perit, quia Deus spirans illam creavit, et ipsa veniens e solio cælesti Dei opificis, prædita est facultate rationis. Quinetiam fuit concessum cadaveribus post mortem resurgere; et, membris redactis in pulverem simul coëuntibus, idem corpus resurgit e suo

pæne omn. consentiunt. *quem* Vat. un. Isonius, et Weitz.—175 *tenta* Eg. P. F. Put. Vat. plerique, aliique complures cum Torrentii duobus: *tensa* Vat. un. Weitz. *densa* H. et in W. superscr. B. sed *tensa* superscr. *tanta* A.—177 *Nec* Vulg.—184 *hoc facinus* Gold.—204 *parili* Put. Weitz. Heins. *parilis*

NOTÆ

175 *Viscera tenta* [*tensa*] *Tenta* Puteanus aliique complures. Horat. 'Ubera tenta,' Ovid. 'Nervus tentus.'

182 *Liba*] Libum, placentæ genus ex farina, melle, et oleo, sic dictum a verbo λείβω stillo, quia pars ejus in ignem sacrificiorum injecta Diis libabatur. Hic tamen Prudentius liba dixit et assumsit pro quocumque fructu.

Pulvereo coëunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere more animæ:
Nam modo corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet,
Quæ redolentia funereo
Jussa quiescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

sepulcro. Certe credo, nec credo temere, hæc corpora posthac victura esse similia animæ: siquidem nunc memini Deum hominem rediisse nullo negotio e limbis ad vitam. Eadem sors parata est meo corpori, quod jubetur quidem jacere in sepulcro, sed vocatur inde ad cœlum a Christo duce, qui resurrexit ex eadem terra.



Bodl. A. *homo* Heins. A.

NOTÆ

197 *Corpora vivere*] Pro esse victura, ut sup. 'renascitur' pro renascetur.

198 *Nam modo*] Divi Pauli argumento utitur, ut probet nos resurrecturos, quia Christus resurrexit. De Phlegeth. inf.

203 *Sarcophago*] Sarcophagus, lapidis seu marmoris genus, quod circa Assum Troadis exscinditur, in quo corpora condita defunctorum absumi intra quadragesimum diem constat exceptis dentibus, ut tradit Plin. xxxvi. 17. unde et nomen habet a carne edenda: σὰρξ enim caro est, φάγω comedo. Quare convenienter pro sepulcro poni consuevit. Juven. Sat. x. 'Sarcophago contentus erit.'

205 *Ignea ad astra*] Secundum antiquos, ac præcipue secundum Platonem, qui ignea esse sidera docuerunt. Ac Aristoteles lib. i. de Cœlo asserit illam adhuc suis temporibus viguisse opinionem.

IV. HYMNUS POST CIBUM.

Grates Deo reddit pro cibo sumto, cujus in homines bonitatem commendat historia Danielis, quem in specu leonum jussu Dei Habacuc pavit, eamque ad mores traducit.

Pastis visceribus, ciboque sumto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,

Postquam corpus est refectum, et capessivit cibum, ut lex naturæ debilis exigit,

Laudem lingua Deo Patri rependat:
  Patri, qui Cherubin sedile sacrum,
Nec non et Seraphin suum supremo
Subnixus solio tenet regitque.
  Hic est, quem Zabaoth Deum vocamus,
Expers principii, carensque fine;
Rerum conditor, et repertor orbis.
  Fons vitæ liquida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
Mortis perdomitor, salutis auctor.
  Omnes quod sumus, aut vigemus, inde est.
Regnat Spiritus ille sempiternus,
A Christo simul et Parente missus.

lingua tribuat debitas laudes Patri, qui sedens in throno sublimi tenet et gubernat pro sacro sedili Cherubim atque Seraphim. Deus ille ut Pater, is est, quem nominamus Deum exercituum, qui nec cepit initium, nec habebit finem, et est creator omnium rerum, atque auctor mundi. Ut Filius est principium vitæ nostræ emanans ex arce cœlesti, qui fidem inspirat, qui pudicos mores efficit, qui mortem vicit, qui salutem attulit: accepimus omnes ab eo id quod sumus, aut possumus. Ut est Spiritus æternus regnat procedens a Patre et Filio simul. Ille purus in-



5 *Seraphim* Heins.—7 *Sabaoth* Weitz. Delph. *Zebaoth* A.—13 *Omne* H. Weitz. cui favet Vat. un. ceteri cum Heins. *omnes. ac vigemus* Put. Weitz.

NOTÆ

1 *Sumto*] Sumpo cibo reliquum est, ut Deo gratias agamus. Commendat itaque inprimis Dei omnipotentiam, cui omnia debemus. Deinde dicit nos debere mundatum habere domicilium, h. e. corpus ab ingluvie et crapula, et animam a peccatis, ut simus templum Spiritus Sancti, qui vere est hominis cibus. Agendas autem esse gratias probat Danielis exemplo, ex cujus historia multa, quæ nos spectant, infert moraliter.

4 *Cherubin*] In numero plurali. Nam Cherub et Seraph sunt singularis. Eo loco, vel in accusativo ponuntur, ut sic intelligas Cherubim et Seraphim esse Dei sedile, quibus tanquam sedi innititur; vel in genitivo, quia sedile illius ex Cherubim et Seraphim constat.

5 *Supremo solio*] Per quod intellige omnium rerum arbitrium ac potestatem: quale est illud, 'Super solium David sedebit, et regni ejus non erit finis.'

7 *Zabaoth*] Numeri pluralis, et generis fœminini, quod interpretantur militiarum, et exercituum. Unde Dominus Sabaoth.

15 *Missus*] Prudentius similiter ac Latini Patres contra Græcos asserit a Patre et Filio produci Spiritum Sanctum. Nam de processione Spiritus Sancti Græci a Latinis in eo discrepant, quod hi ex solo Patre procedere existimant, isti a Patre

Intrat pectora candidus pudica,
Quæ templi vice consecrata rident,
Postquam combiberint Deum medullis.
Sed si quid vitii dolive nasci
Inter viscera jam dicata sensit;
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
Tetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumque bonum niger repellit.
Nec solus pudor innocensve votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medii sinu ac recessu:
Sed, ne crapula ferveat, cavendum est:
Quæ sedem fidei cibis refertam
Usque ad congeriem coarctet intus.
Parcis victibus expedita corda

trat casta corda, quæ consecrata instar templi grata sunt, posteaquam receperunt in se intime hunc Deum. Sin autem videt corda jam ipsi dedicata inquinari nonnullis peccatis aut mendaciis, statim egreditur velut e templo violato. Nam conscientia horrens scelere flagranti misere æstuat ceu plena tetro vapore, et immunda fugat Spiritum Sanctum, quem læsit. At non sola pudicitia et studium innocentiæ parant æternum templum Christo intra intimum pectus. Cavendum est etiam ne nos ingurgitemus cibis, qui intus opprimant cor, in quo fides residet, fartum usque ad satietatem. Pectora libera ob parcitatem ciborum, admittunt

Gold. W. sed in W. *aut* superscr.—20 *Intra* Gold. W. Weltz.—25 *innocensve*

NOTÆ

et Filio. In Synodo Tolet. jussu Leonis congregata superadditum fuit Fidei Symbolo de Spiritu Sancto, 'a Patre Filioque procedit,' ut Priscillianistarum errorem refellerent.

16 *Candidus*] Aut ad columbæ candorem retulit, in cujus specie Spiritus Sanctus super baptisatum Christum descendit, aut quia Spiritus Sanctus nobis animæ candorem communicat.

17 *Rident*] Ornata sunt, per metaphoram; quia quæ ornata sunt, ridere videntur. Virgil. Ecl. IV. 'Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.'

23 *Æstuante culpa*] Impeditur et opprimitur conscientia. Juven. 'Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi Displicet auctori.' Atque alibi, 'Tacita sudant præcordia culpa.'

28 *Crapula*] Capitis lucta et agitatio ex vinolentia: a κάρα caput, et πάλλω vibro. Hic sumitur pro omni intemperantia.

29 *Sedem fidei*] Juxta illud Pauli ad Romanos, cap. I. 'Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.'

Infusum melius Deum receptant:
Hic pastus animæ est, saporque verus.
Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus atque animas utroque pastu
Confirmas, Pater, ac vigore comples.
Sic olim tua præcluens potestas,
Inter raucisonos situm leones,
Illapsis dapibus virum refovit.
Illum fusile numen execrantem,
Et curvare caput sub expolita
Æris materia nefas putantem.
Plebs diræ Babylonis ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant
Sævis protinus haustibus vorandum.
O semper pietas fidesque tuta!
Lambunt indomiti virum leones,

facilius Deum illapsum; qui verus est cibus, et veræ deliciæ animi. Sed, o Pater cœlestis, quia nos nutris hoc duplici victu, roboras his ambobus alimentis corpora et animas, et imples viribus. Ita olim tua providentia omnipotens sustentavit cibariis immissis ex alto Danielem constitutum inter leones rugientes. Cives crudelis Babylonis, et ipse Rex addixerant illum morti, et objecerant leonibus, ut statim discerperetur cruentis morsibus, quod fuerat detestatus idolum ex ære fuso, et crediderat non esse licitum adorare æs elaboratum, politum. Sed ii, qui pollent fide et sanctimonia, sunt semper in tuto. Leones feroces natura lambunt



Heins. ac Vat. pæne omn. alii cum Cellario *innocensque.*—34 *fove* Eg. *foves* Vat. un.—45 *Sevis* W. Weitz.—50 *fameque* omn. probatiores Codd. tam Vat.

NOTÆ

33 *Hic pastus verus*] Dubium an ad Eucharistiæ Sacramentum illud referatur, in quo Christus et potus et cibus est iis qui sumunt; an ad Dei providentiam, quæ ubique nostræ saluti tam prospicit, ut nobis omnium rerum abundantiam suppeditet. Ego potius primam in sententiam iverim. De verbo 'cluere,' splendere, inf. in Pyschom.

43 *Babylonis*] Babylon urbs nobilissima, ad Euphratem sita, olim Chaldææ totius caput. Hanc a Semiramide conditam tradidit Strabo lib. VI. Omnino est destructa, ita ut vix ejus supersint rudera; et ex ejus ruinis crevit Bagdatum, urbs munita ad Tigrim, quæ alias Seleucia magna.

47 *Virum*] Danielem scilicet, qui fuit ex semine regum Juda, natus anno circiter 15. Josiæ. Adhuc adolescens 20. annorum captivus a Nabuchodonosore ductus est Babylonem una cum rege et cognato suo Joachim. Totam hanc historiam, quam Poëta tam fuse descripsit, legat, qui plura cupit scire, Daniel. cap. XIV.

Intactumque Dei tremunt alumnum.
Astant comminus et jubas reponunt:
Mansuescit rabies, fameque blanda
Prædam rictibus ambit incruentis.
Sed cum tenderet ad superna palmas,
Expertumque sibi Deum rogaret,
Clausus jugiter, indigensque victus;
Jussus nuntius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato:
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemtas,
Quas messoribus Abbacum propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Hujus cæsarie manu prehensa,
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit, et vehit per auras.
Tum raptus simul ipse, prandiumque
Sensim labitur in lacum leonum,
Et quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait, libensque carpas,

Danielem, et venerantur famulum Dei incolumem: recubant juxta illum, demittunt jubas, deponunt rabiem, et tolerantes famem circumstant prædam ore incruento. Dum vero Daniel semper inclusus, et expers cibi tendebat manus ad cælum, et invocabat Deum, cujus opem expertus erat; hic jubet angelum delabi in terram, ut ferat dapes ad fidelem servum: et ille statim ruit aëre cedente. Forte angelus videt procul cibos non emtitios, quos Propheta Habacuc portabat messoribus paratos modo agresti. Implicat dextram illius capillis, arripit, et fert per auras suspensum prophetam, ut erat onustus corbibus ciborum. Tum Habacuc ita delatus, et cibi simul immittuntur leniter in foveam leonum; et offert Danieli prandium, quod tunc ferebat. O Daniel, inquit, cape alacer et comede libens alimenta,

quam Heins. *famesque* G.—51 *lambit* H. Gold. B. et superscr. in W.—54 *victu* Weitz.—59 *Ambacum* W. B. *Abacuc* H. Heins. *Abbacum* Gold. Weitz.

NOTÆ

59 *Ab.* [*Habacuc*] Geminum fuisse Habacucum, alterum Danielis obsonatorem, alterum Prophetam Manassis coævum, de tribu Simeonis, qui Nahumum sequitur, et Sophoniæ præit, Dominus Huetius, cujus nomen infinita prope eruditione, editisque in lucem monumentis celeberrimum, asserit in Demonstr. Evangel. probatque; quem consulere poterit unusquisque. Prudentius vero unum eundemque fuisse putat.

Quæ summus Pater, Angelusque Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumtis, Danielus excitavit
In Cœlum faciem, ciboque fortis
Amen reddidit, Alleluja dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, et sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis et feram repellis:
Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes;
Cur te, summe Deus, precemur unum.
Vexamur, premimur, malis rotamur;
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt:
Juncta est supplicis fides iniquis.
Nec defit tamen anxiis medela;
Nam languente truci leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.

quæ Pater æternus, et Angelus Dei mittunt tibi laboranti fame. Daniel sumsit cibum, sustulit oculos in cælum, et refectus dapibus respondit Amen, et cecinit laudes Dei. Nos, o Deus dispensator omnium bonorum, refecti tuis beneficiis ita agimus gratias, et cantamus laudes. Tu geris curam pro nobis, quos violentia mundi ferocis, tanquam crudelis tyranni, inclusit carcere; et avertis dæmonem qui, dum te unum invocamus, o summe Deus, circa nos fremit, conatur nos absorbere, et iram suam impotentem accendit cum rabie. Inimici nos affligunt, urgent, malis exagitant, odio premunt, discerpunt, distrahunt, infestant. Nostra fides est semper objecta cruciatibus injustis. Tamen remedia non desunt laborantibus; num ira sævi dæmonis frangitur, et cibi, nempe sacra scripta, superne

—61 *Cujus* W.—76 *velud* Weitz. B. H.—81 *Cur* Vat. tres, P. T. Pnt. Heins. in not. cum Torrentii duobus. *Cum* Weitz. G. *Nunc* H. *Tunc* A. W. Gold. —82 A. sic distinguit, *premimur malis, rotamur.*—86 *trucis* Heins.

NOTÆ

72 *Amen, Alleluja*] Dictiones Hebrææ; quarum prima utimur ad confirmandum aliqnid, unde Deuter. xvii. 16. 'Respondebitque universus populus, Amen.' Altera vero est composita, ex Allel, laudate, et IAH, universalem, Deum scilicet. Hæc Augustinus.

Quas si quis sitienter hauriendo,
Non gustu tenui sed ore pleno,
Internis velit implicare venis;
Hic sancto satiatus ex propheta,
Justorum capiet cibos virorum:
Qui fructum domino metunt perenni.
Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil quod plus hominem juvare possit,
Quam vatis pia præcinentis orsa.
His sumtis licet insolens potestas
Pravum judicet, irrogetque mortem:
Impasti licet irruant leones:
Nos semper Dominum Patrem fatentes,
In te, Christe Deus, loquemur unum,
Constanterque tuam crucem feremus.

offeruntur. Quos si quis avide sumendo velit reponere imis sensibus, nec gustare primoribus labris, sed pleno ore, is sane recreatus per sanctum prophetam saturabitur cibo parato hominibus probis, qui colligunt messem Dei æterni. Nihil est suavius et jucundius ori; nihil est, quod possit tantum afferre levamen hominibus, quantum sacra eloquia prophetarum vaticinantium. Nam, cum erimus his instructi, quamvis princeps imperio superbus nos inique damnet, atque inferat mortem, quamvis irruant in nos leones jejuni; nos semper, agnoscentes, o Christe, tuum Patrem esse Deum, prædicabimus te esse cum illo unum Deum: et feremus perpetuo tuam crucem.

V. HYMNUS AD INCENSUM LUCERNÆ.

In hoc Hymno, qui in principio noctis, cum lumina accenduntur, cantari debet, ignis ac luminis laudes altius repetiturus, in latissimum narrationis campum, suo more, abripitur Poëta, qua pleraque omnia, quæ Judæis Ægypto eductis portentose accidebant breviter complexus, ac mystica, ut solet, expositione concludens, instituta luminum encomia prosequitur usque ad finem.

INVENTOR rutili, dux bone, luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,

O Christe, Rex benigne, et auctor lucis coruscæ, qui facis dies ac noctes succe-

****

Ad incensum lucernæ Vat. probatiores. Editi autem plerique *Ad incensum Cerei Paschalis* quibus subscribit Chamillard. in not. Weitz. Heins. et Cellar. in suis Prud. edd. Mabillon. de Lit. Gall. lib. III. priorem titulum

Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.
Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris;
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere:
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis:
Quin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.

dere sibi invicem, præbe lumen tuis famulis; jam tenebræ crassæ insurgunt, quia sol abiit. Quanquam decoraveris aulam tuam infinitis stellis, et cælum fulgore lunæ; attamen vis ut nos eliciamus attritu lapidis lumen ex scintillis latentibus in venis saxorum. Ne lateret homini sibi esse quærendum ignem in corpore solido Christi, qui voluit appellari firma petra: ex qua noster ignis oritur. Nutrimus illum ignem lampadibus plenis liquore olei pinguis, vel arida materia; quin etiam utimur arundine junci uncta favo redolente flores, ex quo mel expressum est. Flam-



præferunt.—4 *Lucem, Christe, tuis redde* B.—9 Post h. vs. inserunt S. et F. sequentes hosce vss. *Hoc signas opere, conditor inclyte, Lumen veridicum mentibus omnium In Christo Domino quærere jugiter, Quem petram loquitur doctor egregius.*—14 *ac facibus* Vat. duo, Eg. H. et in W. superscr.—18 *lenteolo*

NOTÆ

8 *Monstras saxigeno*] Ea spectant consuetudinem ætatis Prudentii, qua Sabbatho Paschæ, inclinante in vesperam die, ante solennem baptismi celebrationem cereus a Diacono consecrari solebat, ac novo igne, qui ex silice percusso eliciebatur, accendi: unde et postea cerei baptizatorum, quos illi manibus ferebant, accendebantur. Isque cereus per singulos septem dies, vespertino tempore ad sacrum iis progredientibus præferebatur. Quo cereo columnam ignis, de qua Poëta multa scribit, designari volebant. Ita Georg. Cassander. Unde ab omnibus fere hic Hymnus inscribitur: 'Ad incensum cerei Paschalis.'

11 *Stabilem petram*] Ita Paulus I. Corinth. cap. 10. 'Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus.'

15 *Scirpea*] Scirpus, teste Donato, est sine nodo, et levis junci species, palustris res. Festus neutro genere declinat: 'Scirpum est id, quod in locis palustribus nascitur, leve et procerum.' De picea pini specie resinam ferente infra.

Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrymis stillat olentibus:
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rapidi luminis arduam
Manantemque Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifera in rubo

ma accensa durat, sive ellychnium siccum lucernæ concavæ attrahat oleum, sive fax pinea suppeditet nutrimentum glutinosum, sive stupa inflammata qua circumdatur, consumat cereum oblongum et rotundum. Cera liquefacta distillat paulatim a suprema parte liquida guttas benolentes: quia calor ignis ita liquefacit hanc materiam, ut stillet ex suprema parte fluida. Quare, o Pater æterne, nostra tecta collustrantur flammis tremulis, quas accepimus a te; et lux earum æqualis diei suscipit partes diei peracti. Nox victa hac luce recedit cum sua nigra veste conscissa. Sed cui est obscurum fontem luminis velocis esse cælestem, et ortum a Deo? Nam Moyses intuitus est in luce aspectabili Dominum igneum apparentem in dumo

Weitz. Eg.—22 *olentibus* W. H. B. Gold. Weitz. *alentibus* P. Vulg. Heins. sed *olentibus* in not. cum Put. T. ac Torrentii tribus.—23 *Arbustum* H. quod probare visus D. Rittersh. Gifan. Ind. Lucr. p. 340.—26 *nobilibus* H. B. P. Put. T. Ro.—31 *spinifero* Vat. tres, B. Vulg.—46 *prævalida manu* B.

NOTÆ

21 *Nectar de liquido*] Eodem sensu Virg. Æn. I. ceram liquefactam, quod pars sit mellei operis, nectar appellat. 'Et dulci distendunt nectare cellas.' Per Synecdochen ex uno distillante liquore reliquos intelligi voluit Prudentius; triplici enim ignis genere sub vesperam usos fuisse notat, nempe oleo, pinu, et cera.

28 *Lacero peplo*] Peplum enim vestis est proprie muliebris, ut inf. dicemus.

31 *Moses*] Amrami et Iocabed filius, Caathi nepos, Levi pronepos. Mariæ et Aaron frater, ad flumen expositus a Pharaonis filia tollitur, et in aula ad spem regni capessendi alitur. Natus est anno 2464. ad opera mirabilia singulariter destinatus, conservatus, atque educatus, ut videre est in Exodo.

Spinifera in rubo] Id omne deductum est ex Exod., III. 13. 14. ubi leguntur hæc verba: 'Apparuit ei

Vidit conspicuo lumine flammeum.
Felix, qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis solii visere principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere
Ne sanctum involucris pollueret locum.
Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Majorum meritis tutus et impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber sequitur longa per avia.
Qua gressum tulerant, castraque cœrulæ
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci littoris, invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum

spinoso. Beatus sane, quod fuerit dignus, qui jussus detrahere calceos ligatos, ne fœdaret calceis locum sanctum, cerneret Dominum cœli in dumo sacro. Israëlitæ orti e sanguine nobili, tuti, et potentes virtutibus parentum, assueti servire dominis crudelibus, jam liberati sequuntur hunc ignem per vastum desertum. Columna ignis lucidior sole præcedebat lumine prævio hunc populum vigilem, qua agebat iter, et relinquebat castra mota medio noctis tenebrosæ. Rex vero Ægyptiorum accolarum Nili incensus ira jubet exercitum numerosum movere in hostem celerem

NOTÆ

Dominus in flamma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus arderet, et non combureretur.' Et paulo post; 'Ne appropies,' inquit, 'huc. Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.'

36 *Involucris*] Penultimam, quæ ab omnibus producitur, licentia corripuit.

38 *Impotens*] Teste Donato, idem significat ac nimis potens, ita ut præpositio *in*, sicut alias sæpe, compositi significatum augeat. Cic. Lepido: 'Sin ista pax perditorum hominum in possessionem impotentissimi dominatus restituta est.'

44 *Ducebat radius*] Moyses, quod de Israëlitis ab Ægyptiaca tyrannide liberandis mandatum sibi erat, aggressus est exequi. Commeatu ab Pharaone rege frustra petito, multiplicibus prodigiis et calamitatibus adeo perterruit Ægyptios, ut cum postremo, qui primi in quaque illorum familia geniti erant, ab Angelo nocte occisi forent, eadem ipsa egredi permitterentur Hebræi, quos Dominus præcedebat ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.

45 *Rex Niliaci littoris*] Pharao: quo nomine omnes Ægyptii reges appellantur. Idque cognomen fuit dignitatis, ut scribit Eusebius. Nam Ægyptiorum lingua Pharaon regem significat, teste Josepho Ant. lib. VIII. Unde cum primum perveniebant ad imperium, hoc nomen accipiebant. De Nilo inf.

46 *Jubet prævalidam*] Exod. cap.

In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, seque minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba.
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Cnosiis.
Densetur cuneis turba pedestribus,
Currus pars, et equos, et volucres rotas
Conscendunt celeres, signaque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hic jam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,

cohortes, et duces cogere tuba milites armatos. Ægyptii capiunt arma, et accommodant ad latera enses minaces: litui dant signum. Alter incedit armatus hastis, alter assumit sagittas volantes pennis Gnosiis. Peditatus est redactus in formam cunei: alii celeres conscendunt currus, aut equos, et præferunt vexilla bellica insignita sævis draconibus. Tum vero populus Dei ustus vaporibus Nili jam imme-



52 *Gnosiis* Weitz. *Gnoseis* Gold.—53 *turma* quidam.—54 *equis, et volucres rotis* Gronov. ex conj. quam lection. approbat Heins. in not.—57 *Hinc*

NOTÆ

xiv. 'Quid facere voluimus, ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis? junxit ergo currum, et omnem populum suum assumsit secum.'

52 *Calamis spicula Cnosiis* [*Gnosiis*] Gnossos, et Gnosos: Gnossos Straboni, urbs Cretæ quondam primaria et regia, apud Idam montem, olim Episcopalis, nunc excisa. Gnossium autem calamum posuit, quia Cretenses nobiles erant sagittarii, maximeque Gnosii. Hor. Od. I. 16. 'Ne quicquam calami spicula Gnosii vitabis.' Propert. 'Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet.'

56 *Clara draconibus*] Et Dacos et Persas in signis pinxisse Dracones constat: Romanos vero primis Reipublicæ temporibus Aquilam, Lupum, Minotaurum, teste Vegetio, Equum, et aprum, teste Plinio; ita tamen ut præ ceteris principatum obtineret aquila. Tria vero alia signorum genera posterioribus temporibus fuerunt usurpata, Elephas, Sphinx, et Draco. Dacis enim et Persis victis, illis a Trajano, his ab Aureliano, una cum Zenobia, dracones ad terrorem adhiberi cœpti sunt: ea enim Dacorum signa in columna Trajani etiam nunc videre licet. Unde post Trajanum apud scriptores Latinos draconum frequens est mentio, ante illius ætatem nulla. Atque ut in castris aquilifer, qui aquilam portabat, sic draconarii, qui dracones. Sidonius in Panegyrico Majoriani: 'Jam textilis anguis Discurrit per utramque aciem,' Romanam et Vandalicam.

58 *Pelusiacis*] Pelusiacum, ostium Nili Orientalius ceteris, Carabes, teste Tyrio, inter Pharamiam et Taphium oppida excisa, sic a Pelusio

Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert et validis prælia viribus.
Moses porro suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Præbent rupta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem pervia: sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
Pubes quin etiam decolor asperis
Irritata odiis, rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem
Audet se pelago credere concavo.
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia;
Sed confusa dehinc unda revolvitur
In semet revolans gurgite confluo.
Currus tunc, et equos, telaque naufraga

mor suæ pristinæ captivitatis venit tandem ad mare Rubrum, et præ lassitudine, consedit prope littus hujus maris. Sed immites Ægyptii, et ipsorum rex perfidus appropinquant, et veniunt ad pugnam cum maximo exercitu. Quare Moyses fortis jubet Israëlitas ingredi mare imperterrito gradu. Mare divisum, et patens in modum littoris aperit viam transeuntibus: aquæ hinc inde dispositæ consistunt liquore pellucido instar vitri, dum Israëlitæ transgrediuntur pontum disjunctum. Gens nigra Ægyptiorum inflammata odio acerbo, et avida sanguinis Hebræorum, ausa est quoque, et ipsius rex impius, ingredi mare cavum. Turmæ Pharaonis impulsæ turba euntium præcipitanter progrediebantur per medios fluctus; cum aquæ omnes simul sunt reversæ, et confluxerunt in semetipsas pristino alveo. Tum



Heins. B. Vulg.—76 *refluo* Eg. P. Vat. duo; quod videtur fuisse in H.—80

NOTÆ

dictum est urbe vicina, quam urbem condidit Peleus Achillis pater monitu Deorum post lustrationem. Male putant aliqui eandem esse ac Damiatam, quippe ex ejus ruinis crevit Damiata ei fere adjacens, sed in adversa ripa Nili Pelusiaci.

60 *Rubris littoribus*] Mare Rubrum, seu sinus Arabicus, ab ortu habet Arabiam Felicem, et Petræam, ab occasu Æthiopiam ac Ægyptum. Extenditur in longum a meridie in septemtrionem per 1200. mill. pass. et ejus latitudo ubi major, vix est 250. milliarium. Jungitur autem Oceano Arabico per fretum.

Ipsos et proceres, et vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis justitium triste tyrannicæ.
Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes, Christe, tuas? qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsuli
Cogis justitiæ, vindice dextera.
Qui pontum rapidis æstibus invium
Persultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax ut voret impios.
Cui jejuna eremi saxa loquacibus
Exundant scatebris, et latices novos
Fundit scissa silex: quæ sitientibus

videres currus, et equos, et arma naufraga, et ipsos primates, et dispersa corpora militum Ægyptiorum operiri fluctibus; quod fuit exercitui Pharaonis maximo luctui. O Christe, quis homo poterit dicere pro dignitate tuas laudes? Tu, dextra vindice, eo redegisti Ægyptum victam variis portentis, ut concederet libertatem Moysi. Tu stitisti mare non vadosum ob fluctus rapidos, ut, te ductore, Israël reperiret facilem aditum per aquas reciprocantes, paulo post vero ut impii Ægyptii absorberentur undis eos abripientibus. Tu jussisti petram aridam in eremo scaturire fontibus irriguis, et saxum dehiscens evomere recentem aquam, quæ præberet

---

ut triste A.—82 *domitam Faron* Weitz. A. Eg. P. F. quod fuit et in H. *domitum Faraon* Gold. W.—83 *præsoli* Weitz. Eg. *præsidii* F.—85 *rabidis* G. et Edd. vett.—88 *ut voret* Heins. *devoret* Vat. duo, Weitz. P.—89 *heremi* Weitz. *saxa madentibus* F.—91 *scisa* A. Weitz.—99 *ac* H.—103 *difflata* B. Vulg. W.

NOTÆ

80 *Justitium*] Jurisdictionis est intermissio, quæ fieri solebat in publico luctu, et reipublicæ calamitatibus; ut colligimus ex Livio: 'Ac prope justum justitium omnium rerum futurum videbatur, donec Consul ad urbem rediisset.' Et Lucan. l. v. 'Clausa justitio tristi fora.' Quare, ut refert Giselinus, quidam in fragmento ad Calchidium Grammaticum 'Justitium' vult sumi pro ipsomet luctu publico. Unde et Fronto in Oratione pro Nucerinis: 'Denique ut justitium plebi indicitur.' Ea interpretatio, si vera est, non male in hunc locum quadrabit.

82 *Pharon*] Farion, et Magrah, colonia est et oppidum Ægypti apud Alexandriam, in insula continenti pæne juncta, quondam regia, ubi ex alta turri a Ptolemæo rege 80. talentis Sostrati Gnidii opera, vel secundum alios a Sostrato rege, constructa, fax per noctem navigantibus lucebat. Hæc turris inter septem orbis miracula computatur.

89 *Cui jejuna*] Explicat qua ratione, Moyse petram Horeb percutiente, e vestigio petra dehiscens aquam evomuerit copiosissimam. Sup.

Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqua tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum.
Lignum est quo sapiunt aspera dulcius:
Nam præfixa Cruci spes hominum viget.
Implet castra cibus tunc quoque ninguidus,
Illabens gelida grandine densius.
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sidereo Christus ab æthere.
Nec non imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
Quæ difflata in humum cum semel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fuga.
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas Numinis unici,
Cujus subsidio nos quoque vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.

haustum genti siticulosæ in regione fervida. Aqua velut fel amara in stagno ingrato Maran evasit dulcis ut mel Atticum beneficio ligni. Illud lignum est, quo acerba quæque dulcescunt, quippe tota spes hominum hæret posita in cruce. Tu misisti etiam intra castra manna, pluens densius grandine gelida. Israëlitæ onerant suas mensas his cibis, hac dape, quam Deus mittit e cælo stellifero. Quinetiam vento Africo impellente, tu adduxisti multitudinem innumeram levium Coturnicum, quæ volucres statim atque vento impulsæ institerant humi, non tentabant reduces fugere. Eximia providentia Dei, qui est unus, suppeditavit olim nostris majoribus hæc alimenta: nos etiam sustentantes animum sacra synaxi ali-



superscr. Heins. in not. ex duobus Mss. vett. *conflata* Weitz. Heins. Vat. un.

NOTÆ

93 *Tristifico in lacu*] 'Et venerunt in Mara,' ait Moyses, 'nec poterant bibere aquas, quod essent amaræ, et murmuravit populus dicens, Quid bibemus? Clamavit ad Dominum Moyses, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.' Sive vis ea, inquit Philo Judæus, nativa fuit hactenus ignorata, sive tum primum ad præsentem usum est indita.

94 *Mel Atticum*] Celebre fuit, præsertim ex Hymetto monte hujus regionis, Athenis proximo, juxta quem Helice oppidum erat, et cum Hyblæo melle certabat. Ita ut abierit in adagium apud Martialem et Lucianum pro suavi eloquentia. Virg. Georg. IV. 'Cecropiumque thymum et graveolentia centaurea.' Ob quam thymi abundantiam et dulcedinem, mel Atticum erat suave.

Fessos ille vocat per freta sæculi,
Discissis populum turbinibus regens:
Jactatasque animas mille laboribus
Justorum in patriam scandere præcipit.
Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia
Et molles violas, et tenues crocos
Fundit fonticulis uda fugacibus.
Illic et gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, et folium, fonte quod abdito

mur subsidio illius providentiæ. Tu ducens homines per hujus mundi mare, et dispellens hinc atque hinc turbines, vocas eos, et evehis in cœlum animas Sanctorum agitatas multis calamitatibus. Ibi terra undique sparsa rosis puniceis expirat odorem, et aquæ rivuli fluentis fundunt calthas pingues, et teneras violas, et levem crocum. Ibi balsamum stillans manat ex tenui arbore; et cinnamum pretiosum, et



A. W. H. P. *in unum* quidam.—111 *Raptatasque* Heins.—116 *uda* Gronov.

NOTÆ

114 *Caltha*] Caltha, flos lutei sive crocei coloris, quasi solsequium, quia, præsertim cum tenerior est, ad solem inflectitur. In hoc erravit Poëta, quod neutro genere declinarit, siquidem apud omnes antiquos fœminini est generis.

115 *Crocos*] Crocus, vel crocum, flos quoque lutei coloris, i. e. flavi rubescentis. Virg. Georg. IV. 183. 'Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem.'

117 *Balsama*] Balsamum arbuscula est odoratissima, in Judæa solum nascens, ut ait Plin. XII. 25. 'Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terræ Judææ concessum; quondam in duobus tantum hortis, utroque regio. Ostendere hanc arbusculam urbi imperatores Vespasiani, nempe in triumpho Judaico.' Si tamen Josepho fides est Jud. Ant. VIII. 6. Balsami planta potius in Judæam ex Ægypto transiit. Dono data Salomoni a Nicauli, quam hic reginam facit Ægypti et Æthiopiæ, sacræ literæ reginam Saba nuncupant. Virg. Georg. II. 119. 'Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsama?'

118 *Cinnama*] Eadem arbuscula ac cinnamomum, quod frutectum in Æthiopia nascitur. Hujus autem lignum inter aromata delicatissima annumeratur. Martial. IV. 13. 'Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo.' Claudian. de Nuptiis Honor. et Mariæ: 'Hic casiæ matura seges, Panchæaque surgunt Cinnama.'

119 *Folium*] Id de Bdellio arbore resinosa et odoratissima, quæ frequens adnascitur Phisoni, intelligi potest, et de Malobathro Indicis paludibus sine radice innatante, quod cum nardum, cui simile est, viribus superet, folium appellarunt: unde unguenta foliata.

Prælambens fluvius portat in exitum.
  Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos;
Calcant et pedibus lilia candidis.
  Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis:
  Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit,
Sed terris Domini de Cruce tristibus
Major sole novum restituens diem.
  Marcent suppliciis Tartara mitibus;

folium, quod Phison exiens ex fonte occulto trahit usque ad ostia sua, jactant odorem. Ibi in locis herbosis animæ sanctorum uno concentu conflant jucundam symphoniam ex modulis hymnorum dulciter resonantibus, et proterunt puris pedibus lilia. In Inferis quoque sæpe datur remissio solennis tormentorum. Damnatis spiritibus illa nocte, qua Christus rediit ad vitam e locis inferis. Non ille fugavit tenebras lumine splendido, tanquam Lucifer emergens e mari, sed lucidior Sole retulit novam lucem hominibus lugentibus mortem Domini. Jam damnati perferunt supplicia mitiora;

Heins. Put. T. Eg. *unda* G. Weitz. Vat. pleriqne.—120 *Prælubens* F. Heins. *exitum* Eg.—122 *pariles suavi* Put. Ro. Heins. T. et Eg. a m. pr.—135 *Func-*

NOTÆ

125 *Sunt et spiritibus*] Sive de damnatis loquatur Poëta, sive de purgandis adhuc animis, sane errat. Nisi mavis ad majorem commendationem sacri luminis, quo nos Christus tenebris immersos illustravit, poëtarum licentia finxisse partem illius beatitudinis ad Tartara pervenisse. Scio tamen nonnullos ex Sanctis Patribus levari aliquando pœnas damnatorum censere, quos inter S. Aug. in Enchiridio cap. 112. tractans versum illum Psalmi 87. 'Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas,' ait, 'ut in ira sua non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.'

128 *Acheronticis*] Acheron Inferorum fluvius, Titanis et Terræ filius, detrusus a Jove ad Inferos, quod sitientibus in bello gigantibus potum præbuisset.

130 *Lucifer*] Stella Veneris, quæ mane ante solis ortum ultima videtur in cœlo, unde præire solem dicitur; sero etiam cadentem solem subsequitur, tumque vocatur Vesper. Illum unico equo vehi putarunt poëtæ, sed mane equo albo, sero fusco. Unde, quia ex equo in equum desiliebat, equos ei dicabant desultorios. De Tart. et de libo sup.

Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.
  Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis: votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece;
Exstructoque agimus liba sacrario.
  Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro;
  Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare Trionibus,
Et qua Bosporeum temo regit jugum

et turba animarum libera ab igne gaudet cessatione pœnarum in his locis, nec torrentur, ut alias, fluvio sulphureo. Nos autem congregati solenniter pernoctamus pie ac læte, et vigilantes in oratione certatim facimus vota secunda, et ponentes altaria sacrificamus. Lucernæ suspensæ funibus mobilibus collustrant luce laquearia, quibus affixæ sunt, et flamma nutrita liquore languido, cui innatat, emittit lumen per vitrum pellucidum. Putares cœlum stelliferum adesse desuper illuminatum stellis duorum plaustrorum; et passim ignes Hesperi lucere, qua temo ducit jugum

torum T. Ro. Alt. Bo. 1. Nomsian. cum duobus Torrentii; Eg. P. H.—143 *languidolis* H. Weitz.—145 *stelligerum d. ærem Ornatum* H. superscr.—147

NOTÆ

138 *Noctem conciliis*] Modo quis aliquando annales ecclesiasticos evolverit, sane non ignorat, primis ecclesiæ temporibus Christianos noctu præcipue sacra fecisse, atque in unum locum convenisse, tum metu tyrannorum, tum pio ritu, ut omni tempore Deum laudarent. Quod facile colligitur ex iis, quæ Pagani Christianis objiciebant, asserentes per noctem ipsos nefanda crimina et atrocissima patrare.

142 *Laquearia*] Sunt in conclavium tectis tignorum interstitium: a lacu dicta, quia cava sunt.

143 *Natatibus*] Tantum scriptores ætatis Prudentii hoc nomine substantivo usi sunt. Claud. III. de Raptu Proserpinæ: 'Pulchroque secat Galatea natatu.'

146 *Trionibus*] Triones sunt septem stellæ ad polum Arcticum ita dispositæ, ut plaustrum efficere videantur: quare a rusticis plaustrum majus, ac plaustrum minus vocantur, ab aliis vero ursæ duæ. 'Illo nomine prisca lingua dicebantur boves, quod arando terram terant, quasi Teriones:' ita Varro; 'vel quod strias in terra excavent, quasi Striones.'

147 *Bosporeum*] Nempe jugum Luciferi; Græce enim Lucifer dicitur *Φώσφορος*. Martial. VIII. 22. 'Phosphore redde diem.' De Lucif. sup.

Passim purpureos spargier Hesperos.
O res digna, Pater, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius:
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris:
Lumen quod famulans offero, suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine,
Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.
Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
Majestas, bonitas, et pietas tua
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis sæcula sæculis.

Luciferi. O Deus, lux sane est digna, quæ tibi offeratur a famulis tuis principio noctis, per quam ros cadit; nihil enim das magis excellens luce, cujus ope videmus cetera tua beneficia. Tu ipse es vera lux nostris oculis, atque etiam lux es mentibus: intuemur per te tanquam per speculum intus, mente, et foris, oculis. Ergo accipe hanc facem oblitam liquore olei, quod est signum pacis, quam ego tuus famulus offero, per Christum tuum Filium, o Pater æterne, qui est tua gloria visibilis, qui est noster Dominus, qui tuus unicus Filius spirat de corde Patris Spiritum Sanctum: per quem tuus splendor, tua laus, sapientia, majestas, bonitas, et tua pietas perpetuat tuum regnum tribus Personis, jungens sæcula sæculis infinitis.

Bosforeum W. B. H. Gold. Weitz. *Phosporeum* G.—149 *Pater* Heins. in not. Pnt. *Deus* Weitz. G. Vat. quatuor.—160 *Paraclytum* W. H. Gold.—163 *contineat* W. Gold. *nomine* Vat. duo.

NOTÆ

148 *Hesperos*] Atlantis frater, a quo Hesperia. Scribit Diodorus hunc Hesperum conscendisse cacumen montis Atlantis ad cursus astrorum observandos, et nunquam deinde comparuisse. Cui vulgus honores divinos exhibuit, astrumque lucidissimum ejus nomine appellavit. Virg. Ecl. VII. 'Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.'

155 *Lumen quod famulans*] Omnes fere hunc locum de cereorum oblatione interpretati sunt. Giselinus tamen alio modo esse exponendum asserit, ac de quocumque lumine intelligendum.

VI. HYMNUS ANTE SOMNUM.

Cum in somno, qui hominibus a Deo datus est ad reparandas corporis et animi vires, multa contingant partim honesta partim turpia; petit in hoc Hymno pius Poëta ut placidam quietem Deus sibi largiatur, terrores somniorum depellat, ac somnia salutaria immittat, qualia viris sanctis facta sunt.

Ades, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque sermo Christe,
Et Spiritus benigne.
O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.
Fluxit labor diei,
Redit et quietis hora,
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,

O Pater æterne, quem nemo vidit unquam, adsis nobis, et tu o Christe verbum Patris, et tu o benefice illius Spiritus. O eadem potestas, idem lumen Trinitatis: Christus Deus æternus a Patre Deo productus: Spiritus Sanctus Deus procedens ab utroque. Opera diei finita sunt; redit tempus quietis, dulcis somnus reficit vicissim fatigata corpora. Animus agitatus angoribus et oppressus solicitudine,

6 *Vis ac potestas una* Put. Heins. Vat. un. et Græviau. Schedæ.—10 *Rediit*

NOTÆ

3 *Sermo*] Licet verbum et sermo sint in usu Latinorum veterum, siquidem Tertullianus, Novatianus, Cyprianus, Lactantius, Augustinus, utrumque vocabulum adhibuerunt, et Paulinus in Natali sancti Felicis, 'Christe Deus Felicis ades: da nunc mihi verbum Sermo Deus;' tamen longe frequentior est, usuque tritior, appellatio verbi, et ad personam ipsam divinam, ejusque productionem declarandam aptior. Quare non satis prudenter Erasmus fecit, qui in Latina Novi Testamenti versione posterioris editionis, ita posuit: 'In principio erat sermo.'

5 *O Trinitas*] Hoc in loco, ut multis in aliis, Trinitatis mysterium explicat. Nam quatuor primis versibus singularem de tribus personis mentionem facit; ultimis autem hasce tres personas unam potestatem, unam sapientiam, unam essentiam habere agnoscit.

Curisque sauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poclum.
  Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
  Lex hæc data est caducis
Deo jubente membris,
Ut temperet laborem
Medicabilis voluptas.
  Sed, dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectusque feriatum

admittit usque in ossa intima poculum somni ferens oblivionem. Vis Lethæa hujus potionis currit per totum corpus, nec sinit superesse infelicibus ullum sensum molesti doloris. Illa necessitas est imposita imperio Dei corporibus fragilibus, ut hæc voluptas salutaris levet laborem. At dum amica quies serpit per omnes venas, dum

Alt. *et* deest Vat. duobus, F. G.—18 *Læthea* W. Gold. B.—19 *ægris* H.—22 *Deo donante* Vat. un.—24 *Medicalis* W. Gold.—29 *vagat* A. F. Gif. Ind.

NOTÆ

16 *Obliviale poclum*] Omnia, quæ hic cecinit Poëta de somno, referri debent ad ea quæ finxere antiqui, ac præcipue Ovidius. Volunt ergo somnum Deum esse ex Erebo Nocteque natum, qui papaverum succum aliarumque herbarum legens ac spargens ad somnum invitat. 'Ante fores antri fœcunda papavera florent, Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem Nox legit, et spargit per opacas humida terras.' Ille vero succus, illud poculum obliviale dicitur ab effectu, dormientes enim omnium obliti videntur. Euripides in Oreste: 'Somne, o levamen dulce, et ægritudinis medela dulcis, ut venis mi optabilis oblivio malorum, ut apto tempore nobis misellis advenis, jucundaque.' 'Poclum,' pro poculum: id apud antiquos poëtas vulgare atque usitatum fuisse nemo ignorat.

18 *Lethæa vis*] Idem ac obliviale poculum, eo quod Lethe, sive, ut mavult Casaubonus, fluvius Lethes, genitivo casu, fluvius est apud Inferos, cujus latices si quis gustaverit, omnium præteritarum rerum statim obliviscitur, ἀπὸ τῆς λήθης, i. e. ab oblivione, nomen habet. Datus est hinc locus fabulæ, quia morientibus omnium rerum oblivio surrepit. Lethæi amnes alibi complures a Strabone numerantur lib. xiv.

20 *Patitur*] Siquidem somnus quædam est sensuum privatio, seu, ut docet philosophus, δεσμός τις καὶ ἀκινησία.

Placat rigante somno;
Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasque per figuras,
Quæ sunt operta, cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo cœlum,
Purusque fons ab æthra,
Iners jacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror:
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.

mulcet somno irriguo corpus liberum ab opere; animus non impeditus volitat per auras celeri motu, et cernit per varia φαντάσματα res absconditas: quoniam animus liber, qui habet ortum e cælo, et purum fontem vitæ ab æthere, nequit jacere desidiosus. Ipse imitando sibi fingit multiplices figuras, quas lustrat tam celeriter, ut his potiatur brevi tempore. Mentes vero somniantium defatigantur vario metu. Modo lux intermicat, per quam licet illis cognoscere res futuras. Sæpe fallaces um-



Lucr. p. 448. Vat. præstantiores, Put. T. *vagas* Torrentii duo, ac tres Mss.

NOTÆ

29 *Vagat*] Hoc verbo Plautus etiam usus est in Milite, pro vagatur: 'Te alloquor vitii probrique plena, Quæ circum vicinos vages.' Puteanus tamen, et Thuaneus, duo Torrentiani habent, *Liber vagas per auras.*

35 *Æthra*] Pro cœlestis ignis sphæra, quæ vocatur æther, sumitur apud poëtas. Ex accusativo Græco æthera per syncopen fit fœmininum nomen, æthra, æthræ. Cic. de N. Deor. 'Aërem complexa summa pars cœli, quæ æthra dicitur.' Virg. Æn. III. 'Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra Siderea polus.'

41 *Somniantum dispar*] Tria somniorum esse genera norunt omnes. Aut enim naturalia sunt, quæ referunt actiones diurnas, in quas mens solet esse intenta, seu potius quæ unam corporis habitudinem denotant; aut divina, quæ alio nomine vaticinia et prophetiæ sacris in literis dicuntur, qualia fuere somnia Josephi; aut denique turbulenta, quæ terrent et exagitant impios. Unde Job inquit, 'Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.'

Plerumque dissipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore mœstos
Ambage fallit atra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.
At, qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Lusus pavore multo
Species videt tremendas.
Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres approbavit.
Quorum regressus unus

bræ, veris fugatis imaginibus, ludunt obscuris figmentis mentes perterritas timore. Qui se raro inquinat peccato, is ediscit res abstrusas luce pura irradiante. Qui vero fœdavit animam deditam criminibus, is deceptus multis visis terrificis cernit terrifica somnia. Patriarcha Joseph, detentus in vinculis carceris, hoc docuit, cum interpretatus est somnium duorum servorum Pharaonis. Alter illorum restitutus in

Heins. *vacat* Gold. W. B.—59 *magistris* Gold. et in W. superscr.—60 *abprobavit* W.—61 *regressus* Heins. in not. Put. Bodl. Vat. plerique. *reversus* Vat.

NOTÆ

57 *Patriarcha*] Nempe Joseph, Jacobi et Rachelis filius, qui per invidiam a fratribus venditus, et in Ægyptum deductus, ab Putiphare præposito cubiculariorum Pharaonis emtus est. Apud hunc cum adolevisset, ab ejus conjuge frustra sollicitatus ad stuprum, ejusdem falsa delatione fidei et innocentiæ pœnas luit triennali carcere. Unde eductus ad interpretandum geminum regis somnium, nempe de septem vaccis pinguibus totidemque macie confectis, ac de septem spicis plenis totidemque tenuibus, cum imminentem fertilitatem annorum septem, ac totidem sterilitatem præsagiisset, toti Ægypto præficitur.

59 *Geminis*] Pincernarum præpositi, magistrique pistorum somnia satis nota sunt. Ille vitem cum tribus palmitibus vidit, ex quibus gemmæ erumpebant, et ad maturitatem perductæ in calicem Pharaonis exprimebantur: iste tria canistra viminea, in quorum supremo varii cibi erant arte pistoria facti, ad quos advolabant aves, ut cibum inde sumerent. Uterque post triduum, ut prædixerat Joseph, educitur e carcere, unus ad regium ministerium, alter ad suspendium.

Dat poculum tyranno:
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
  Ipsum deinde regem,
Perplexa somniantem,
Monuit famem futuram
Clausis cavere acervis.
  Mox præsul ac tetrarches
Regnum per omne jussus
Sociam tenere virgam,
Dominæ resedit aulæ.
  O quam profunda justis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus?
Quam clara? quam tacenda?
  Evangelista summi
Fidissimus Magistri,
Signata quæ latebant
Nebulis videt remotis.

gratiam obtulit scyphum regi: alter vero actus in crucem fuit præda avibus voracibus. Postea monuit Joseph Pharaonem ipsum videntem somnia ambigua, ut provideret sterilitati futuræ reconditis acervis tritici. Statim ipse factus est præfectus palatio et Dominus, jussus tenere sceptrum simile cum Pharaone per totum imperium. O quam alta mysteria Christus dat sanctis cernenda per somnum! Quam præclara, nec divulganda arcana Joannes Evangelista amicissimus divino suo Magistro vidit, fugatis tenebris, quæ fuerant occulta. Vidit scilicet agnum ipsum Dei



duo a m. sec. G. Weitz. Heins.—67 *movit* F.—76 *tuenda* Put. pro diversa

NOTÆ

69 *Tetrarches*] Seu tetrarcha, qui partem regni quartam obtinet. Lucan. lib. VII. 'Sicci sed plurima campi, Tetrarchæ regesque tenent, magnique tyranni.' Sumitur tamen pro quocumque qui dominatum occupat.

71 *Sociam virgam*] Tot tantisque honoribus Josephum cumulavit Pharao, ut annulum signatorium ipsi crediderit, jusseritque currum conscendere, ut omnes intelligerent eum esse a rege secundum.

77 *Evangelista*] Cum ipse Poëta satis aperte omnia, quæ continentur in Apocalypsi, descripserit; id unum mihi restat monere, Prudentium ea fuisse opinione Evangelistam ea vidisse in somnis; quanquam Joannes in hoc libro testetur se tum fuisse ἐν πνεύματι, seu, ut recentiores loquuntur, ἐν ἐκστάσει.

Ipsum Tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat unus.
Hujus manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrimque
Duplicem minatur ictum.
Quæsitor ille solus
Animæque corporisque,
Ensisque bis timendus
Prima ac secunda mors est.
Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucosque non piorum
Patitur perire in ævum.
Huic inclytus perenne
Tribuit Pater tribunal;
Hunc obtinere jussit

rubentem proprio sanguine, qui solus aperit librum complectentem futura. Illius agni dextera omnipotens tenet ensem acutum ex utraque parte, qui coruscans utrimque intentat geminum vulnus. Is agnus est solus judex et animæ et corporis: et gladius acutus ex utraque parte significat primam et secundam mortem. Attamen hic mansuetus vindex deponit iram, et sinit paucos peccatores perire in omnem æternitatem. Pater æternus ipsi dedit tribunal sempiternum, et voluit ut is haberet

NOTÆ

85 *Manum potentem*] Legimus tamen Apoc. c. I. 'Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, non vero de manu.'

92 *Prima*] Juxta illud Apoc. c. xx. 'Beatus et Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.' Prima mors denotat mortem temporalem, mors secunda mortem æternam.

95 *Paucos*] Id sane aliquam patitur difficultatem. Quot enim infideles, hæretici, Christiani descendunt in Infernum! Dixerim ergo Prudentium velle Christum adeo esse benignum judicem, ut inter peccatores quamplurimos sua gratia revocet ad pœnitentiam. Nonnulli tamen Theologi volunt plures etiam salvari homines quam damnari; eo quod eadem sit ratio, quoad salutem, hominum in statu naturæ reparatæ, et in statu innocentiæ; ergo cum electi sint gratis ad gloriam antecedenter ad omne meritum, iidem numero salvantur, qui salvandi fuissent in statu innocentiæ.

Nomen supra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichristi,
Qui de furente monstro
Pulchrum refert tropæum.
Quam bestiam capacem,
Populosque devorantem;
Quam sanguinis Charybdin,
Joannis execratur.
Hæc nempe, quæ sacratum
Præferre nomen ausa,
Imam petit gehennam
Christo peremta vero.
Tali sopore justus
Mentem relaxat heros,
Ut spiritu sagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,

nomen super omne nomen. Ille est fortis debellator sævi Antichristi, qui reportabit nobilem triumphum de monstro immani; quam belluam voracem, et absorbentem homines, quam voraginem cruoris detestatur Joannes. Ea nempe, quæ non dubitavit sumere divinum nomen, interfecta a vero Christo mergitur in imos Inferos. Joannes heros Christianus recreabat animum tali somnio ut lustraret totum cœlum perspicaci spiritu. Nos, qui cumulamur plurimis peccatis, qui maculamur inhærente

scriptura.—100 *super* W. superscr.—105 *rapacem* G. Heins. W. superscr.—108 *Joannes* Vat. quinque.—109 *Hanc* A. Eg.—118 *herror* W.—128 *innovatum*

NOTÆ

100 *Nomen*] Paulus ad Philip. II. 'Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.'

103 *De furente monstro*] De dracone loquitur, Apoc. cap. XII. vel de bestia, cui insidet meretrix ebria, Apoc. cap. XVII.

107 *Charybdim*] Pro voragine, eo quod Charybdis locus sit maris periculosus, et gurges præ aliis vorticosus inter Calabriam et Siciliam, prope Messanam urbem, contrarios fluctuum cursus facit, et rapta quæque absorbet et rejicit. Aqua enim nunc absorbetur et tendit in profundum, nunc elevatur in altum. Ovid. 'Et vomit epotas sæva Charybdis aquas.' Poëtæ fabulantur Charybdim mulierem fuisse rapacissimam a Jove, cum Herculis boves surripuisset, fulminatam, et in hanc voraginem conversam. Unde naturam servat pristinam. Nomen deduci putant a χάσκω, hio, et ῥοιβδῶ, sorbeo.

Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
  Sat est, quiete dulci
Fessum fovere corpus:
Sat, si nihil sinistrum
Vanæ minentur umbræ.
  Cultor Dei memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate innovatum.
  Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
  Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
  Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Præstigiator actu.
  O tortuose serpens,

quadam cupiditate rerum vetitarum, sumus indigni his donis. Satis habemus, si reficimus blando somno corpus fatigatum: satis habemus, si somnia portendunt nihil funestum. O Christiane memento te suscepisse aquam sacram, rorem sacrum baptismatis et lavacri, te renovatum esse unctione sacra. Fac ut formes signum crucis ad caput et ad pectus, dum inis castum lectum, somno invitante. Crux fugat omnia scelera, dæmones fugiunt crucem: anima munita hoc signo nequit commoveri. Longe longe recedite, o illusiones somniorum volitantium; longe recede, qui nos incantas actu



Heins. in not. Torrentii omn. Bodl. marg. *innotatum* Gold. B. F. Vat. duo, G. Weitz. et H. sed in post. *innovatum* superscr.—140 *Præstigiator* Heins.

NOTÆ

127 *Subisse*] I. e. immersum fuisse in ipsum fontem baptisterii, ut mos erat illorum temporum.

141 *Serpens*] Ita dæmon, quod serpentis formam acceperit, ut tentaret Evam, ab omnibus vocatur.

Qui mille per Meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.
Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce:
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat recline paulum,
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

continuo. O Dæmon flexuose, qui vexas mentes quietas quam plurimis astutiis, et dolis implicitis errore, abi; Christus adest; evanesce, Christus adest. Effigies Crucis, quam ipse cognovisti, condemnat tuas turmas. Quanquam corpus fessum paulisper decumbat stratum, tamen per somnium ipsum de Christo cogitabimus.



Præstrigiator Weitz. B. P. Eg. *astu* Weitz. Heins.—149 *fatescens* Gold. Weitz. —150 *reclive* F. Delph. Chamillard. *paulo* A. utrumque agnoscit Gold.—152 *Meditabitur* W. superscr. In Vat. un. inferioris ætat. hæc habetur h. Hymni conclusio; *Gloria æterno Patri, et Christo novo Regi, Paraclytoque Sancto, Et nunc et in perpetuo.*

NOTÆ

142 *Meandros*] Mæander fluvius minoris Asiæ clarissimus, qui ortus e lacu in monte Aulocrene, plurimisque affusus oppidis, tot flexibus in se quasi recurrit, ut credatur ad fontem reverti, licet in mare Myrtoum, quæ pars est Ægæi, ad Heracleam urbem influat. Quare pro quibuscumque flexibus sumitur, atque omnes obliquitates Mæandri appellantur. Belle Propert. II. 34. 'Atque etiam ut Phrygio fallax Mæandria campo errat, et ipsa suas decipit unda vias.' Cic. pro Pisone: 'Quos tu Mæandros, quæ deverticula flexionesque quæsisti?'

146 *Liquesce*] Metaphora sumta est ex cera, aliisque corporibus, quæ ita vi ignis liquescunt, ut diffluant ac disperdantur. Cic. 'Cum voluptate liquescimus, fluimusque mollitia.'

150 *Reclive*] Quanquam fere omnes codices legant *recline*, iis tamen assentiri nequeo: ea enim vox aut obsoleta est, aut barbara. Atque male Anton. Nebrissensis ad hunc locum affert Ovid. versum Met. X. 'Inque sinu juvenis posita cervice reclivis;' nullibi legitur *reclinis*.

VII. HYMNUS JEJUNANTIUM.

Facta invocatione, jejunii laudes ingreditur, illustriora ex utroque Testamento abstinentiæ exempla profert, ad eamque omnes adhortatur, quam cum eleemosyna conjungendam esse docet.

O NAZARENE, lux Bethlem, Verbum Patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parsimoniis,
Festumque nostrum rex serenus aspice,
Jejuniorum dum litamus victimam.
  Nil hoc profecto purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur lividi:
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
  Hinc subjugatur luxus et turpis gula:
Vini atque somni degener socordia,

O Jesu Nazarene, decus Bethleem, verbum Patris æterni, quem prodidit fœtus ventris Virginei, fave puræ nostræ frugalitati: et tu, qui es rex favorabilis, cerne nostrum festum, in quo tibi immolamus victimam jejuniorum. Nihil sane est sanctius illo sacrificio, quod abstergit intimas venas cordis impuri, quod domat corpora libidinosa, ne pinguedo exhalans fœtidam ingluviem retundat aciem mentis suffocatæ. Frugalitas frænat luxuriem, intemperantiam gulæ, vilem potandi atque dormiendi

1 *lux* Weitz. Heins. *dux* Vulg.—7 *lividi* Ro. A. F. et H. superscr. *vividi*

NOTÆ

1 *Nazarene*] Sic dictus servator a Nazareth Galilææ viculo, juxta montem Tabor, in quo nutritus fuit.

Lux] Dux etiam apud quamplurimos; quod parvi refert; utraque enim lectio rectum sensum efficit. Hæc, quod Jesus decus sit et ornamentum hujusce urbis, ut ait Propheta: altera vero, quod Christus sit veluti princeps ac dux omnium puerorum, qui jussu Herodis in Bethleem occisi sunt, quique primi martyrii palmam adepti sunt.

Bethlem [*Bethleem*] Bethleem, nomen civitatis David, quæ alio vocabulo dicitur Ephrata, Christi natalibus insignis. Nunc viculus in tribu Juda, sexto ab Hierusalem milliario positus contra meridiem. Ibi ortus atque in regem unctus est David.

9 *Arvina*] Pinguedo illa, quæ inter carnem et cutem animalium est. Unde Arvina cognomen fuit Corneliorum Maluginensium a pinguedine. De crapula, jam superius.

Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu et cibo
Jejuna rite membra non coërceas;
Sequitur, frequenti marcida oblectamine
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque pigris stertat in præcordiis.
Frænentur ergo corporum cupidines,
Detersa et intus emicet prudentia:
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Elia tali crevit observantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi:
Fragore ab omni quem remotum et segregem
Sprevisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.

desidiam, turpem voluptatem, risum inhonestum, et diversas pravas affectiones ignavi corporis, quæ domitæ sentiunt imperium jejunii. Si enim liberius te ingurgitans vino, et dapibus non domes, ut par est, corpus famelicum; accidit, ut acies mentis excelsæ corrupta crebris voluptatibus langueat, et animus quasi dormiat in segni pectore. Desideria igitur corporis cohibeantur, et prudentia defæcata resplendeat intus. Ita mens acrior renovato vigore, et expedita liberiori respiramine, orabit sanctius Creatorem mundi. Elias olim dicatus Deo, et incola deserti auxit virtutes suas illa ratione vivendi. Fama est illum separatum ab omni tumultu, et solitarium, et fruentem sancto silentio Syrtium, vitasse multitudinem scelerum. Mox vero sub-

Weitz. et alii.—15 *Artam* W. superscr.—20 *Stertat ut* B. Vulg.—22 *Detersa*

NOTÆ

26 *Elia*] Multis in locis illud nomen, aliaque hujuscemodi ita extulit in nominandi casu pro Elias. 'Juda' pro Judas. Elias ante Christum 905. prodire cœpit; parentes et ætatis initia Scriptura tacuit. Ad torrentem Carith moratus est annonam suppeditante corvo. Illum veterem Sacerdotem nominat poëta fortasse, quod provocatis ad fidem veri numinis miraculo sanciendam Sacerdotibus Baalis, frustraque satagentibus, ipse cœlitus evocata flamma perlitaverit, ac Sacerdotes istos numero 850. jugulari mandaverit, Regum III. 18.

27 *Ruris aridi*] Id referri potest ad torrentem Carith, ut jam dixi, vel ad desertum, per quod quadraginta diebus iter egit Elias usque ad montem Horeb, ut Jezabelem fugeret.

30 *Syrtium*] Syrtes duo sunt sinus periculosissimi in mari Libyco, a *σύρω* traho, quia limum arenamque, et saxa ingentia fluctus trahunt, quibus im-

Sed mox in auras igneis jugalibus,
Curruque raptus evolavit præpete,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum,
Olim probatis inclytum jejuniis.
Non ante cœli principem septemplicis
Moses tremendi fidus interpres throni
Potuit videre, quam decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precanti solus in lacrymis fuit:
Nam flendo pernox, irrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo:

latus equis flammeis, et curru celeri ascendit in cœlum; ne terra impia, exhalando de vicina fœditate fæcis fœdaret hunc hominem quietum, atque olim clarum jejuniis cognitis. Moyses fidelis internuntius metuendæ majestatis nequivit aspicere rectorem cœli septem gemini, quin prius Sol percurrens astra quadraginta circuitibus peractis ipsum fuisset intuitus se abstinentem omni cibo. Tum huic oranti unæ lacrymæ fuere alimentum. Nam lacrymando noctes vigilavit, atque osculatus est ore prono pulverem terræ humidæ respersum fletu suo, quoad perculsus voce Dei

et Pnt. T. Alt. *Detersa ut* Weitz. *Deterset* Eg.—32 *præpeti* Heins. Weitz.—41 *precanti* Eg. Weitz. Gold. H. Heins. in not. *precantis* B. utrumque agnos-

NOTÆ

pactæ naves adhærescunt. Aut etiam duæ ejusdem Africæ regiones, ubi ventus arenas excitat, et proxima quæque operit. Unde Solinus auctor est iis in locis terra iter facientes cursum sideribus regere. Quare quæcunque loca periculosa, deserta, inculta possunt Syrtes appellari. Ac constat Prudentium eo sensu posuisse Eliam potitum fuisse Syrtium silentio. Nam is Propheta nunquam usque in Africam pervenit.

31 *Igneis jugalibus*] Lib. IV. Reg. cap. 2. 'Ecce currus igneus, et equi diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum.'

36 *Cœli septemplicis*] Respexisse videtur ad septem orbes planetarios: quanquam nullus, quod sciam, inter veteres aut novos Philosophos admisit septem cœlos. Quidam enim tres, alii undecim, alii duodecim. De Moyse sup.

38 *Potuit videre*] I. e. potuit videre corpus illud, in quo Deus apparuit Moysi, splendens tanto lumine anterius, ut solem longe vinceret, a tergo vero ita fuit lux attemperata, ut eam Moysis aspectus ferret. Hic enim de essentia divina sermonem non esse patet, ex eo quod sequitur: 'Non videbit eum homo, et vivet.' Ita Cornel. a lapide Exod. c. XXXIII.

Quam decem] Exod. cap. XXXIV. 'Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, et quadraginta noctes: panem non comedit, et aquam non bibit.'

Donec loquentis voce præstrictus Dei
Expavit ignem non ferendum visibus.
Joannis hujus artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit Filium,
Curvos viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc obsequelam præparabat nuntius,
Mox affuturo construens iter Deo,
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve quicquam devium
Illapsa terris inveniret Veritas.
Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera:
Nec ante partu de senili effusus est,
Quam prædicaret virginem plenam Deo.
Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inquinari et pollui

illum vocantis formidavit ignem non ferendum oculis. Joannes æque gnarus hujus artis antecessit Filium Patris æterni: qui direxit semitas obliquas itinerum, et reflectens torvos calles ostendit viam tenendum recta linea. Præcursor parans viam Christo brevi venturo præstabat hoc obsequium, ut montosa fierent æquabilia, aspera vero molliora, et ne Jesus descendens in terras quicquam pravum reperiret. Ille natus insueto prorsus modo, et sero genitus in utero jam effœto replevit mammas matris vacuas lacte; nec senex Elizabeth illum peperit priusquam annuntiaret Mariam gravidam esse Deo. Is deinde vestitus pellibus horridis belluarum, opertusque pilis et hirsuto vellere, recepit se in vastum desertum; quod timebat coinquinari, ac

cit W.—44 *præstrictus* Weitz. Bodl. Alt. Put. a m. sec. *perstrictus* B. Vulg. —53 *lævibus* G.—54 *ne vel* Weitz. W.—57 *vigeto* W. et Gold. superscr. *vigeto in corpore* B.—62 *hyrtis* W. Gold. Weitz.—63 *et* deest Gold.—69 *Rursum*

NOTÆ

46 *Joannis*] Cum hæc omnia ad verbum referat Prudentius ex Lucæ capite primo, diutius non immoror.

51 *Nuntius*] 'Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus,' ut ait Isaias.

56 *Non usitatis*] Quia Zacharias atque Elizabeth jam ætate provecti illum genuerunt.

Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentia
Potum cibumque vir severæ industriæ
In usque serum respuebat vesperum,
Rarum locustis et favorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.
Hortator ille primus, et doctor novæ
Fuit salutis. Nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cœlo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavacro labe demta criminum,
Ibant renati non secus quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat:
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.

corrumpi pessimis moribus civitatum. In eremo autem vir ille rigidæ disciplinæ, sobrius sancto jejunio sese abstinebat potu et cibo usque ad noctem, assuetus dare corpori parum frequens nutrimentum, locustas scilicet, et mel agreste. Hic primus hortatus est homines, docuitque novam viam salutis; eluit enim in aquis Jordanis maculas deletas præteritorum peccatorum. Postquam autem abluerat corpora immunda, Spiritus Sanctus refulgens demittebatur de cœlo. Hoc baptismate cum sordes peccatorum essent abstersæ, splendebant regenerati, æque ac vena auri informis purgata igni coruscat mirifice: vel ut est fulgor argenti, quod politum defæ-

Heins. in not. Put. *Parvum* Weitz. G. *Parum* A. Bodl.—73 *Veterum piatas* Isonius; W. superscr. B. Vulg. *Pie vetustas* Weitz. Gold. W. *Vetustas pie*

NOTÆ

69 *Rarum*] Antea, *parum*, inepte. Giselinus vero *parcum victum* legendum esse censuit. Quæ castigatio, ut ipse fatetur, nonnullis durior videtur; licet 'parcus, et parabilis victus' apud Curtium reperiatur. Puteanum itaque, atque Heinsium sequamur, qui probe *rarum victum*, nempe infrequentem, posuerunt.

73 *Lavit*] Non putem Prudentium ea fuisse opinione, Joannis Baptismum ex opere operato, ut loquuntur Theologi, contulisse gratiam, atque baptizatos notasse charactere; quod peculiare est baptismatis Christi. Sed, more poëtico, ut majores jejunio laudes tribueret, quod uni Christo accidit, quia descendit Spiritus Sanctus in specie columbæ, id de omnibus aliis dixit.

78 *Pulchrum*] Positum nomen pro adverbio. Idem in sequenti versu 'Sudum' pro Sude, quod ipsi singulare non est. Nam Virgilius: 'Torvumque repente proclamat:' atque alibi, 'Sedet, æternumque sedebit.'

Referre prisci stemma nunc jejunii
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ civitatis incolis
Fulmen benigni mansuëfactum Patris
Pie repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim: quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo solverat lascivia,
Et inde bruto contumax fastidio,
Cultum superni negligebat Numinis.
Offensa tandem jugis indulgentiæ
Censura, justis excitatur motibus,
Dextram perarmat rompheali incendio,
Nimbos crepantes et fragosos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.
Sed pœnitendi dum datur diecula,

cando, clare nitet. Nunc mihi placet describere gloriam antiqui jejunii, traditam scripto in sacris literis: quomodo Deus optimus jam armatus fulmine, flammis benigne restinctis, placatus ignoverit civibus urbis, quæ destruenda fuerat. Olim populus ille ditissimus sese extollebat immodica superbia, quem prava mollitia penitus perdiderat deditum libidinibus: hinc rebellis fastu ridiculo non curabat adorare Deum. Tandem vindicta Dei semper indulgentis irritata concitatur justo furore. Manu arripit ensem flammeum, et intorquens nimbos sonantes, ventosque violentos concutit fulgure ac tonitru. Dum vero ipsis datur tempus agendæ pœnitentiæ,

H. in rasura.—89 *Fastigio* H.—90 *Vultum* Eg.—95 *nubem* A.—103 *qui mi-*

NOTÆ

81 *Stemma*] Quare hoc verbo usus fuerit poëta facile videtur. Stemmata enim apud antiquos majorum erant imagines, quæ apponebantur in atriis, quæque nobilitatem generis demonstrabant. Apud nos vero locum tenent tesseræ gentilitiæ, quibus nobiles a plebeiis hominibus secernuntur. Ita ut stemmata, ipsaque generis nobilitas unum sint et idem. Plin. lib. xxxv. 'Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.'

93 *Rompheali*] Romphea, genus pili est, quo Thraces in bellis plurimum utebantur, illisque erat fere peculiare. Hoc autem vocabulum usurpasse Ennium Ann. lib. xiv. testis est Gellius.

96 *Diecula*] Breve tempus, et mora. Ter. Andr. iv. 2. 'Eho! tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo, Quantum huic promoveo nuptias?'

Si forte vellent improbam libidinem
Veteresque nugas condomare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paulumque dicta substitit sententia.
  Jonam prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuntius:
Sed nosset ille cum minacem judicem
Servare malle quam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
  Celsam paratis pontibus scandit ratem:
Udo revincta fune puppis solvitur:
Itur per altum: fit procellosum mare:
Tum causa tanti quæritur periculi,
Sors in fugacem missa vatem decidit.
  Jussus perire solus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat.

Deus exorabilis continuit manum, et lata sententia paulisper dilata fuit; si forte statuerent cohibere turpem libidinem, et comminuere instrumenta pristinæ luxuriæ. Vindex mansuetus compellit Jonam Prophetam, ut eat nuntiatum pœnam impendentem. Is autem, cum sciret Deum minitantem malle condonare, quam percutere ac punire, parat clam fugere in Tharsos. Conscendit altam navim admota scala; navis alligata rudente madido solvitur. Jam procedunt alto æquore: tempestas oritur in mari; tunc inquiritur causa tanti periculi; sors ducta cadit in prophetam fugientem. Unus reus inter omnes, cujus scelus detectum erat urna versa, addictus



nacem Put. T. Nom. *dum m.* Ro.—109 *tanti* Heins. Vat. duo vetustior. *tanta*

NOTÆ

101 *Jonas*] Scribunt Hieronymus et Isidorus Ebræos opinari Jonam filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit. Quam opinionem rejiciunt omnes periti tanquam frivolam, atque ex Rabbinicis officinis profectam. Alii volunt filium fuisse Amathi, qui fuit de Geth, quæ est in Ophir. Ut ut est, tempore certe præcessit partam a Jeroboamo de Syris victoriam, utpote quam prædixit, quemadmodum habetur in quarto Regum, ac proinde Oseæ, Amosi, et Isaiæ, vel minimum æquævus esse potuit.

105 *Tharsos*] Septuaginta, quibus assentitur Hieronymus, Carthaginem interpretantur. Alii volunt hic agi de Tharso Ciliciæ metropoli, Cydno amne irrigata; cujus conditor Perseus Danaës filius.

112 *Voluta urna*] Tractum ex Græcorum more, apud quos in judiciis urnæ duæ statuebantur, in quas singuli judices calculum sortemque vel damnantem vel absolventem conjiciebant.

Præceps rotatur, et profundo immergitur:
Exceptus inde belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
  Transmissa raptim præda, cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
Impune linguam, ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent uvidi;
Os omne transit, et palatum præterit.
  Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture;
Errabat illic per latebras viscerum,
Ventris Meandros circuibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
  Intactus exin tertiæ noctis vice
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosque candens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, seque servatum stupet.

morti præcipitatur, ac projicitur in mare. Inde receptus faucibus piscis, absorbetur vivus in spatio ventris ampli. Sed præda velociter hausta evitavit morsus dentium inanes; illæsus propheta præterit linguam belluæ incruentam; transit os omne, et est prætergressus fauces, ne dentes maxillares lacerarent illam escam retentam mordicus. Mansit tribus diebus et totidem noctibus inclusus utero belluæ; ibi peragrabat loca abdita viscerum, atque anhelans percurrebat sinus flexuosos intestinis belluæ ferventibus intus. Tertia nocte redeunte, pisce evomente respirando, projicitur illæsus ex utero in locum, ubi franguntur fluctus finientes cursum cum murmure, et candens spuma cavat salsos pumices. Exit pulsus, et miratur se esse inco-

Weitz. Cellar.—119 *dessecarent* W. *desecarent* Gold. *disseparent* Put. *vividi* A. P. N. Heins. Aldus.—121 *præcessibus* H.—124 *Ventris recessus* Vat. duo. Glossema pro lectione.—126 *exim* B. *vicem* Alt. et Eg. a m. pr.—134 *judicis*

NOTÆ

114 *Belluinis faucibus*] Non conveniunt interpretes, quando agunt de pisce, qui glutivit Jonam. Nam ceti nomine quidam intelligunt balænas, alii physeteres, orcas, pristes, lamias, thinnos, omnesque pisces prægrandes et cetaceos. Vulgus putat fuisse balænam; sed quia arctiori est gutture et ventriculo, nec facile hominem integrum glutire potest, sequor eos qui censent lamiam fuisse. De Mæand. supra.

129 *Pumices*] Pumex lapis cavernosus ad corpora lævigandа laudatissimus, in mari crescens. Hic sumitur pro omni lapide cavo exesoque.

In Ninevitas se coactus percito
Gressu reflectit: quos ut increpaverat,
Pudenda censor imputans opprobria;
Impendet, inquit, ira summi vindicis,
Urbemque flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinde ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis et diræ struem,
Tectus flagellis multinodi germinis,
Nato et repente perfruens umbraculo.
Sed mœsta postquam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu supremum palpitat:
Cursant per ampla congregatim mœnia

lumen. Coactus tendit celeri pede in Ninevitas. Posteaquam is reprehensor arguit ipsos, objiciens facinora digna pudore, exclamavit: Ira summi Dei imminet, et mox delebit igne hanc urbem, credite dictis. Deinde ascendit in cacumen montis excelsi, inde visurus flammas confusas incendii communis, et congeriem diræ cladis, coopertus virgultis variarum arborum, et fruens umbra hederæ subito productæ. At vix tristes cives acceperunt vulnus novi doloris, heu summe trepidant: populus et sena-

Var. duo.—139 *multinodis* Eg. P. Put. Delph. *multimodis* A.—142 *congregati*

NOTÆ

131 *Ninevitas*] Nineves incolas. Porro Nineve fuit urbs potentissima, in qua prima Assyriorum monarchia sedem suam fixit, tenuitque mille annos et amplius. Sita est ad Tigrim fluvium, non vero ad Euphratem, ut scripsit Diodor. Conditam esse ab Assur filio Sem, filii Noë, censet Joseph. Antiq. I. 7. Verum Euseb. in Chronol. aliique quamplurimi volunt per Assur intelligi Ninum, qui fuit conditor regni Assyriorum, et ex nomine suo nominasse Nineven.

139 *Flagellis*] Flagella, summæ arborum partes, quod ventorum crebros sustineant flatus, atque vento flagellentur. Ita Servius in illud Virg. Georg. II. 'Neve flagella Summa pete, aut summa defringe ex arbore plantas:' seu quia caro his percussa flagret. Nisi mavis deducere a flagro flagellum, ut a flabro flabellum, a labro labellum, a lucro lucellum.

Multinodi [*multinodis*] Cum Virg. Georg. II. 'Aut rursum enodes trunci resecantur,' Plin. XII. 14. 'quibus credi potest, matrem quoque teretem, et enodi fruticare trunco,' illud nomen tertiæ tantum declinationis posuerint; lego *multinodis germinis*, ut in Puteano reperitur, non vero *multinodi* secundæ declinationis.

140 *Nato*] Noctu effuso in multos ramos, ut esset umbra super caput Jonæ: sed quæ fuerit illa planta dubium est. Hieronymus hederam, alii cucurbitam interpretantur.

Plebs et Senatus, omnis ætas civium,
Pallens juventus, ejulantes fœminæ.
  Placet frementem publicis jejuniis
Placare Christum: mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demtis, proque gemma et serico
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.
  Squalent recincta veste pullati patres,
Setasque plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine,
Jacens arenis et puer provolvitur.
  Rex ipse, Coos æstuantem murices

tus, cives cujuscunque ætatis, juvenes pallidi, mulieres plorantes currunt turmatim per amplos muros. Statuunt sedare jejuniis publicis Deum iratum. Consuetudo comedendi non servatur: fœminæ ornamentis depositis assumunt vestes lugubres; in locum gemmarum, vestisque sericæ, suffectus cinis implet sordibus ipsarum capillos sparsos. Senatores pallati horrescunt veste recincta. Plebs lacrymans induit cilicium. Puellæ vestitæ pilis pecudum cooperiunt faciem atro velamine, et pueri jacentes humi calcantur pedibus. Princeps ipse, sublata fibula rejiciebat vestem



W.—145 *Pallans* H.—150 *sordibus* A.—151 *bullati* H. Gold. Weitz.—156 *Chios*

NOTÆ

148 *Glaucos*] In luctu iste color assumi solebat a mulieribus, deposita veste purpurea; forte quod ille imitatur cupressi colorem, quæ funesta est arbos, et Inferis consecrata.

149 *Serico*] Apud Seres Scythiæ populos erant arbores, quæ non solum folia, sed lanam quoque proferebant tenuissimam. Ex earum frondibus canitiem depectebant Seres aqua perfusam, ex quo vellere vestimenta conficiebant, quæ serica nuncupabantur. Virg. Georg. II. 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.' Fabulosas multi putarunt Serum arbores, totumque illud genus e vermiculis nasci volunt in ea regione frequentibus. Vulgus autem nostrum Sericum accipit pro eo texturæ opere, quod ex bombycum lanificio depecti solet.

151 *Recincta*] Aliud insignis doloris signum. Virg. Æn. IV. 'in veste recincta Testatur moritura Deos.'

Pullati] Vestibus nigris induti. Juvenalis, 'Horrida mater, pullati proceres.'

156 *Coos*] Cous, denominativum a Co, insula maris Ægei: ubi byssi texendæ artem Pamphila quædam mulier reperit, unde Coæ vestes a poëtis celebrantur.

Æstuantem murices] Sapit revera genium Prudentianum ea loquendi ratio, cum amet mirificum in modum verba cum quarto casu conjuncta. Multa tamen adducere possem loca poëtarum, in quibus verbum æstuo regit accusativum. In Sylvis Statii;

Læenam revulsa dissipabat fibula,
Gemmas virentes et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.
Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Jejuna mensas pubis omnis liquerat:
Quin et negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix derogat.
Greges et ipsos claudit armentalium
Sollers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis neve fontis hauriat:
Vacuis querelæ personant præsepibus.

ardentem murice Coo, smaragdos virides, et uniones sutiles; detrahebat coronam, decus frontis; aspergebat pulvere fœdo suam comam. Nemo erat memor potus, nemo cibi; juvenes omnes esurientes non solvebant mensis jejunium; quin etiam cunabula puerorum flentium, lacte denegato, rigantur lacrymis: nutrices avaræ non præbent lac mammarum. Homines custodes armentorum tenent assidua cura clausa ipsa pecora, ne belluæ vagantes carpant dentibus herbas madidas rore, aut ne libent undam fluminis sonantis; mugitus replent præsepia vacua pabulo. His



Gold. H. B. W. in marg.—162 *pubes* Weitz. Vat. plerique.—165 *derogat* Put. P. B. Amb. Bodl. Torrentii duo. *denegat* Heins. H. superscr. *abnegat* Nom.—166 *armentarium* Bodl.—173 *Prospere* quidam. *Proper* Torrentii un.

NOTÆ

'Pisæumque domus non æstuat annum.' Cypri: 'Sulphura cum flammis flagrantibus æstuat æther.'

Murices] Murex piscis est marinus e genere concharum, paululum a purpura diversus. Caro in escam, sanguis in colorem assumitur ex Mart. lib. XIII. Epig. 87. 'Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis; et non est hoc satis, esca sumus.'

157 *Lænam*] Teste Nonnio 'læna' vestimentum est militare, quod supra omnes vestes assumitur; sed quia oblongum est et bello parum commodum, ideo putant aliqui errare, ac lænam cum chlamyde confundere. Sane certum est in sacrificiis læna usos fuisse antiquos. Nam Popilius Lænas appellatus est, quod ea indutus exisset e sacrificio ad seditionem sedandam. De fibula inf.

158 *Lapillos sutiles*] Nempe uniones, quos terimus perforamusque, ut vestibus insuamus.

162 *Pubis*] Probe omnino *pubis* in Puteano et Torrentianis duobus. Syllaba enim brevis hac sede requiritur. Priscianus lib. VI. monet Cæsarem declinasse pubis, puberis. Pari modo dicitur torques et torquis, feles et felis, vulpes et vulpis. Atque apud Prudentium frequenter 'Joannis' pro Joannes, ultima correpta.

Mollitus his et talibus brevem Deus
Iram refrænat, temperans oraculum
Prosper sinistrum: prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus, dicato corde, jejunaverit
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emanuel est, sive *nobiscum Deus.*
Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumque laxo sub voluptatum jugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis ante victor et cupidinis.
Inhospitali namque secretus loco
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vindicavit gratiam.
Firmans salubri scilicet jejunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.
Miratus hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti,
Explorat arte sciscitator callida,

aliisque Deus placatus ponit iram suam brevem, et benignus mutat sententiam duram. Nam mansuetudo Dei facilis condonat ultro peccata hominibus supplicibus, et favet plorantibus. At, unde sumo exemplum ex Veteri Testamento? Siquidem Christus, qui vocatus est a Propheta Esaia Emanuel, seu Deus nobiscum, pridem indutus carne caduca indixerit sibi corde puro jejunium. Is liberator hominis servientis cupiditatibus, et domitor libidinis ante imperantis, vindicavit lege severa virtutis in libertatem corpus nostrum effœminatum a natura, et ferens dominationem voluptatis jucundæ. Namque absconditus in loco inhabitabili, per quadraginta dies decedentes corroborans salutari scilicet abstinentia corpus ignarum veri gaudii, nullam adhibuit lautitiam ciborum. Dæmon est obstupefactus, quod homo e luto corrupto formatus posset sustinere ac ferre tantum laboris. Quare is tentator in-

Propere B. superscr.—174 *supplicum* quidam.—188 *vendicavit* Weitz. Delph.

NOTÆ

178 *Jesus, dicato*] Omnia, quæ retulit Poëta de Christi jejunio in deserto, vide apud Evangelistas.

Deus ne membris sit receptus terreis:
Sed, increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu Magister dogmatis
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus,
Ut cum vorandi vicerint libidinem,
Late triumphet imperator spiritus.
Hoc est, quod atri livor hostis invidet,
Mundi polique quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram pectoris rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe et illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus:
Unam paremque sortis humanæ vicem

quirit arte callida, an Deus induerit hæc membra humana; sed, dolo increpito, a Christo abiit. Jam nos omnes pro viribus imitemur illud, quod tu, o Jesu, doctor dogmatis tam sancti reliquisti tuis sectatoribus; ut mens domina omnino triumphet, cum fregerit cupiditatem edendi. En res, quæ conciliat invidiam atro diabolo, quæ placet rectori cœli et terræ, quæ reddit Christum secundum, quæ excitat fidem hominum ignavorum, quæ excutit sordes animæ criminosas. Nec tam absolute ignis extinguitur aqua injecta, nec tam nives dissipantur ardore solis, quam sordida multitudo peccatorum turbulentorum evanescit subacta longo jejunio, si tunc etiam eleemosyna conjungitur. Nam et illud maximum est genus virtutis, præbere scilicet nudis vestimenta, esurientibus alimenta, petentibus opem benignam, ac pro certo habere unam eandemque esse vicissitudinem sortis humanæ divitibus atque pau-



—197 *tum* A.—199 *vicerit* quidam.—205 *corporis libidinem* Bodl. Nom. Ro. Eg. P. H. W. in marg. *peccati rubiginem* T. *pectorum rubiginem* Vat. un. a m.

NOTÆ

214 *Unam paremque*] Quam belle Hor. Od. II. 3. idem cecinit. 'Divesne, prisco natus ab Inacho, Nil interest; an pauper, et infima De gente sub dio moreris, Victima nil miserantis Orci. Omnes eodem cogimur: omnium Versatur urna; serius, ocyus, Sors exitura.'

Inter potentes atque egenos ducere.
  Satis beatus quisque dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatque fructus fœnerantem centuplex.

peribus. Ille est satis fortunatus, qui porrigit manum rapacem gloriæ cœlestis, distribuentem bona terrena, ita ut sinistra ignoret rectum opus dexteræ; is statim abundat divitiis æternis, et ditescit fænerator fænore conduplicato ad centuplum.



sec. Weitz. Heins. Delph.—216 *quisqui* G. et alibi.

NOTÆ

218 *Cujus sinistra*] Alludit ad illud Matth. cap. VI. 'Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.'

219 *Illum fænerantem*] Ex cap. XIX. 'Omnis, qui reliquerit domum aut fratres, centuplum accipiet.'

VIII. HYMNUS POST JEJUNIUM.

Dei erga nos indulgentiam commendat, qui contentus levi obsequio, quod illi per abstinentiam exhibemus, permittat ut largiori cibo jejunia solvamus, quem salubrem animæ corporique precatur.

CHRISTE, servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frænas, facilique septos
      Lege coërces.
Ipse cum, portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Major exemplis, famulos remisso
      Dogmate palpas.
Nona submissum rotat hora solem,

O Jesu, rector Christianorum, qui nos gubernans mitibus præceptis contines amice, et cohibes remoratos facili lege. Tu ipse, cum tollens arduum onus carnis toleraveris immensos labores, potentior exemplo adularis servos tuos mollibus jussis. Sol jam decedens rotando collocavit novem horas: tribus autem partibus diei elap-

NOTÆ

3 *Leniter frænas*] Ex Matth. cap. XI. 'Jugum meum suave est, et onus meum leve.'

9 *Nona*] Diversa fuit apud antiquos diei divisio. Quidam enim uno cœli circumactu numerabant, i. e. inter

Partibus vixdum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti, dape vindicata,
Solvimus festum, fruimurque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni favor est magistri:
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequela ut
Mulceat artus.
Addit et, ne quis velit invenusto
Sordidus cultu lacerare frontem:
Sed decus vultus, capitisque pexum
Comat honorem.

sis, quarta pars diei superest in axe inclinato. Nos finimus festum nostri brevis jejunii cibis paratis, et fruimur cœna abundantissima, ut expleatur voluptas edendi. Æternus magister tam est mansuetus; doctor mitis erudit nos tam benignis monitis, ut hæc facilis obedientia molliat corpus. Vetat etiam jejunantem sordidum neglecto cultu deformare faciem suam; ast vult ut ornet capillos, ornamentum vultus, et ex-



13 *vendicata* Weitz.—16 *voluntas* H. W. superscr.—19 *levi* W. *obsequilla* Eg.—21 *invetusto* H. superscr.—22 *Sordibus* Heins.—31 *latente* Eg. P. Nom.

NOTÆ

unum solis ortum et alium, ita ut nox etiam comprehenderetur, et dies civilis vocabatur. Quidam, ut Athenienses, inter duos occasus observavere. Umbri a meridie in meridiem. Ægyptii a media nocte in mediam. Quidam denique ex oriente sole ad solis occasum; hic dies artificialis dicebatur, vel hemisphærialis. Singuli igitur dies in duodecim horas inæquales dividebantur. Hor. Sat. I. 9. 'Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei Præterita.' Ultimam diei divisionem secutus est Prudentius hoc in loco, quia ætate sua, ut colligimus, jejunantes cibum sumebant tantum vespertinis horis.

10 *Partibus tribus*] Subaudi, ex quatuor, in quas dies dividitur; quemadmodum et nox in quatuor vigilias. Inde dictæ sunt prima, tertia, sexta, nona.

14 *Festum*] Hic, atque in superiori hymno, festum vocat jejunium, eo quod corporis illa maceratio Deo offeratur; alluditque ad dies festos Romanorum, in quibus vel sacrificia diis offerebantur, vel ludi in honorem Deorum fiebant.

21 *Ne quis*] Ex eo, quod scribitur Matth. cap. VI. 'Cum jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes.'

24 *Comat*] Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam

Terge jejunans, ait, omne corpus,
Neve subducto faciem rubore
Luteus tinguat color, aut notetur
Pallor in ore.
Rectius læto tegimus pudore
Quicquid ad cultum Patris exhibemus,
Cernit occultum Deus, et latentem
Munere donat.
Ille ovem morbo residem, gregique
Perditam sano, male dissipantem
Vellus affixis vepribus per hirtæ
Devia sylvæ,
Impiger pastor revocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus:
Inde purgatam revehens aprico
Reddit ovili.
Reddit et pratis, viridique campo;
Vibrat impexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens:

tensum honorem capitis. Nam ait, o jejunans, unge totum corpus, ne aut vultus amisso rubore accipiat luridum colorem, aut genæ palleant. Satius est occulere læto rubore id omne, quod agimus ad adorandum Deum; nam Deus videt hominem absconditum in tenebris, et remunerat quod latuerit. Hic pastor vigilans revocat ovem languidam morbo, segregatam a sano grege, passim dispergentem per inaccessa itinera spinosi nemoris lanam affixam rubis; et fugatis lupis imponens in humeros portat illam; deinde revehens sanatam ducit in ovile apertum, ducit et in prata, et in campum virentem, ubi nulla spina nascitur mixta lappis; nec carduus



patenti Gronov. ex conj.—34 *sanat* Vulg. et Codd. quidam minoris pretii.—35 *adfixum* Ro. Vat. un. *hyrtæ* B. Gold. Weitz.—38 *gravatos* Eg. H.—42 *im-*

NOTÆ

lava. Honor enim hic pro pulchritudine ponitur, ut apud Virg. Æn. I. 'Et lætis oculis efflarat honores.'

31 *Cernit*] Eodem loco Matth. scribitur: 'Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.'

33 *Ille ovem*] Quantus sit amor Dei erga nos ostendit exemplo hominis, de quo Luc. cap. XIII. fit mentio. 'Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.'

42 *Lappis*] Harum cognitionem sub duplici distinctione nobis herbarii auctores repræsentant. Una major dicitur, altera minor. Hæc ἄρκτιον nuncupatur propter similitudinem

Sed frequens palmis nemus, et reflexa
Vernat herbarum coma: tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi, fide pastor,
Servitus quænam poterit rependi?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantum.
Quamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teque contemtis epulis rogemus
Nocte dieque;
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus Genitoris æquat:
Frangit et cratem luteam laboris
Grandior usus.
Ergo ne limum fragilem solutæ
Deserant vires, et aquosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans;
Laxus ac liber modus abstinendi

horrens cingit suum fructum aculeis. Sed ubi rami multarum arborum frondescunt, et folia reflexa herbarum pullulant; ubi laurus perennis opacat undam vivam fluminis: o bone Pastor, quodnam officium poterimus referre tibi pro illis beneficiis? nulla promissa supplicantium exæquant donum salutis. Quanquam maceremus sponte corpus consumtum, quod præter consuetudinem non sumsimus cibum, et oremus te noctu ac diu epulis relictis, semper tamen inferior cura servorum superatur, nec potest componi muneri Creatoris; et corpus luteum frangitur nimia defatigatione. Ne igitur effœtæ vires deserant artus caducos, ne venæ pallidæ abundent humore aquoso, debilitante infirma membra; summa et libera libertas edendi datur

plexis A.—46 *dum* W.—59 *Frangat* Gold. W. superscr.—64 *inervans* Amb.—

NOTÆ

quam habet cum villosis, hirtisque ursorum capitibus; aut προσώπων, quasi personata, quod ejus foliis, quæ lata sunt, tota histrionis facies tegeretur in theatris, aut denique φιλάνθρωπος, nam adhæret hominum vestibus. Illa vero ξάνθιον dicitur, quod ea capillos ruffet, et χοιραδόλεθρον, quod strumas aboleat, et canaria, quod adhæreat canibus.

59 *Cratem*] Crates, viminibus contexta est; hic tamen vas omne fragile significat.

Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit: sua quemque cogit
Velle potestas.
Sufficit, quicquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare,
Sive tu mensam renoves, cibumve
Sumere tentes.
Annuit dexter Deus, et secundo
Prosperat vultu; velut hoc salubre
Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum, supplex precor, et medelam
Conferat membris, animumque pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

omnibus, neque lex severa injicit nobis timorem; unusquisque tantum adigitur optare juxta opes suas. Satis est incipiendo omnes tuas actiones, petere prius a Deo consensum, sive tu nolis cœnare, sive tentes sumere cibum. Tum Deus adest propitius, et fortunat benigno aspectu. Quia carpimus tunc alimenta veluti consecrata, speramus illa nobis fore salutaria. Te oro supplex ut cibus, inclusus venis famulorum supplicum, ipsis sit utilitati, et reficiat corpus, et pascat animum.

71 *renoves* Weitz. B. Gold. Vat. un. antiquiss. Torrentii un. *renuas* Amb. Put. T. Bodl. Heins. et al. *renovas* Torrentii un.

NOTÆ

77 *Bonum*] Ita Cicero multis in locis dixit, 'Capere bonum cibo, potione, aurium delectatione.'

IX. HYMNUS OMNIS HORÆ.

Hymnus est in laudem Christi, cujus duplicem tradit Nativitatem, æternam et temporalem: miracula quædam commemorat, ac præcipua vitæ ejus gesta recenset, et celebranda proponit.

DA puer plectrum, choreis ut canam fidelibus

Serve affer lyram, ut fidis trochæis dicam carmen amœnum, et melos, ac clara

Hymnus omni hora T. B *Hymnus omnibus horis* Bodl. *Hymnus semper*

Dulce carmen et melodum, gesta Christi insignia,
Hunc Camœna nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem rex Sacerdos affuturum protinus
Infulatus concinebat voce, chorda, et tympano,
Spiritum cœlo influentem per medullas hauriens.
Facta nos et jam probata pangimus miracula.
Testis orbis est; nec ipsa terra quod vidit, negat,
Comminus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde fusus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha et Ω cognominatus; ipse fons et clausula

miracula Christi: mea musa illum unum cantet, barbytos resonet hunc unum. Christus est ille, quem David infulatus, et plenus Spiritu prophetico divinitus infuso per artus, cantabat voce, chorda, et tympano mox affuturum. Ego refero miracula certo patrata, et jam authentica: mundus est testis; ac terra ipsa fatetur vidisse Deum vestitum carne, ut propius doceret homines. Is productus a Patre, ante creationem rerum omnium, dicitur Alpha, et Omega: ipse est principium, ac finis re-

canendus Ro. *ad omnes horas* A.—5 *et* deest Gold.—6 *fluentem* Ro.—8 *terra nec ipsa* H.—10 *Corde natus* G. Weitz. Vat. omn.—11 *cognominantur* Weitz.—

NOTÆ

1 *Plectrum*] Instrumentum, quo citharœdi fides plectunt, sic dictum a πλήττω percutio. Hic lyram ipsam aut barbiton significat.

2 *Melodum*] Illud adjectivum formavit a melos, quod nomen indeclinabile est, quanquam nonnulli reperiantur, qui putent dici posse melos melodis, vel melos meli. Hæc dictio Græca est, cantusque suavitatem significat.

3 *Camœna*] Poëtarum more, quibus familiare est musas, sibi suggerentes, quæ scribant, inducere. 'At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.' Musæ dictæ sunt Camœnæ a carminibus, ut colligere est ex eo, quod prius Carmenæ, et Casmenæ vocatæ fuerint a Casmen, aut Casno, quæ sunt obsoleta verba.

4 *Rex Sacerdos*] Quidam volunt id intelligi debere de Melchisedech, qui solus rex, et sacerdos in sacris litteris nuncupatur. At quæ sequuntur, aperte declarant illos aberrare a veritate, atque id ad unum Davidem referri. Adde quod sacerdos, antistes, vates, poëta, Propheta pro eodem fere accipiuntur a Prudentio, ut supra: 'Elia tali crevit observantia Vetus sacerdos.' Denique, ut exponit Fabricius, Psalmos scripsit, quod munus sacerdotum erat.

5 *Infulatus*] Ab infula, quæ nostrorum est pontificum insigne. Infula autem apud antiquos fascia erat latior, lanea, et alba, caput non totum operiens, sed tempora instar diadematis cingens, ex qua tæniæ dependebant. Victimæ, Sacerdotes, vates iis coronabantur.

10 *Corde natus*] Quomodo filium ab æterno pater producat, jam fusius.

11 *Alpha*] Ex Apocal. cap. I. 'Ipse jussit.' Ex Genes. cap. I.

Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.
Ipse jussit, et creata; dixit ipse, et facta sunt:
Terra, cœlum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto Solis et Lunæ globo.
Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat quam lex profundo noxialis Tartaro.
O beatus ortus ille, virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem fœta Sancto Spiritu:
Et puer redemtor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cœli, psallite omnes Angeli,
Quicquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei:
Nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet.
Ecce, quem vates vetustis concinebant sæculis,
Quem prophetarum fideles paginæ spoponderant,
Emicat, promissus olim: cuncta collaudent eum.
Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile:

rum, quæ sunt, quæ fuerunt, quæque in posterum sunt futuræ. Mandavit, et creata sunt, dixit, et facta sunt, cœlum, cavum maris, terra, tria scilicet primordia omnium rerum: denique quæ vivunt in his elementis, subjecta globis excelsis solis et lunæ. Sumsit corpus debile, et membra mortalia, ne posteri primi hominis perirent; quos lex noxalis præcipitaverat in infernum. O beatus ille partus, quo Maria puerpera gravida e Spiritu Sancto peperit nostram salutem, et quo Jesus servator hominum ostendit faciem divinam. Altum cœlum te canat, omnes Angeli te canant, omnes potestates, ubicumque sunt, dicant laudes Dei; nulla lingua linguarum sileat, et vox omnis annuntiet. Olim promissus ecce nunc apparet; de eo Sibyllæ loquebantur primis sæculis; Prophetæ tradiderant veracibus libris scriptis illum venturum: omnia eum celebrent. Aqua infusa hydriis mutatur in firmum vinum: fa-

17 *protoplasti* F. Cellar. ex Mss. quibusd.—18 *quem* F. Eg. B. Put. T. Amb.—23 *psallant o. a.* Weitz. *psallante* A. *psallat omnis angelus* F.—25 *præcinebant* Torrentii dno. *præcinebat* Ro. *concinebat* T.—27 *conlaudent Deum* Torrent. nn.—28 *limfa* Weitz. *limpha* Gold. B.—29 *Nuntias* T. *sumtum* Amb. *ydria* Weitz.

NOTÆ

17 *Primoplasti*] Nonnulli legunt *protoplasti*. Quod Fabricius secutus est. Sic apud Alcimum Avitum: 'His protoplaston sensum primordia prima.' Sed compluribus exemplis licet evincere, veteres sibi multum permisisse in vocabulis Latino-Græcis hujuscemodi procudendis.

28 *Lympha*] Id primum Christi miraculum, quod fecit in Cana Galilææ. Joan. cap. II. De Cantharo Bacchi poculo inf.

Falernum] Falernus, mons et ager Campaniæ: mons vino, ager frumento feracissimus. Quare antiqui dixere Bacchum cum Cerere de hac regione

Nuntiat vinum minister esse promtum ex hydria,
Ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.
Membra mortis ulcerosa, viscerum putredines
Mando ut abluantur, inquit, fit ratum quod jusserat:
Turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris jam sepulta lumina
Illinis limo salubri, sacri et oris nectare:
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.
Increpas ventum furentem, quod procellis tristibus
Vertat æquor fundo ab imo, vexet et vagam ratem:
Ille jussis obsecundat, mitis unda sternitur.
Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit:

mulus nuntiat hausisse vinum de hydria: ipse architriclinus miratur quod hydriæ sint imbutæ tam dulci liquore. Volo, inquit, ut membra ulcerosa lepra, et corruptio viscerum sanetur; id, quod jusserat, evenit certo; purgatio vulnerum mundat cutem inflatam. Tu, o Christe, perungis luto salutari, et saliva tui oris divini oculos, quibus erant obortæ tenebræ in omni æternitate: statim hoc remedio oculi aperti aspexerunt lucem. Reprehendis ventum vesanientem, qui evertit sævo turbine mare ab imis sedibus, et agitat navem errantem; ventus mitis obedit dictis, mare quiescit. Fœmina clam tetigit fimbriam tui sacri vestimenti: repente sanitas est reddita ipsi:

Gold.—37 *Increpans* H.—38 *Verrat* F. quod fuit et in H. *summo ab imo* Eg.

NOTÆ

decertasse. Inter generosa vina Italiæ secunda nobilitas erat Falerno. Tibul. 'Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos Consulis, et Chio solvite vincla cado.' Unde firmissimum quodque vinum Falernum vocatur.

30 *Rex*] Nempe architriclinus. Eo sensu Martialis et Juvenalis dixere 'mensæ regem.' Ac Varro apud Gell. XIII. 11. 'Dominum autem convivii esse oportet, non tam lautum, quam sine sordibus.'

31 *Membra*] De hoc Matth. cap. VIII. 'Ecce leprosus adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare; et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens, Volo, mundare.'

33 *Piamina*] De donorum oblatione, quam præcipit Moyses Levit. cap. XIV. loquitur Poëta. Sanitatem tamen prius, quam donum offerret, accepit leprosus. Quare Spiegelius vult piamen sumi pro eo, quo in expiando utebantur Sacerdotes.

35 *Illinis*] Cæcum illum ab ortu intellige, quem Jesus facto luto ex terra et sputo perunxit ex Joann. cap. IX.

37 *Increpas*] Ex eo, quod scriptum est Matth. cap. VII. quod dormiente Christo in navicula, qua cum discipulis vehebatur, cum ingruisset tempestas, expergefactus ab illis, in summo discrimine positis, imperavit ventis, et facta est tranquillitas.

40 *Extimum*] Quod mulier tetigisset fimbriam vestimenti Christi, confestim siccatus est fons sanguinis ejus. Matth. cap. IX. Luc. cap. VIII.

Protinus salus secuta est, ora pallor deserit:
Sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti.
  Exitu dulcis juventæ raptum ephebum viderat,
Orba quem mater supremis funerabat fletibus:
Surge, dixit, ille surgit, matri et astans redditur.
  Sole jam quarto carentem, jam sepulcro absconditum
Lazarum jubet vigere, reddito spiramine:
Fœtidum jecur reductus rursus intrat halitus.
  Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum:
Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam,
Nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
  Suetus antro bustuali sub catenis frendere,
Mentis impos, efferatis percitus furoribus
Prosilit, ruitque supplex, Christum adesse ut senserat.
  Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum,

pallor non inficit amplius vultum: fluxus sanguinis, qui fluebat perpetuo, deficit. Ambulans Christus invenerat adolescentem ætatis florentis mortuum immature, cum mater orba multum lacrymans sepeliebat dixit mortuo, surge: mortuus surgit, et erectus redditur matri. Jubet Lazarum jam a quatuor diebus privatum luce, jam tectum tumulo vivere, revocata anima: anima rediens ingreditur iterum in corpus maleolens. Incedit per mare; quatit planta superficiem aquarum; aquæ fluidæ maris præbent iter suspensum, neque fluctus pressi cedunt sanctis pedibus. Dæmoniacus impotens animi, qui constrictus catenis solebat fremere in sepulcro, percussus furore effrænato prorumpit, et se prosternit ad pedes, statim atque sensit præsentiam Christi. Lues dæmonum omnimodis obscænorum petit pulsa immunditiam

—52 *bustiali* Vulg.—55 *milliformis* Put.—57 *et pecus* T. Nom. Put. *fit pecus*

NOTÆ

43 *Ephebum*] Hoc miraculum refert Luc. cap. VIII. Ephebus autem is est, qui ad pubertatis annos pervenit. Ter. Eunuch. V. 1. 'Quis fuit igitur? iste Chærea. Qui Chærea? Iste ephebus frater Phædriæ.'

47 *Lazarum*] Lazarus a Bethania, de castello aut potius vico Mariæ et Marthæ sororum ejus; quem Christus suscitavit a mortuis Joan. cap. XI.

49 *Ambulat*] Cum discipulorum, inquit Matth. cap. XIV. navicula quateretur fluctibus, venit ad eos quarta noctis vigilia, ambulans per summos fluctus.

53 *Antro bustuali*] Adi Marc. cap. V. 'Bustum vero quasi bene ustum dici ferunt, antiquitus enim cadavera comburebantur. Suetonius bustum pro sepulcro posuit; ut hic bustuali pro sepulcrali Prudentius. Cicer. vocat 'bustuarios' gladiatores eos, qui ante sepulcra dimicabant. Nam, cum mos esset in sepulcris virorum fortium captivos necari, idque postea crudele visum foret; placuit ut eo more sublato introducerentur gladiatores, qui ante sepulcra pugnarent.

55 *Milleformis*] Bene in Puteano *milliformis*, ut multiformis. Sic in

Corripit gregis suilli sordida spurcamina:
Seque nigris mergit undis, ut pecus lymphaticum.
Quinque panibus peresis, et gemellis piscibus,
Fertque qualus ter quaternus ferculorum fragmina:
Affatim refecta jam sunt accubantum millia.
Tu cibus, panisque noster, tu perennis suavitas:
Nescit esurire in ævum qui tuam sumit dapem;
Nec lacunam ventris implet, sed fovet vitalia.
Clausus aurium meatus, et sonorum nescius,

sordidam porcorum; ac grex tanquam furiosus præcipitat se in mare, cujus aquæ sunt fuscæ. Postquam quinque panes consumti fuere, et duo pisces, colligite, inquit, in duodecim corbes fragmenta ciborum, jam sunt abunde saturata millia hominum accubantium. Tu, o Jesu, noster es cibus, noster panis, tu nostrum gaudium æternum. Is, qui utitur tuo cibo, non potest esurire in ævum, nam ille cibus non explet ingluviem ventris, sed fovet animam. Aditus aurium clausus, nec conci-

Weitz. Vat. un.—58 *Ferte qualis ter quaternis f. f. Quinque p. p. et g. p. Affatim refecta, &c.* Weitz. W. B. *Quinque p. p. et g. p. Ferte qualis ter quaternis ferculor. fragmina Adfatim refecta, &c.* Heins. Chamillard. Cellar. et al. *Quinque p. &c. Adfatim refecta, &c. Fertque qualus ter quaternus* Vat. un. G. *Ferte qualis ter quaternis ferculorum f. Affatim referta, &c. Quinque, &c.* Gold. *Ferta qualis* H. *Fert æqualis* Eg. *Fert ter in q.* F.—60 *accumbentium* A. *adcubentum* Put. Bodl.—61 *et perennis* Amb.—65 *clausa*

NOTÆ

Apoth. 'Caniformis.'

56 *Corripit*] Legio dæmonum ex energumeno in porcos immittitur. Marc. v.

57 *Pecus lymphaticum*] Lymphaticus, qui vitium ex aquæ conspectu contraxit, vel ex imagine visa in aqua. Vulgo memoriæ proditum est, quicumque speciem quandam e fonte, i. e. effigiem nymphæ, viderint, furendi non fecisse finem. Ita Festus.

59 *Ferte*] Mirum quantum inter se discrepent codices. Hi habent, *Fertque qualus ter quaternus:* isti, *Fertque qualis ter quaternis*, denique alii, *Ferte qualis ter quaternis*, quos secutus sum. Primam tamen lectionem non improbo, ac satis nitida mihi videtur. Secunda pessima est, nec potest admitti. Matth. c. xiv. meminit hujus miraculi. Manducantium fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

Qualus] Qualus vel qualum, vas vimineum per quod vinum guttatim defluit cum calcatur uva. Sed Apul. lib. iv. Metamorph. usurpavit pro canistro, in quo panis servatur. Ita Prudentius hoc loco.

61 *Tu cibus*] Ipsa Christi verba. 'Caro mea vere est cibus.' Alibi: 'Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.' Addit postea: 'Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.'

64 *Clausus*] Ad finem c. vii. Evang. Marc. legimus quomodo Christus rursum egressus de finibus Tyri ac Sidonis venerit ad mare Galilææ, eique surdum adduxerint, impeditæque linguæ; quem cum apprehendisset, misit digitos suos in ejus auriculas, et sputo emisso tetigit linguam ejus, ac dicens Ephphetah, quod est aperire, illum curavit.

Purgat ad præcepta Christi crassa quæque obstacula,
Vocibus capax fruendis, ac susurris pervius.
  Omnis ægritudo cedit, languor omnis pellitur;
Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia:
Gestat et suum per urbem lætus æger lectulum.
  Quin et ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat; fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
  Illa promta ad irruentes, ad revertentes tenax,
Obice extrorsum repulso porta reddit mortuos:
Lege versa, et limen atrum jam recalcandum patet.
  Sed Deus dum luce fulva mortis antra illuminat,
Dum stupentibus tenebris candidum præstat diem;
Tristia squalentis æthræ palluerunt sidera.

piens sonos rejicit jusso Christi crassas omnes sordes, ita ut sit aptus ad audiendas voces, et patens susurris. Omnis morbus obedit, omnis languor pellitur; lingua, quæ torpebat longo silentio, loquitur; atque ægrotus lætus portat per urbem suum cubile. Quinetiam, ne animæ inclusæ in limbo essent ignaræ ortus Servatoris, benignus descendit in limbum, cujus fracta porta non resistit, cardo dissolubilis ruit amotis vectibus. Illa porta olim patens euntibus, clausa redeuntibus, nunc pessulo retro posito panditur mortuis; et mutato ordine, jam licet recalcare limen illud. Sed, dum Deus rutilanti luce implet sedes infernas, dum dat pulchrum diem tenebris attonitis, stellæ mæstæ cœli afflicti obscuratæ fuerunt. Sol refugit, et sordi-



quæque Put. Bodl. Nom.—69 *orbem* H. W. superscr. Gold. superscr.—72 *indissolubilis* Bodl. Ro. Nom. Alt. A. Eg.—74 *extrorsum excluso* Bodl. *extrorsum reclusa* T. *extrorsum recluso* Weitz. Vat. quinque.—76 *furva* C. Torrent.—

NOTÆ

67 *Omnis*] Post insignia aliquot Christi miracula seorsim relata, subdit hic Prudentius quod legitur Matth. cap. XV. quodque Sedulius his versibus cecinit: 'Millia cæcorum, claudorum millia passim, Leprososque simul populos, surdasque catervas, Invalidasque manus, et quicquid debile vulgi Venerat, in priscum componit motibus usum, Et revocata suis attemperat organa nervis.'

70 *Quin et ipsum*] De descensu Christi ad Inferos contra vanas multorum disputationes. Sedul. lib. II. 'In extremæ descendit humillima terræ Inferiora petens, sed non excelsa relinquens.' Et Arator lib. I. 'Dignatus ut ima Tangeret inferni, non linquens ardua cœli.' De Tartaro inf.

73 *Tenax*] Juxta illud Virg. Æn. VI. 'Facilis descensus Averni; Noctes atque dies patet atri janua ditis: Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.'

78 *Tristia*] Propter Christi mortem tenebræ factæ sunt super terram. Quod qua ratione factum sit, explicant interpretes sacræ Scripturæ.

Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine
Igneum reliquit axem, seque mœrens abdidit:
Fertur horruisse mundus noctis æternæ chaos.
Solve vocem mens sonoram, solve linguam mobilem:
Dic tropæum passionis, dic triumphalem Crucem:
Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.
O novum, cædes stupenda, vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera:
Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.
Vidit anguis immolatam corporis sacri hostiam,
Vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus sibila.

dus lugubri velo exiit de Zodiaco luminoso, et tristis se abscondidit: fama est mundum timuisse noctem æternam, et primum chaos. Jam, o mea mens, resolve vocem canoram, resolve linguam expeditam, memora triumphum, quem mors Christi deportavit; cane crucem victricem, cane signum baptismi, quo refulgent frontes notatæ Christianorum. O res nova, o mors stupenda, o effectus singularis plagæ: hinc fluxit copia sanguinis, illinc aqua; aqua scilicet abluit peccata, et sanguis nobis imponit coronam beatitudinis. Dæmon vidit hostiam sacri corporis immolatam, vidit, ac statim venenum fellis usti fuit irritum: fractus juxta collum sibilat

82 *Solve mens voce sonora* Bodl. *sonora* Weitz.—84 *vexilum* H.—85 *cæde stupenda* Put. Bodl. Nom. Ro. *cæde in stupenda* T. Torrent. duo. *cædis stupendæ* Weitz. G. in marg. fuit et in H.—90 *sibilat* B. Delph. *sibilas* F.—92 *versi-*

NOTÆ

De Æthra sup. De Axe inf.

85 *O novum*] Puteanus, Oxonius, Nomsius, et Rottendorphius habent: *O novum cæde stupenda*, quod obscurum sane est. In margine editionis Giselinianæ, *Cædis stupendæ*, male omnino. Thuaneus et Torrentiani duo, *Cæde in stupenda*, quod a sensu auctoris non alienum est: sed Ambrosianæ Schedæ, *Cædes stupenda*; ita ut 'Cædes stupenda,' et 'vulneris miraculum' dicantur per epexegesin.

86 *Unda*] Copia. Eo sensu fluentem undam, multitudinem vocarunt Virg. 'Mane salutantum totis vomit ædibus undam:' et Apul. 'Fluent aliæ, superque aliæ sepedum populorum undæ.'

Lympha parte ex altera] Hoc in loco Prudentius ab Evangelistis discrepat, qui militem uno tantum ictu lanceæ latus Christi aperuisse scribunt. Is enim semel atque iterum in Hymno VIII. περὶ στεφάνων: 'Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque; Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.' In lib. Veteris et Novi Testam. 'Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem Christus agit.' Vult apertis verbis utrumque latus perforatum fuisse.

90 *Colla*] 'Colla fractus,' hellenismus, ut 'fractus membra' apud Horatium, et 'os humerosque Deo simillis' apud Virgilium.

Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis
Plasma primum perculisse versipelli hortamine?
Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum.
Tunc patres sanctique multi conditorem prævium
Jam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eque bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de favillis aridis;
Frigidum venis resumtis pulverem tepescere:
Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.
Post, ut occasum resolvit, vitæ et hominem reddidit,
Arduum tribunal victor ascendit Patris,
Inclytam cœlo reportans passionis gloriam.

vulneratus multo dolore. Quid tibi, o perfide diabole, profuit versuta malitia labefactasse primum hominem desiderio rerum novarum? Humana natura piat culpam virtute divinæ, cui conjungitur. Jesus auctor salutis se dedit morti ad breve tempus, ut assuefaceret resurrectioni mortuos sepultos a longo tempore, ruptis antea vinculis pristinorum peccatorum. Tum Patriarchæ et plurimi Sancti secuti Christum prævium, qui jam resurgebat a mortuis, tandem tertio die resumunt pellem, quæ tegit carnem, atque exeunt e monumentis. Membra cernebantur renasci ex aridis cineribus, frigidum pulverem calere venis resumtis, ossa, nervos, et medullas operiri compactione cutis. Postquam debilitavit mortem, et restituit vitam hominibus, victor ascendit in sublime tribunal summi Patris, reportans in cælum insignem

pelli astutia Heins. Put. Bodl. Delph. A. F. P. in marg.—93 *recepta* F.—94 *reddidit* H. Gold. W. in rasura.—97 *Hunc* F. B. Alt. *sancti quem ultima virorum condidit* Eg. P. *sancti quos ultima sors virorum condidit* Alt.—99 *deque* F.—102 *et* Eg. H. *gluttino* A. Weitz.—111 *perstrepunt* Amb. Gold. H. W.

NOTÆ

92 *Versipelli*] Tractum ab Arcadibus, qui trajecto flumine in lupos vertebantur, rursusque ex lupis in homines. Quare pro callido simulatore poni solet. Plaut. in Amphit. 'Versipellem se facit, quando lubet.' Tamen Plin. VIII. 12. Falsa esse asserit, quæ de Arcadibus narrantur, aut putat credenda esse ficta quæque et fabulosa.

97 *Tunc patres*] Ad illud refertur, quod scribit Matth. XXVII. 'Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.'

102 *Glutino*] Et gluten et glutinum dici est notissimum, inde glutinosus pro viscoso usurpatur.

103 *Post occasum*] Narrat hic triumphalem Christi ascensionem ex Act. Apost. cap. I.

Macte judex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in Parentis arce qui cluis virtutibus,
Omnium venturus inde justus ultor criminum.
Te senes, et te juventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus et undæ, littorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, sylva, et aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent sæculorum sæculis.

gloriam mortis. Macte, o judex peccatorum, macte o dux justorum, qui nunc sedens ad dexteram Patris in cœlo splendes tuis virtutibus, atque inde es venturus justus vindex omnium criminum. Senes te, et juvenes te, pueri te, omnes matres, virgines, puellæ innocentes una voce concelebrent piis cantibus. Lapsus fluviorum atque aquæ, oræ riparum, frigus, calor, nix, pruina, arbores, et venti, nox, dies collaudent te per omnia sæcula sæculorum.

superscr. *perstrepent* A. *præstrepant* Eg.—113 *arva* W.

NOTÆ

108 *Venturus*] De extremo judicii die poëtam loqui, nemo non videt. De verbo Cluo infra.

112 *Crepidines*] Crepido est, inquit Valla, ora terræ, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quod ibi aqua alluens crepat, aut undas appellit.

X. HYMNUS CIRCA EXEQUIAS DEFUNCTI.

Cum homo compositum quiddam sit, resolvi aliquando necesse habet, quod fit in morte; sed status, ad quem mors redigit hominem, perpetuus non est, quod ex cura, quæ cadaveribus et sepulcris impenditur, recte probatur: idque opus defunctorum corpora curandi, Deo gratissimum esse, prodit historia Tobiæ. Si autem certissima manet resurrectionis mortuorum spes, jam lacrymis, quibus eorum dolemus interitum, modus ponendus est, ac mors tanquam vitæ reparatio consideranda.

Deus, ignee fons animarum,

O Deus, qui es fons igneus animarum, qui jungens duo elementa, scilicet animam

Circa exequias defunctorum Weitz. Bodl. Ro. *in exequiis defunctorum* A.

NOTÆ

1 *Deus, ignee*] Ex sententia Gentilium Philosophorum anima constat ex igne et aëre, sicut corpus ex aqua et terra. Inde Hor. Sat. II. 2. animam indicans: 'Atque affligit humi divinæ particulam auræ.' Quod

Duo qui socians elementa,
Vivum simul ac moribundum,
Hominem, Pater, effigiasti.
Tua sunt, tua, rector, utraque:
Tibi copula jungitur horum:
Tibi dum vegetata cohærent,
Et spiritus et caro servit.
Rescissa sed ista seorsum

viventem et corpus ex se sine vita, tu Pater fabricasti hominem: o Deus utrumque est tuum: homo, copulatio horum elementorum, tibi conjungitur; dum illud totum vegetum tibi cohæret, anima et corpus cohærent inter se. Sed illis positis separa-



ad defunctorum exequias F.—3 *Vividum* Weitz. Gold. fuit et in W.—8 *Et animus* G. *Et* deest Weitz. *servit* P. B. W. superscr. Heins. ex vet. Codd. *vivit* Weitz. Vat. quatuor. *Flatus* pro *Animus* C. ex conj. 'Sed et seqq. in Put. sic exprimuntur, quanquam scripturam illam in nonnullis suorum inventam damnavit G. *Et spiritus et caro servit. Resoluta sed ista seorsum Proprios revocantur in ortus. Petit halitus aëra fervens: Humus excipit arida corpus. Sic cuncta creata necesse est Obitum tolerare supremum, Ut semina dissociata Sibi sumat origo resorbens. Hanc, &c.* Apparet autem hanc discrepantiam ex duplici editione horum carminum profluxisse. Pessime Weitz. qui omnes diversitates lectionum quasi in unum conflavit. Etiam F. duas lectiones in contextum auctoris ascivit. Videamus singula. *Spiritum* pro *Animum* poni nil novum. *Servire Deo* et hoc Prudentianum. Cod. Amb. itidem vetustiss. ita vss. subseqq. constituebat, ut utramque scripturam videretur quoque exprimi voluisse. Nam sic in Bi. invenio, *Sibimet sumat origo resorbens, Rescissa sed ista seorsum Animæ rapit aura liquorem*, quæ ad vss. 16. 17. et 20. editionis Weitz. opinor referenda esse: ubi versu ultimo exhibetur *rapit arma*, secundo *Resoluta*, primo *Sibi sumat*. Weitziana a vs. 13. ad vs. 21. absunt a Nom. et Ro. In Bodl. Weitziana sic reprimebantur; ut primo loco versus esset 12. ejus ed. Mox 20. 13. 22. 23. 24. 14. 15. 25. ceteris omissis. In G. et A. legebatur: *Animus simul et caro vivit. Rescissa sed ista seorsum Solvunt hominem perimuntque. Humus excipit arida corpus; Animæ rapit aura liquorem. Quia cuncta creata necesse est Labefacta senescere tandem, Compactaque dissociari, Et dissona texta retexi.* Nec dissentit Eg. nisi quod primum vs. sic exhibet ut sup. jam

NOTÆ

nihil est aliud quam Platonicum τὸ θεῖον. Plato inter alios diserte in Timæo explicat hanc sententiam. Docet Deum ex animæ mundi reliquiis animas formasse, atque eas sparsisse in solem, in lunam, aliaque astra. Quare quidam ex ipsius discipulis contendunt igneum vigorem esse animabus, quia per multa sæcula astris invectæ, aliquid ex earum contraxerunt natura, quam igneam esse vulgo creditum est. Quidam Platonem ea fuisse opinione animas ex eodem cœli igne et quinta essentia conflatas fuisse. Sane Virg. Æn. VI. qui hujusce philosophi sententiam sequi videtur, ita cecinit: 'Igneus est ollis vigor et cœlestis origo Seminibus.' Cicero etiam Tuscul. I. ait ex sententia Zenonis, nihil esse aliud animum, quam ignem.

Solvunt hominem perimuntque;
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.
Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hanc tu, Deus optime, mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inviolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Ut, dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa, ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, et grave captat;
Animus quoque pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.

tim homo destruitur et perit. Terra sicca recipit corpus, cælum recipit substantiam animæ. Quia necesse est ut omnis res creata senescens intereat postremum, et omne concretum dissolvatur, et contrariæ partes coagmentatæ dividantur. Tu, o Deus optime, cupiens reducere homines ab hac morte, indicas iter tutum, quo membra redacta in pulverem reviviscant; nempe, ut, dum anima nobilis detenta caduco corpore tanquam carcere includitur, ea, quæ duxit originem e cælo, sit domina. Nam si appetitus corporeus fortuito adamat quod est terreum, et quærit quod est sensibile, anima etiam victa pondere ruit præceps cum suo corpore. Quod

designavimus.' *Heins.*—19 *monstrans* A. Eg. Put. Bodl. *monstra* Ro.—25

NOTÆ

12 *Animæ*] Ut canit Ecclesia, 'Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.'

Aura liquorem] Eodem sensu quo supra, nempe animam, quæ ex cœli igne et quinta essentia conflata est.

17 *Hanc*] Piis probisque hominibus Deus monstrat viam, qua possint resurgere in vitam æternam. Omnes quidem in die judicii resurgent, sed impii non ut vitam illam vivant, sed potius in mortem æternam.

22 *Carcere*] Certe Latinis tritum est illud, detineri animam in corpore, tanquam in custodia, ut apparet ex Tullio in Somnio Scipionis; et de morientibus dicitur, 'evolare ex vinculis et carcere corporis.' Volunt etiam aliqui corpus dici Græcis δέμας, ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ, a vinculis. Denique divus Paulus cum cuperet dissolvi, de corpore tanquam de carcere loquebatur.

At si generis memor ignei
Contagia pigra recuset;
Vehit hospita viscera secum,
Pariterque reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito sæcula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur: hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

si anima memor suæ nobilitatis vitat dira contagia corporis, evehit secum corpus, quod excepit illam, atque etiam attollit in cælum. Nam superest parum temporis, ut illud corpus, quod videmus jacere inanimatum, rursus ineat societatem cum anima cælesti. Brevi tempora appropinquabunt, in quibus calor vitalis redibit ossibus, et sustinebit antiqua membra animata sanguine vivo. Cadavera immobilia, quæ pridem jacebant in sepulcris putrefacta, findent levem aërem sociata pristinis animis. Hinc sepulcra construuntur maximis impensis, hinc ampli honores redduntur cadaveribus, et pompa exequiarum non deest. Solemus involvere mortuos



voluptas Vat. un.—29 *ignei* Nom. Ro. Torrent. un. Græviau. sched. Vat. un. *ignis* Weitz. Vat. plerique. *igneoli* Bodl.—30 *nigra* F. Vat. un.—60 *arcet*

NOTÆ

30 *Contagia pigra* [*nigra*] Vocat nigra propter effectum, animam enim peccata reddunt 'pice nigriorem,' ut cum propheta loquar.

45 *Hinc maxima cura*] Quare Tertullianus agens adversus hæreticos omnes, qui corporum resurrectionem negabant, hæc habet: 'Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum, illa, credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem: et tamen defunctis parentant; et quidem impensissimo officio,' &c.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.
Quid nam sibi saxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis
Non mortua, sed data somno.
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

linteis nitentibus albore splendido, et perfundere myrrha mista thure Sabæo, quæ servat corpora incorrupta. Unde cavata sunt ipsis saxa? Quid denotant superba mausolea? aliquid scilicet non mortuum, sed consopitum committi sepulcris. Solertes Christiani pie curant illud, quia credunt membra, quæ nunc premuntur frigido somno, fore brevi viva. Is pius, qui ductus misericordia condit in tumulo cadavera passim insepulta, facit facinus gratum Deo omnipotenti. Quinetiam

Weitz. B. W. Gold.—64 *prius* A. Eg.—67 *munera* Eg. W. superscr.—74

NOTÆ

50 *Lintea*] Velamina, quibus mortui involvuntur, aut quæ superinjiciuntur, et feretrum tegunt.

51 *Myrrha*] Hæc arbos in Arabia præsertim nascitur, sine spina, caudice duro, cortice levi, et folio olivæ fere simili. Certis temporibus sponte ea tumescit succo, qui incisione exprimitur, diciturque stacte vel myrrha. Condiendis cadaveribus et imbuendis capillis adhibebatur olim, teste Plinio XII. 15. Virg. Æn. XII. 'Fœdare in pulvere crines, Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.'

Sabæo medicamine] Nempe thure, quod nascitur ea in regione. Virg. Georg. I. 'India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.' Saba vero urbs magna Arabiæ Felicis, in monte, regia Sabæorum, ubi thus, myrrha, casia, et cinnamomum abunde proveniunt. Hinc Sabæi populi memoratissimi.

56 *Sed data somno*] Sacris literis mortui dormire non semel dicuntur. Ut, 'Non est mortua puella, sed dormit.' Et illud, 'Amicus noster Lazarus dormit.'

63 *Opus benignum*] Unum ex septem operibus misericordiæ, mortuos sepelire.

64 *Pius*] Antonius Nebrissensis le-

Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.
Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus jam rite paratis
Jus prætulit exequiarum.
Jam stantibus ille ministris,
Cyathos et fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fleto dedit ossa sepulcro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Pretiumque rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis
Deus illita felle serenat.

eadem lex vult ut nos omnes æqualiter illacrymemus, et deploremus in interitu alieno mortem nobis pariter obeundam. Pater sancti Tobiæ, vir ille clarus pietate, et venerabilis, maluit reddere jus exequiarum, quam carpere cibos jam laute paratos. Ille, licet jam famuli adessent, reliquit pocula, et cibos, et flagrans desiderio humandi condidit lacrymans corpus mortui in sepulcro. Repente cœlum donat illum præmiis, et tribuit amplam mercedem; nam Deus reddit lucidos oculos ipsius orbatos luce solis, oblitos felle piscis. Tum Deus Creator mundi docuit hoc felle,



Ciatos H. W. Weitz.—76 *Fleto* Heins. A. Eg. P. H. Put. Bodl. *Fleta* Weitz.

NOTÆ

git, *prius*, quod rectum sensum efficit; opera enim misericordiæ, quæ pauperibus exhibentur, sibi imputanda Christus fatetur.

66 *Dare sorte sub una*] Juvenalis fusius id explicat: 'Mollissima corda Humano generi dare se natura fatetur, Quæ lacrymas dedit.' Et alibi: 'Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ Virginis occurrit.'

69 *Sator Tobiæ*] Patria Tobiæ senioris fuit superior Galilæa, tribus Nepthalim. Mature probatus est a Deo rebus adversis. Sed librum consule, qui Tobiæ inscribitur.

72 *Jus*] Ex eo quod legitur capite secundo libri Tobiæ: 'Statimque exsiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus.' De Cyatho inf.

77 *Veniunt*] Cum Tobias ad murum atrii sui procubuisset, passerum sordes in oculos ejus deciderunt, in quibus factæ sunt albugines. At ubi junior Tobias patris sui oblinit oculos de felle piscis, intra dimidiam horam albugo, quasi membrana, egreditur, qua extracta visum recipit senex.

Jam tunc docuit Pater orbis,
Quam sit rationis egenis
Mordax et amara medela,
Cum lux animum nova vexat.
Docuit quoque non prius ullum
Cœlestia cernere regna,
Quam nocte et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est,
Quod per cruciamina leti
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis:
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.
Hæc, quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit, ora;
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinguet amœna.
Jam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,

quam sit acerba et amara curatio animæ peccatoribus inopibus mentis, cum anima illustratur nova luce. Ostendit etiam nullum videre cœlestia regna, quin prius sit passus in hac vita aliquid asperum, aut morte, aut acerbo dolore. Hinc ipsa mors est jucundior, quod cruciatus mortis pandunt sanctis viam arduam cœli, et dolores ducunt in cœlum. Corpora ita cruciata redeunt ad vitam beatiorem, et caro post mortem reviviscens nunquam deficit. Tum sanguis rubrior quam omnes flores tinguet cute amœna hos vultus, quos nunc pallidos languidus color inficit sanie. Tum nulla senectus invida decutiet pulchritudinem frontis, nec macies horrida extenuabit

Gold. W. *Fletum* T. *Fletu* B. F. H. superscr.—82 *egenis* Heins. G. *egena* Weitz.—90 *Cum* quidam. *cruciamina mundi* H. superscr. deinde in Torrent. duobus *Cœlestia scandere regna.*—101 *Nam* Weitz.—104 *abeso* Weitz. H. su-

NOTÆ

86 *Cernere regna*] In Torrentianis duobus *Cœlestia scandere regna.* Quale illud Ennianum: 'Si fas cædendo cœlestia scandere cuiquam est, Mi soli cœli maxima porta patet.' vs. 372. ex epig.

97 *Tabo*] Tabum, diminuta vox a tabe, idem est ac sanies aut sanguis corruptus. Ut apud Virg. Georg. III. 'Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.'

Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, jamque perennis,
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse, dolores.
Quid turba superstes, inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita jura
Luctu dolor arguit amens?
Jam mœsta quiesce querela,
Lacrymas suspendite, matres:
Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio vitæ est.

brachia, succo consumto. Tum etiam morbus mortifer, qui nunc diripit artus suspiriosos, sudans ob pondus quamplurimorum vinculorum persolvet tormenta, quibus nos cruciat. Caro triumphans, et jam immortalis, aspiciet e longinquo ab alto cœlo hunc morbum perpetuo gementem dolores, quos ipse irritaverat. Cur populus vivus canens miscet ululatus intempestivos? Cur dolor immoderatus improbat leges tam sancte latas? Jam omnis mœsta querela desinat; matres contineant lacrymas; nemo lugeat suos natos, hæc mors est principium vitæ æternæ. Ita grana arida



perscr.—112 *ipsa* Put. a m. sec.—114 *Plangens* F.—115 *jam* Eg.—125 *faven-*

NOTÆ

107 *Resudans*] Eo quod, qui vehementer laborant, sudant frequenter, apud optimos scriptores sudare sumitur pro vehementer laborare. Cic. pro Sextio, 'pro communibus commodis sudare.'

108 *Luet*] Ut ea, et quæ sequuntur intelligamus, revocandum in memoriam, quod poëtæ finxerunt, morbos, senectutem, aliaque ejuscemodi mala, quædam esse numina. Ita Virg. Æn. VI. 'Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.'

113 *Quid*] Quanquam id referri possit ad lacrymas uniuscujusque, qui aut filium, aut amicum, aut parentes luget; tamen quia sequentibus versibus matres patresque alloquitur, puto ego poëtam culpare præficas illas mulieres, quæ, ad lugendum mortuum conductæ, ejus laudes carmine lugubri prosequebantur. Quæque præficæ dictæ fuere, quasi in hoc ipsum 'præfectæ,' quod ceteris darent modum plangendi.

120 *Reparatio vitæ est*] Cypri-

Sic semina sicca virescunt
Jam mortua, jamque sepulta:
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioque hunc concipe molli:
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa et fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ:
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus:
Non immemor illa requiret
Sua munera fictor et auctor,
Propriique ænigmata vultus.
Veniant modo tempora justa,
Cum spem Deus impleat omnem;
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.

virescunt, cum mortua sunt, et data humo: quæ exeuntia ex infimo cespite referunt primas spicas. O terra, nunc accipe mortuum, ut foveas; et complectere blando sinu: depono apud te ossa hominis; et tibi committo nobiles reliquias. Olim fuere domicilium animæ creatæ flatu Dei; et ardens religio, cujus Christus est auctor, habitavit in istis. Tu tege corpus creditum; Deus fictor hominis, et creator memor illius repetet donum, quod tibi tradidit, et figuram sui vultus. Veniant tantummodo tempora justa, siquidem tunc Deus concedet id omne, quod speramus, erit necesse ut aperiens sinum reddas hominem, qualem tibi do. Deus non sinet hominem perire,



dum Eg.—127 *sequestræ* Heins. ex conj. in not.—130 Post h. vs. sequitur in Put. Bodl. H. C. et Grævian. sched. *Cui nobilis ex patre fons est.* additur etiam in Vat. duob. in marg.—134 *ille* Vat. un. Put.—135 *fictor* Weitz.—137

NOTÆ

an. Serm. de Ascens. Christi: 'Ibi non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, felix æternitas beatitudinis sufficientiam illis confirmabunt.'

136 *Ænigmata*] Non male Antonius Nebrissensis censet *schemata* legendum esse. Tam enim perfecta figura est homo atque imago Dei, ut ipsi nullomodo conveniat illud nomen 'ænigma,' quod est allegoria adeo obscura, ut divinare magis, quam interpretari necesse sit. Nisi mavis dicere id omne, quod aliud repræsentat, esse ænigma.

Non, si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis,
Fueritque ciniscuius arens
Minimi mensura pugilli;
Nec, si vaga flamina, et auræ
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum pulvere nervos;
Hominem periisse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Revocas, Deus, atque reformas,
Quanam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis addita sancti
Recubabit, ut illa Lazari,
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.

quanquam vetustas afferens cariem redegerit ossa in cineres, et cineres aridi possint excipi minima manu: quanquam vagi venti, et zephyri volantes per vacuum aërem disperserint nervos cum pulvere. At, o Deus, usque dum revoces corpus mortale, et redigas in meliorem formam donis gloriæ, ubi jubebis animam sanctam requiescere? Quiescet abdita in sinu sancti senis Abrahæ, æque atque anima Lazari, quem Lazarum dives crematus videt longe ab oculis circumdatum esse undique floribus. O



veniunt Gold. sed *venient* superscr. quod agnoscit W.—145 *flumina* F. B.—148 *perisse* Weitz. W. Gold. H.—153 *abdita* Weitz.—154 *ut est Eleazar* Vat. quatuor A. F. B. quod videtur fuisse et in W. arguit rasura. Et ad oram,

NOTÆ

141 *Cariosa vetustas*] Eadem usus est loquela Ovid. Amor. I. 12. 'Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus Rodat, et immundo cera sit alba situ.' Proprie autem caries in lignis dicitur, cum a vermiculo erodnntur. Unde apud Nonium caries est vetustas, vel putrilago ex vetustate. Colum. lib. XII. 'Omnis materia in ædificia succidi debet luna decrescente, ab vigesima usque in trigesimam, quia sic cæsa judicatur carie non infestari.'

143 *Ciniscuius arens*] Quod proprium cineris est: unde et plurimum humoris bibit. Virg. Æn. VI. 'Postquam collapsi cineres, et flamma quievit, Reliquias vino et bibulam lavere favillam.'

153 *Gremio senis*] Nempe in sinu Abrahæ. Interpretes Scripturæ quamplurimas afferunt rationes, cur potius in sinu Abrahæ, quam in sinu Adæ requiescant animæ justorum; maxime vero quia Abraham omnium credentium, et peculiaris Judæorum pater est. De Abrah. inf. in Psychom.

154 *Lazarus*] Seu potius Eleazar, quod interpretantur Dei adjutorium, sive Dei atrium. De hoc vide c. XVI. Lucæ.

156 *Dives*] Quis hic dives fuerit,

Sequimur tua dicta, Redemtor,
Quibus atra e morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi,
Licet et nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul et errans.
Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde frequenti:
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Jesu, credimus tuis dictis, quibus tu in cruce triumphans de morte crudeli, jubes latronem comitem crucis sequi tua vestigia. Ecce jam iter immensi paradisi est patefactum Christianis, et fas est ire in sylvas, quibus dæmon spoliaverat hominem peccato. O bone Deus, precor ut jubeas animam tibi obtemperantem illic consecrari tibi in loco natali, a quo exul et vagabunda discesserat. Nos fovebimus violis, et multis foliis ossa sepulta, et spargemus liquido odore epitaphium, et frigidum lapidem sepulcri.

Eleazar, qui et Lazarus.—158 *atra morte* A. F. Eg. B. N. Bodl. *triumphas* Put.—159 *mandans* Bodl.—165 *Illud* A.—172 *adore* Ro. Alt. Bodl. in marg.

NOTÆ

ignoratur. Nonnullis, ut scribit Dionysius Carthusianus, Nabalem illum fuisse placuit, qui Abigailem uxorem habuit, subitaque morte a Deo percussus interiit. I. Reg. 25. Euthymius vero Nineusim appellat, atque contendit et divitem et Lazarum prope id tempus vixisse, quo Christus in terris versabatur: ac Christo concionante eos fuisse superstites, qui diviti adhærebant, eos etiam qui Lazaro: siquidem illis terrorem, his consolationem hac narratione voluit immittere Christus. De eo inf. plura dicemus.

163 *Nemus*] Alludit ad paradisum terrestrem, hortosque amœnissimos, in quos Deus Adamum transtulerat; ut supra loquens de sinu Abrahæ.

169 *Nos*] Eo loco Prudentius in omnibus secutus est Virgilium, qui Eclog. v. lugens Daphnin pastorem mortuum, his versibus declarat, quænam ipsi parandæ sint exequiæ. 'Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis, Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.' Qui plura de ratione corporis humandi cupit ediscere, adeat Natalem Comitem I. 13. de sacrificiis mortuorum.

XI. HYMNUS OCTAVO KALENDAS JANUARIAS.

Celebrat diem Christi Domini Natalem, cujus æternam a Patre originem agnoscit, eique pastores non solum, sed et muta animalia testimonium perhibuisse ait; incredulos redarguit Judæos, eisque denuntiat venturum eum aliquando Judicem bonorum et malorum.

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christusne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quam fugacem gratiam
Festina volvebat dies!
Quam pæne subductam facem
Sensim recisa extinxerat!
Cœlum nitescat lætius,
Gratetur et gaudens humus:
Scandit gradatim denuo
Jubar priores lineas.

Unde Sol rediens egreditur ex arcto circulo capricorni? an Christus, qui ampliat viam lucis, nascitur in terris? Eheu quam velox dies finit munus breve lucis, quam lucem subtractam dies sensim decrescens fere extinxerat! Cælum sit magis serenum, et terra hilaris gaudeat: sol rursus gradatim ascendens conficit pristinos



Natalis Domini Ro. Eg. In Ro. et Nom. h. Hymnus cum sequente agmen claudebat libri *περὶ στεφάνων* post Passionem Romani.—4 *augit* Eg.—14

NOTÆ

1 *Arctum*] Vocat arctum, non quod sol minus tunc conficiat spatii, sed quod paucioribus horis appareat, ob sphæræ obliquitatem. Quippe circulus brumalis non habet nisi octo horas diei in horizonte nostro, cum circulus solstitialis habeat sedecim.

2 *Recurrens*] Cœlum in quinque circulos a se æqualiter distantes dividunt astronomi, in arcticum, antarcticum, tropicum cancri, tropicum capricorni, et æquinoctialem, quorum æquinoctialis est medius. Zodiacus vero circulus est inter mundi polos oblique descriptus, ex altera parte tropicum æstivum in principio cancri, ex altera hybernum in principio capricorni attingens, ac medium intersecans æquatorem circa arietis et libræ principia. Per annum sol decurrit zodiacum, nec ultra procedit, sed redit.

12 *Lineas*] Translatum est a stadiis, ubi linea præscribitur, unde cursus incipit. Sic astrologi lineas quasdam imaginantur in cœlo, per quas sol feratur.

Emerge dulcis pusio,
Quem mater edit castitas,
Parens et expers conjugis,
Mediator et duplex genus.
Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.
Quæ promta cœlum condidit,
Cœlum, diemque, et cetera
Virtute Verbi effecta sunt
Hæc cuncta: nam Verbum Deus.

circulos. Nascere, o dulcis infans, quem Maria parit ob castitatem. Maria est mater, et ignara mariti; tu reconciliator, et particeps naturæ humanæ, et divinæ. Quanquam sis ortus ex ore Patris, et editus, quando pater nos est allocutus, tamen, o sapientia, sapiebas ante in corde Patris. Sapientia illa prolata creavit cœlum, noctem, et diem, et cætera. Illa omnia sunt facta per virtutem verbi, quia verbum



mater Eg. P. Heins. ex Mss. suis omn. Vat. præstantiorib. N. *matris*, Weitz. et al.—19 *in* deest Eg. H.—20 *calebas* Weitz. W. Gold. H. B.—22 *Noctem*

NOTÆ

15 *Parens*] Hi duo versus duriuscule cohærent cum superioribus; nam aut ad unum Christum aut ad unam Mariam referri deberent. Sic tamen ordinandi sunt. 'Mater,' nempe Maria, 'parens et expers conjugis te edit.' Jam 'mediator et duplex genus' referuntur ad id quod præcessit. Conjungit autem in utroque duo miranda, in matre fœcunditatem conjunctam virginitati, in puero divinam naturam cum humana copulatam in eadem hypostasi, unde et 'duplex genus' appellat.

17 *Ex ore*] Modo veluti quadruplicem Christi esse nativitatem consideremus, nullam hic locus patietur difficultatem. 1. Prima est mentis æternæ æterna cogitatio, quod enim est homini sensus aut cogitatio tacita mentis, hoc Filius Dei est Patri: juxta eam nativitatem sine initio, sine fine, semper a Patre nascitur, semper natus fuit, Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente. 2. Mens autem gignit cogitationem, et cogitatio jam animo concepta, sermo quidam mentis est, quo homo sibi loquitur. Hæc imago utcumque nobis alteram adumbrat nativitatem, quæ nec initium habuit, nec finem est habitura. 3. Deinde condito per Filium mundo Pater nobis velut elocutus est verbum, et quodammodo rursus idem genuit, nobis illud reddens aliquo pacto visibile, quod erat invisibile. Conspicitur enim in rebus conditis admirabilis Dei sapientia, qui est Dei Filius, et Dei sermo. 4. Denique nativitas est humana, quam hoc hymno satis aperte explicat.

20 *Sophia*] Secutus accentum Græcum, produxit syllabam mediam.

Sed ordinatis sæculis,
Rerumque digesto statu,
Fundator ipse et artifex
Permansit in Patris sinu:
Donec rotata annalium
Transvolverentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.
Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes nænias,
Vel æra, vel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum sequuntur, perfidi
Prædonis in jus venerant,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit

est etiam Deus. Sed, postquam dies et anni cœperunt numerari; et res fuerunt locatæ suis locis, fundator ipse et artifex mundi remansit in sinu Patris; donec millia annorum rotata laberentur, atque ipse judicans æquum veniret in terram abundantem diu criminibus. Nam cæca multitudo hominum adorans inania simulacra credebat vel æs, vel saxa frigida, vel lignum esse Deum. Dum sequebantur hæc falsa dogmata, venerant in potestatem perfidi dæmonis, et immerserant in Inferos fumidos animam astrictam peccato. Sed Christus non toleravit hanc amissio-

NOTÆ

29 *Rotata*] Quod circumvolutione cœlestium orbium distinguantur dies, menses, anni, et sæcula.

Annalium] Pro annorum. Annales enim sunt annorum monumenta.

30 *Millia*] Scio maximam inter se Scriptores habere controversiam de mundi annorum ante Christum numero, quibus rebus non immoror; de quo consule Chronologos.

33 *Vis*] Copia et multitudo. Ut apud Ciceronem de Arusp. 'Vis innumerabilis servorum.' Apud Virg. Æn. IV. 132. 'Massylique ruunt equites, et odora canum vis.'

34 *Nænias*] Quamvis nænias usurpemus pro nugis quibuslibet, tamen proprie nænia est cantio funebris, quæ frustra canitur mortuo; reperitur et pro epitaphio. Porro cultus simulacrorum primum hinc natus est, quod parentibus, regibus, aut alioqui benemeritis de genere mortalium, a morte ponebantur statuæ, et his divini honores exhibebantur. Quin Romæ solemnis erat mos, Cæsares extinctos in deos referre.

40 *Barathro*] Barathrum fossa profundissima fuit in agro Attico, in quam homines damnati conjiciebantur. Unde sumitur pro quocumque loco profundo et obscuro, in quo servantur nocentes.

Christus cadentum gentium
Impune, ne forsan sui
Patris periret fabrica.
  Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore
Mortis catenam frangeret,
Hominemque portaret Patri.
  Hic ille natalis dies,
Quo te Creator arduus
Spiravit, et limo indidit
Sermone carnem glutinans.
  Sentis ne, Virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
  O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet!
Ex qua novellum sæculum
Procedit, et lux aurea.

nem tot hominum, qui cadebant in Inferos, ne forsan opus sui Patris periret impune. Induit corpus mortale, ut assumto corpore rumperet vincula, quæ imposuerat peccatum, et portaret Patri hominem redemtum. Hic dies est natalis dies, in quo Pater æternus tibi dedit animam, et cinxit carne conjungens hominem Deo. O Maria inclyta, nonne agnoscis per tædia matura puerperii, decus tuæ virginitatis intactum augescere honore partus? O quantam lætitiam affert tuus uterus virginalis rebus omnibus: novum sæculum nascitur ex eo, et ætas aurea. Vox ipsa in-

NOTÆ

48 *Portaret Patri*] Respexit Prudentius ad ovem perditam, de qua Lucas, quam bonus ille paterfamilias a grege errantem, suis scapulis bajulat ac reportat.

51 *Spiravit*] Notat adversus hæreticos Christi hypostasin tribus constare naturis, divina, anima humana, et corpore mortali, quod hic limum appellat. Unus fere Erasmus legit, *animavit*, omnes enim ad unum habent, *spiravit;* ea scilicet adductus ratione, quod Filius generatur, spiratur vero Spiritus Sanctus. Nihil tamen muto; nam *spiravit* idem significat ac misit.

52 *Sermone*] Verbi sui efficacitate corpus compingens.

54 *Fastidia*] An beata Virgo senserit gestationis tædium, incertum est; tamen quoniam in conceptu voluptatis expers fuit, jure creditur ab omni gestandi pariendique molestia fuisse immunis.

56 *Partus*] Nam apud Hebræos maxime conjugatis probro dabatur sterilitas.

59 *Sæculum*] Ex poëtarum fabulis

Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit;
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasque arenas Syrtium
Fragrasse nardo et nectare.
Te cuncta nascentem, puer,
Sensere dura et barbara,
Victusque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Jam mella de scopulis fluunt,
Jam stillat ilex arido

fantis protulit initium mundi renascentis; nam tunc mundus renatus depulit pigrum torporem. Puto terram sparsisse campos omnes quamplurimis floribus, et ipsas arenas Syrtium olevisse nardum et nectar. O Christe, omnia dura corpora et carentia sensu senserunt te nascentem, et duritie saxorum deposita, herba exiit e lapidibus. Jam mel fluit de silicibus; jam aridi trunci quercuum sudantium stil-



diemque Erasm. *Cœlum noctemque et Tartara* Alt.—66 *densè* W. superscr.—68

NOTÆ

discimus sub Saturno, quoinam mores hominum erant incorrupti, sæculum aureum fuisse. Eo respexit Virgil. detorquens scilicet in laudem filii Pollionis, illorumque temporum, quicquid in Cumanæ Sibyllæ libris, de Christi ortu, ejusque matre atque ætate legerat. Ecl. IV. 'Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo; Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna: Jam nova progenies cœlo demittitur alto.'

64 *Veternum*] Eam scilicet labem, quam a primis parentibus noxa, et a propria contagione contraxerat. Veternus ejusmodi morbus est, qui cerebro obstructo inopiam mentis, et marcorem membrorum inducit, tanta debilitate, ut quis dormire sine intermissione cupiat. Talis somnolentia plerumque invadit hydrope laborantes, unde hydropicum Cato veternosum interpretatus est. De arena Syrtium sup.

68 *Nardo*] Nardus, et nardum. 'Frutex est,' inquit Plin. XII. 12. 'Gravi et crassa radice, sed brevi, ac nigra, fragilique, quamvis pingui, situm redolente ut Cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque. Cacumina in aristas se spargunt; ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant.'

69 *Te cuncta*] Eodem modo Virg. Eclog. IV. 'At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu, Errantes hederas passim cum baccare, tellus.'

74 *Ilex*] Arbor glandifera, e genere quercuum. Virgil. eodem sensu: 'Et duræ quercus sudabunt roscida mella.'

Sudans amomum stipite:
Jam sunt myricis balsama.
O sancta præsepis tui,
Æterne Rex, cunabula,
Populisque per sæclum sacra
Mutis et ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus;
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio
Vis cujus in pastu sita est.
Sed cum fideli Spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens et quadrupes,
Sapiatque quod brutum fuit;
Negat patrum prosapia
Perosa præsentem Deum:
Credas venenis ebriam,
Furiisve lymphatam rapi.
Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quicquam tibi

lant amomum; jam myricæ ferunt balsamum. Sanctæ cunæ tui stabuli, o Deus æterne, sunt et in omne ævum venerandæ ab hominibus, et cognitæ pecoribus ipsis. Bos et asinus, bruta animalia, adorant illas; Gentiles, populus demens tui nempe ignarus, cujus vis est posita in cibis, illas adorant. Sed, cum pagani et belluæ ducuntur Spiritu sancto ad præsepium; et populus, qui serviebat ventri more brutorum, sapit; Judæi nepotes Patriarcharum, habentes odium in Deum natum, negant Jesum natum esse. Crederes esse incantatos, aut captos mente rapi. Cur itis præcipites in scelus? Si quicquam mentis sanæ vobis restat, agnoscite



Flagrasse A. Eg. Gold. H. W. *fraglasse* B.—75 *in stipite* A. F.—76 *myrris*

NOTÆ

75 *Amomum*] Parvus est frutex, magni inter aromata nominis, ex ligno in seipsum convolutus in racemi modum; florem habet candidæ violæ similem, lignum subrufum et odoratissimum. Ita Dioscorides.

76 *Myricis*] Myrica humilis virgulti est genus, in Italia fere nascentis, quod quidam putant esse tamaricem, alii bryariam. Tantum observandum est, a Virgilio aliisque poëtis sumi myricas pæne proverbialiter, ad significandam rem tenuem. De balsamo et de lymphatis sup.

80 *Mutis et ipsis*] Ex eo quod legitur Esai. cap. I. 'Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.'

Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.
  Hunc, quem latebra, et obstetrix,
Et virgo fœta, et cunulæ,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus,
  Peccator, intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Dejectus ipse, et irritis
Plangens reatum fletibus:
  Cum vasta signum buccin
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit;
  Insignis ipse et præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis Gehennam et Tartarum.

Deum patrem vestrorum. O peccator, cum vasta tuba dederit signum ut terra concremetur, cum cardo mundi facientis ruinam emotus fuerit scisso axe, tuipse depressus, et lacrymans crimina lacrymis inutilibus, videbis sublimem in nubibus radiantibus illum infantem, quem tenebræ, et mater contenta, et virgo gravida, et cunæ, et debilis pueritia dant regem omnibus hominibus. Christus insignis et excelsus retribuet debitum meritis, bonis usum gloriæ æternæ, malis supplicia, et



Eg.—77 *tua* Weitz.—97 *latebræ* Weitz.—111 *perpetum* quidam.—115 *præside* F.

NOTÆ

106 *Terris cremandis*] Idem dicit S. Petrus Epist. II. cap. 3. 'Cœli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.' Et paulo post: 'Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur; terra autem, et omnia, quæ in ipsa sunt opera, exurentur.' Quod ita explicant nonnulli, ut velint mundum aliam tantum accepturum formam.

112 *Gehennam*] Quid significet Gehenna, explicat Hieronymus his verbis: 'Erat,' inquit, 'idolum Baal juxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit. Hæc vallis et parva campi planities, irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem populus Israël venerat dementiam, ut deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, filiosque suos incenderet dæmonibus; et appellabatur locus ipse Gehennon, i. e. vallis filiorum Hennon. Comminatur Deus se locum

Judæa, tunc fulmen Crucis
Experta, qui sit, senties,
Quem, te furoris præsule,
Mors hausit, et mox reddidit.

Inferos. O Judæi, tum sentietis fulmen crucis, experti qui sit Christus, quem mors rapuit, vobis auctoribus furoris, et reddidit paulo post.

NOTÆ

ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam Thopheth et Baal, sed vocaretur Polyandrium, i. e. tumulus mortuorum.' Futura ergo supplicia et pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. De Tartaro inf.

113 *Judæa*] Regio Syriæ meridionalis, parva sed nobilissima, quæ antiquissimis temporibus dicta fuit terra Chanaan, postea promissionis terra, et Palæstina: tempore Romanorum Judæa, nunc autem a Christianis Terra-Sancta. Quanquam autem Judæa complectatur tantum tribus Judam et Benjamin, tamen hic pro toto illo populo sumitur a Prudentio.

XII. HYMNUS EPIPHANIÆ.

In hoc Hymno, celeberrimo Epiphaniæ festo consecrato, pluribus stellam Christi prænuntiam extollit, quam Magi secuti, Bethleem venerunt, et natum Dominum oblatis muneribus venerati sunt; tum immanem ad Christum perdendum infantium stragem ab Herode editam late prosequitur, in qua Christum involvi non potuisse, in iis, quæ Moysi contigerant, præfiguratum fuisse demonstrat. Cl. Martene De Ant. Eccl. Ritib. T. 3. lib. IV. c. 14. ubi de antiquissima hac Festivitate pluribus agit, memoriæ forte lapsu Prudentium pro Sedulio reposuit. Nam probaturus triplicem Christi manifestationem, Adorationem scilicet ejus per Magos, Baptismum, et primum Miraculum, quod contigit in Cana Galileæ, hoc Epiphaniæ festo antiquitus fuisse celebratam, 'ut patet,' inquit, 'ex Hymno Prudentii,' quem Ecclesia Latina ad Divina Officia solet adhibere. Sane in Epiphania Domini Hymnus ad Laudes 'O sola magnarum urbium,' &c. Prudentii est; sed nulla in eo triplicis Christi apparitionis commemoratio fit, quæ tamen habetur in Hymno ad Vesper., qui incipit 'Crudelis Herodes,' &c. Sed is Sedulii fœtus est.

QUICUMQUE Christum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.

Quicumque quæritis Christum, conjicite oculos in cælum: illic vobis fas erit

Hæc stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.
Non illa servit noctibus,
Secuta lunam menstruam:
Sed sola cœlum possidens,
Cursum dierum temperat.
Arctoa quamvis sidera
In se retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerumque sub nimbis latent.
Hoc sidus æternum manet,
Hæc stella nunquam mergitur,

videre signum gloriæ divinæ. Hæc stella, quæ superat pulchritudine et luce, circulum solis, annuntiat Deum vestitum carne mortali natum esse in terris. Non illa stella, secuta lunam menstruam, lucescit tantum nocte; sed una incedens per aërem distinguit cursum dierum. Quamvis Ursæ, quia versantur motibus in se reflexis, nunquam nobis occidant, eæ tamen sæpe subducuntur nubibus. Sed illa stella apparet perpetuo, illa stella nunquam vertitur in occasum, nec lumen illius

NOTÆ

6 *Vincit*] Non quod stella illa fuerit major sole et lucidior, sol enim sua luce perstringit, ac oculos obtuentium percellit; sed gratia lucis vincebat.

9 *Non illa*] In exordio mundi sol conditus est, ut præesset diei; luna stellæque, ut nocturnis tenebris aliquod luminis solatium præberent.

10 *Menstruam*] Quia intra triginta dies peragit cursum suum in Zodiaco, quem sol anno tantum peragit.

11 *Cœlum*] Nempe aërem; nec enim creditur illa fuisse in numero stellarum fixarum aut errantium, nec ulli affixa orbi, sed recens in hoc condita, ut per aërem incedens Magis indicaret Christi nativitatem.

12 *Cursum dierum*] Juxta historiam, non semper prælucebat Magis stella, sed quoties opus erat.

13 *Arctoa*] Duo sunt sidera intra flexus Anguis, quæ Græci ἄρκτους, Ursas, vocant, tam vicina polo Septemtrionali, quem ab hoc ἀρκτικὸν appellant, ut nobis nunquam occidant. Id indicans Virg. in Georg. scribit: 'Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' Et Ovid. 'Magna minorque feræ, quarum regis altera Graias, Altera Sidonias, utraque sicca rates.' Siccas dicit, quod non mergantur, non quod ulla stella mergatur, sed quod occidens nobis videatur Oceano mergi, quemadmodum cum oritur ex Oceano videtur emergere. Vide in Trion.

14 *Retortis*] Quoniam volvuntur circa polum, minimum conficiunt spatii, sed videntur mox redire unde venerant.

Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis cometa intercidat,
Et, si quod astrum Sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce destructum cadat.
En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.

abditæ ereptum occursu nubis obscuratur. Jam omnis cometa fatalis offundatur; et, si astrum aliquod fervet calore pestifero Sirii, evanescat offusum stella Dei. Ecce Magi periti astrologi cernunt hanc stellam, vexillum regale, ex finibus Persidis, ubi Sol oriens habet aditum. Statim atque refulsit, orbes aliorum siderum non

6 *aut lumine* Gold.—24 *distructum* Weitz. Eg.—25 *Persa* Gold.—28 *vixil.*

NOTÆ

21 *Cometa*] Præter planetas stellasque fixas, frequenter apparent novæ stellarum species, quæ insignem aliquam felicitatem aut calamitatem mortalium generi denunciare vulgus putat. Græci cometas vocant, Latini crinitas. Dubitatum est autem, an hæ stellæ perpetuæ sint, an ex tempore nascantur, et post occidant. Neque enim semper apparent in orbibus ipsis, sed frequenter in aëre hoc nostro. Ut ut est, probabile est hanc stellam recens creatam fuisse, nec orbibus affixam, sed Angeli ductu per aërem commonstrasse viam Magis.

22 *Si quod*] Sunt et sidera, quæ credita fuerunt parum prospera rebus humanis, cum occidunt aut exoriuntur, ut Orion, Hyades, ac Pleiades, quæ tempestatem afferunt.

Sirius] Stella est in ore majoris Canis, quæ mane supra nostrum horizontem Orientalem assurgit eodem tempore, quo Sol oritur in principio Leonis, nempe exeunte Julio, diesque illi caniculares vocantur, donec Sol totum Leonis signum perlustraverit. Vel a *σειραίνω* 'sicco,' vel a *σειρόω* 'evacuo,' dicitur. Hujus exortu solis fervor accenditur, fervent maria, fluctuant in cellis vina, moventur stagna, incrudescunt pestilentiæ, canes toto eo tempore in rabiem aguntur.

25 *Persici*] Persis pars est Asiæ notissima, et imperium potentissimum, inter Susianam ad occasum, ad ortum Carmaniam, Parthiam ad boream, et sinum Persicum ad meridiem contenta. Persæ solem, quem Mithram appellabant, coluerunt præ ceteris diis, per quem solenne illis erat jurare, ut auctor est Placidus.

28 *Magi*] Et nomen est patriæ, et nomen professionis. Feruntur enim Magi populi quidam Persidis, arti magicæ deditissimi, quorum urbs Pasagarda. Ovid. 'Quæque Magos, tellus; pollentibus instruis herbis.' Tum quos Græci philosophos appellant, Persæ vocant Magos; quia vetustis-

Quod ut refulsit, ceteri
Cessere signorum globi,
Nec pulcher est ausus suam
Conferre formam Lucifer.
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans,
Quem sic tremunt cœlestia,
Cui lux et æthra inserviunt?
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati:
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo et chao.
Hic ille rex est gentium,
Populique rex Judaici,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.
Æquanda nam stellis sua
Cognovit olim germina,

dederunt lucem, nec stella Veneris rutilans est ausa ostendere suum splendorem. Tum Magi inquiunt, Quis est iste rex tam potens, imperans astris, quem corpora cœlestia ita timent, quem lux, et æthra observant? Cernimus aliquid illustre, sublime, excelsum, infinitum, antiquius cœlo ac mundo, quod inveniet nunquam finem. Ille est ille rex gentium, et rex populi Judaici, quem Deus promiserat Patriarchæ Abrahæ, et ipsius posteritati in ævum. Nam Abraham primus pater credentium, qui erat paratus ad mactandum suum filium unicum, cognovit olim suos nepotes

lum Eg.—40 *Choo* Weitz. W. sed in W. *Chao* superscr.—50 *Jesse* Weitz.—56

NOTÆ

sima philosophia erat astrologiæ studium. 'Ille penes Persas Magus est, qui sidera novit, Qui sciat herbarum vires, cultumque Deorum, Persepoli facit ista Magos prudentia triplex.' Ita Mantuanus. De Lucifero, et de Æthra supra.

40 *Chao*] Alludit ad poëtarum chaos. Chaos autem, uti Hesiodus docet in volumine, quod Deorum originem continet, fuit mutua rerum confusio, quæ postea in suas species distincta et distributa est. Hujus nominis apud Latinos tantum in usu nominativus, et ablativus Chao, quanquam Priscianus per secundam declinationem declinaverit, Chaus, Chai.

41 *Cognovit*] Attingit historiam, quæ refertur Genes. c. XXII. de qua in Psychom. præfatione plura dicemus, ibi etiam de Abrahamo.

Primus sator credentium,
Nati immolator unici.
  Jam flos subit Davidicus
Radice Jessæa editus,
Sceptrique per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
  Exin sequuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Claramque signabat viam.
  Sed verticem pueri supra
Signum pependit imminens,
Pronaque summissum face
Caput sacratum prodidit.
  Videre quod postquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham, et aurum regium.

æquaturos numerum stellarum. Jam flos Davidicus egressus ex radice Jesse emergit: qui flos, incipiens virere per virgam sceptri, occupat fastigium omnium rerum. Deinde incitati divino motu, defixis oculis in cælum dirigunt gressum, qua stella sulcabat aërem, et demonstrabat viam lucidam. Sed stella immobilis consedit capiti infantis, et sese summittens ostendit flexa luce divinum puerum. Statim atque Magi illum viderunt, proferunt munera orientalia; strati ad ipsius pedes offerunt in votis thus, myrrham, et aurum, ex quo coronæ regum conficiuntur. O Jesu, cui tuus



monstrabat Put, Bodl. pro diversa scriptura.—59 *submixum* Ro.—68 *Prædis-*

NOTÆ

49 *Jam flos*] Refert prophetiam, quæ est apud Esaiam cap. 11. et hujus allegoriam exponit. Ex David filio Jesse prodiit Christus. De Davide supra.

50 *Jessæa*] Isai, quem Græci Jessæ vocant, pater fuit Davidis.

63 *Eoa*] Vel quod earum rerum maxime fertilis sit Oriens, vel quod ab Oriente venerint. Eous autem dicitur Orientalis, nam illud nomen derivatur ab ἠὼς aurora. Quid sit myrrha diximus supra.

64 *Thus*] Lacryma est exiguæ arbusculæ, uni Arabiæ concessæ, gratissimum in sacrificiis suffitum præbens; unde etiam nonnulli nomen accepisse existimant ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est sacrificare. Vide sup. in Sabæo medic.

Agnosce clara insignia
Virtutis ac regni tui,
Puer o, cui trinam Pater
Prædestinavit indolem.
Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabæi: ac myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.
Hoc, hoc sepulcrum, quo, Deus
Dum corpus extingui sinit,
Atque id sepultum suscitat,
Mortis refregit carcerem.
O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere!
Altrice te, summo Patri
Hæres creatur unicus,
Homo ex Tonantis Spiritu,

Pater prædestinavit tres excellentias, agnosce manifesta indicia potestatis, ac tui regni. Aurum, et odor redolens thuris Sabæi designant te esse Regem, et Deum: et guttæ myrrhæ denotant sepulcrum convenire tibi ut homini. Quod sepulcrum est illud sepulcrum, quo Deus perfregit portas carceris mortis, dum patitur suum corpus interire, et excitat illud sepultum. O Bethleem, cui accidit excipere nascentem auctorem nostræ salutis, una es maxima magnarum urbium. Tu alis unicum hæredem, qui nascitur Patri æterno, qui est homo formatus virtute Sancti Spiritus,

tinavit W. Weitz.—70 *flagrans* A. Eg. Gold. W. Put. *fraglans* B.—71 *ac* Weitz. Vat. præstantior. *at* Bodl. *ad* Put.—73 *Hoc est sepulchrum* Weitz. Vat. pæne omn.—78 *Bethleem* Weitz. W. Gold. H. *et cui* Eg.—82 *creator* Eg.—83

NOTÆ

67 *Trinam indolem*] Tres veluti personas in Christo annotat, Dei, Regis, et hominis. Quatenus erat homo, mortuus est: hujus rei typum habebat myrrha, nam defunctorum corpora myrrha oblinebantur, ne putrescerent. Rex erat, ut de se ipse profitetur Joan. XVIII. id indicabat aurum. Deus erat, ejus rei figuram habebat thus, dicatum rei divinæ. Indolem ergo poëta videtur dixisse, quasi dotem et conditionem.

78 *Major Bethlem*] Alludit ad prophetiam, quæ est apud Michæam c. v. 'Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te egredietur, qui sit dominator Israël.' Comparativum pro superlativo posuit, quia Bethleem erat inter magnas maxima, quod reperitur apud optimos etiam Scriptores. De Bethleem sup.

Idemque sub membris Deus.
Hunc et prophetis testibus,
Isdemque signatoribus,
Testator et sator jubet
Adire regnum et cernere.
Regnum, quod ambit omnia
Dia, et marina, et terrea,
A solis ortu ad exitum,
Et Tartara, et cœlum supra.
Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israël regat,
Teneatque David regiam.
Exclamat amens nuntio,
Successor instat, pellimur:
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.
Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus,

qui et Deus est licet gerat membra. Et dator, et Pater jubet illum tenere et exercere regnum; Prophetæ sunt testes donationis, atque iidem sunt obsignatores. Illud regnum complectitur omnia supera, marina, et terrena, ea quæ sunt ab ortu solis usque ad occasum, et Inferos, et quæ supra cœlum. Herodes inquietus audit Regem Regum esse natum, qui regat populum Judaicum, et potiatur sceptro Davidis. Turbatus ex nuntio exclamat: Adest successor, pellor e solio, ite milites, sumite arma, perfundite cunas sanguine puerorum. Omnis puer mas moriatur, excutite nutrices,

Tonanti Gold. W. in marg.—86 *Hisdemque* Weitz.—88 *Audire* Eg. P.—99 *Satelles, i, ferrum rape* Heins. Vat. un. A. F. Put. T. Nom. *Satelles ferrum rape* Eg. Vat. quidam. *Ferrum satelles arripe* Vat. quidam. Bo. 2. Gold. *Satelles*

NOTÆ

87 *Testator*] Genitor erat Deus Pater, idem testator, quia instituit hæredem filium. In testamento adhibentur testes ac notarii, quo magis sit ratum: hi sunt prophetæ testes hujus promissi, ac veluti obsignatores testamenti divini.

90 *Dia*] Erasmus improbat hanc lectionem, ac legit *diva*. Tamen illo adjectivo usi sunt et Virg. Æn. xi. 'Quas ipsa decus sibi dia Camilla Delegit;' et Pers. Sat. i. 'Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.' A genitivo Græco Διὸς, Jovis, formatur, æque ac substantivum. De Israël et de David inf.

Interque materna ubera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethlem mihi
Puerperarum est omnium
Fraus, ne qua furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animasque rimatur novas.
Locum minutis artubus
Vix interemtor invenit,
Quo plaga descendat patens,
Juguloque major pugio est.
O barbarum spectaculum!
Illisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosque per vulnus vomit.
Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem:
Cui subter arctis faucibus,
Singultat unda et halitus.
Salvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

et pueri inficiant enses suo sanguine inter ubera materna. Ego timeo fallacias omnium mulierum, quæ pepererunt prope a Bethleem, ne aliqua auferat clam natum masculini generis. Milites ergo furiosi transfigunt gladiis eductis e vagina corpora nata paulo ante, et quærunt animas mox infusas. Sed vix carnifices reperiunt in tam exilibus membris locum, quo vulnus descendat magno hiatu; enses sunt latiores jugulo. O crudele spectaculum! capitibus puerorum impactis saxo, cerebrum tenerum spargitur, et oculi prosiliunt ex ictu: aut pueri palpitantes merguntur in flumen altum; aqua et spiritus ob guttur angustum pariunt illis frequentes singultus. Salvete, o primi martyres, quos vexator Christi abstulit in ipso initio vitæ, ut venti



ferrum corripe E. W. H. *Ferrum satelles corripe* Weitz.—104 *cruentem* Eg.—106 *est* deest Gold.—110 *destricto* Heins. ex conj.—112 *rimentur* Eg.—115

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis.
Quo proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.
Inter coævi sanguinis
Fluenta solus integer:
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis.
Sic stulta Pharaonis mali

auferunt rosas nascentes. Vos, o primæ victimæ Christi, o multitudo tenerorum martyrum, luditis innocenter palmis et coronis ante aram ipsius Christi. Quid prodest tantum scelus? Quam delectationem crimen attulit Herodi? Unus Christus evadit sine damno inter tot strages; unus partus Mariæ Virginis inter rivos sanguinis puerorum coævorum fugit incolumis gladium, qui privabat nuptas filiis.

discendat Weitz. H. *discedat* Eg. P.—131 *Aram ante ipsam* Weitz. A. W. H. Gold. Heins. *Ante aram et ipsam* F. *Aram ante ipsam et* Eg. *Aram ante cujus* G. Erasm. *Aram sub ipsam* C. Torrent.—133 *Quo* Heins. Put. Amb. T. Ro. C.

NOTÆ

131 *Aram ante*] Variæ eo loco reperiuntur lectiones; nam Torrentius habet, *aram sub ipsam*; Erasmus, *aram ante cujus*; alii *aram ante ipsam*, quam lectionem improbat Erasmus, Heinsius vero approbat, quod poëta multis in locis non utatur synalœpha.

132 *Palma*] Palmæ dabantur victoribus, et coronæ; quare, ut servet decorum personæ, ludunt, inquit, ante aram, in qua mactati sunt; puerorum enim est ludere.

Luditis] Pacatus in Panegyrico Theodos. magni eadem fere habet. 'Vidimus redactas in numerum dignitates, et exutos trabeis consulares, et senes fortunarum superstites, et infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem.'

134 *Herodem*] Fuit hic Herodes senior Antipatri Idumæi filius, genere proinde Idumæus et ipse, non Ascalonita, teste Josepho. Vocatur autem ab antiquis Patribus alienigena, quia Idumæi alienigenæ censebantur, h. e. alieno orti genere, non utique ab Jacobo, quamvis eandem cum Jacobeis religionem secuti, Judæi professione non stirpe fuerint. Tam crudelis fuit et efferatus rabie ut filios, quos et Mariamne genuerat, morti dederit.

141 *Sic stulta*] Confert historiam Veteris Testamenti cum historia Evangelica. Pharao rex Ægypti, videns increscere populum Hebræorum, jussit omnem fœtum masculinum interimi. Moses tamen in Ni-

Edicta quondam fugerat
Christi figuram præferens
Moses, receptor civium.
  Cautum et statutum jus erat,
Quo non liceret matribus,
Cum pondus alvi absolverent,
Puerile pignus tollere.
  Mens obstetricis sedulæ
Pie in tyrannum contumax
Ad spem potentis gloriæ
Furata servat parvulum:
  Quem mox sacerdotem sibi
Assumsit orbis conditor,
Per quem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.
  Licetne Christum noscere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille cæso Ægyptio

Ita Moyses informans figuram Christi, et restitutor populi, declinavit olim stulta edicta scelerati Pharaonis. Erat lex lata, et sancita, quæ vetabat matribus educare liberos mares, cum deponerent in partu onus uteri. Animus obstetricis providæ, pie rebellis adversus Pharaonem, supprimens natum, conservat illum ad spem magnæ gloriæ. Mox Creator mundi hunc sibi elegit in sacerdotem, per quem mitteret legem inscriptam tabulis saxeis. Visne agnoscere Christum in vita tanti viri?

Bo. 1. Vat. duo. *Quid* Weitz. Vat. duo. *Qui* Erasm. Eg.—142 *Edicta quadam* Put. a m. sec.—145 *Cautum et statutum jus erat* Heins. Put. Amb. Ro. Vat. plerique. *Cautum et s. jusserat* Weitz. *Cautus statuto jusserat* C. ex conj.—146 *Qui* Eg.—149 *sedula* W.—161 *Ad* Eg.—177 *quaternis—petris* Erasm. ex

NOTÆ

lum expositus, Deo volente servatus est, inscio rege. De Moyse et de Pharaone sup.

148 *Puerile tollere*] Tollere pro educare dictum est, sive sustollere: nam veteres partus, quos educandos suscipiebant, sustollere dicebantur; alioqui tollitur, quod occiditur. Puerile etiam a puero dixit, siquidem masculum intelligit.

153 *Sacerdotem*] Nempe qui res divinas tractaret, et per quem populo legem daret; alioqui Aaron peculiaris erat Dei sacerdos.

159 *Cæso Ægyptio*] De quo Exod. c. II. 'Vidit Moyses virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis, cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.' De Isr. inf.

Ægyptio] Ægypti incola. Ægyp-

Absolvit Israël jugo.
At nos, subactos jugiter
Erroris imperio gravi,
Dux noster hoste saucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præliante exercitu,
Pansis in altum brachiis,
Sublimis Amalec premit,
Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe Jesus verior:
Qui longa post dispendia
Victor suis tribulibus
Promissa solvit jugera.
Qui ter quaternas denique

Hic Moyses, postquam interfecit Ægyptium, levat servitio populum Hebræum. Sed Christus noster dux, postquam vulneravit dæmonem, nos liberat, ferentes continue jugum grave peccati, tenebris mortis æternæ. Hic Moyses ostendens columnam ignis, mundat iterum aquis dulcibus populum purgatum fluctibus, cum transierat mare. Hic Moyses elevatus in montem manibus tensis ad cœlum, dum exercitus dimicat, vincit Amalech, quod tum fuit figura crucis. Ille Jesus est servator jure sane majori, qui victor perduxit suos tribules post longos labores in terram promis-

NOTÆ

tus vero est Africæ regio celeberrima: eam interfluit Nilus, cujus inundationibus fœcundatur. Habet ab Oriente deserta Arabiæ, ab Occidente Libyam, a Meridie Æthiopiam, et a Septemtrione mare Mediterraneum. Sub ditione Turcarum est ab anno 1517.

171 *Amalec*] Ut omnis Hebræorum populus dicitur Israël ab Israëlis patrio nomine, sic omnis Amalecitarum natio Amalec vocabatur ex Amalec filio Eliphaz, et nepote Esaii. Gen. xxxvi.

Premit] Confert historiam, quæ habetur Exod. xvii. 'Dum Moyses, stans in vertice collis, tollebat manus in altum, interea vincebant Hebræi pugnantes adversus Amalecitas.' Christus in cruce suas pro nobis porrexit manus, et victus est hostis noster Satanas.

174 *Jesus*] Ea de Josue intelligenda esse patet, qui Moysi mortuo suffectus est. Filius erat Nun, e tribu Ephraim. Is Israëlitas in terram promissam perduxit, ac uno et triginta debellatis regibus, sexque totis annis majori subacta Palæstinæ parte, eam Hebræorum divisit in tribus.

177 *Qui ter*] Josue, cum trajecit flumen, jussit duodecim lapides poni in medio Jordanis alveo, unde duo-

Refluentis amnis alveo
Fundavit et fixit petras,
Apostolorum stemmata.
Jure ergo se Judæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Cum facta priscorum ducum
Christi figuram finxerint.
Hic Rex priorum Judicum,
Rexere qui Jacob genus,
Dominæque Rex Ecclesiæ,
Templi et novelli et pristini.
Hunc posteri Effrem colunt,
Hunc sancta Manassæ domus,
Omnesque suspiciunt tribus
Bis sena fratrum semina.

sam; qui denique fundavit et posuit duodecim lapides sublatos ex alveo Jordanis refluentis, qui sunt figuræ Apostolorum. Magi igitur recte testantur se vidisse Regem Judæorum, cum acta antiquorum ducum designarint figuram Christi: qui est Rex priorum Judicum, qui rexere nepotes Jacob, et Rex Ecclesiæ dominæ orbis, templi et novi et veteris. Posteri Effraim adorant illum; pia familia Manasseæ adorat illum; et omnes tribus, quæ sunt soboles duodecim fratrum, venerantur.



conj.—183 *fracta* Eg.—184 *Christo f. f.* Eg. *pinxerint* Weitz.—185 *prior est judicum* T.—187 *Geminæque Rex* C.—188 *et* prior deest H. P. Amb.—189 *Effrem* Weitz. Vat. fere omn. *Efrem* Eg. *Effraim* F. *Ephraim* al.—190 *Ma-*

NOTÆ

decim alios sustulit. Per illos designantur duodecim Apostoli. Adi cap. IV. Josue. Quibus aperte colligitur Josue typum fuisse Christi, qui devicto Satana nos in regnum cœleste perducit.

181 *Judæ ducem*] Ex tribu Juda natus est Christus juxta prophetiam: 'Ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israël.' Et id testantur Magi, aiunt enim, 'Ubi est, qui natus est rex Judæorum?'

188 *Et pristini*] Templum pristinum dixit templum Salomonis, quod Ecclesiæ gerebat imaginem. Idem Christus utrisque imperabat, sed aliter. Illis destinatus, his exhibitus; illis adumbratus figuris, his palam declaratus; illis promissus, his datus. De Jacob sup.

189 *Effrem*] Non solum, inquit, ea Judææ pars, unde natus est Christus, adorat Christum, verum etiam omnes tribus, quæ sunt duodecim, sortitæ nomina a duodecim Patriarchis filiis Jacob. Effraim et Manasse filii erant Joseph, quibus Jacob portiones æquas jussit distribui cum reliquis filiis suis.

Quin et propago degener
Ritum secuta inconditum,
Quæcumque dirum fervidis
Baal caminis coxerat:
Fumosa avorum numina,
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.
Gaudete, quicquid gentium est,
Judæa, Roma, et Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scytha,
Rex unus omnes possidet.

Quin etiam propago degener, quæ susceperat falsos cultus, et omnis natio, quæ conflaverat dira idola in caminis fervidis, deserit, ut adoret Christum, Deos fumosos patrum, saxa, æs, lignum, opus limæ, dolabræ, serræ. O omnes gentes, O Judæa, Roma, et Græcia, Ægypte, Thrax, Persia, et Scythia, gaudete: Christus unus

nasse W. Gold. Weitz.—191 *suscipiunt* W. Gold. Weitz. Delph.—195 *durum* Eg. H. P.—196 *coxerant* A.—199 *sectilem* Weitz.—203 *Scitha* Weitz. W. Gold. *Scita* H. *Scythia* A.

NOTÆ

193 *Propago degener*] Qui genus duxerunt ab Agar, Moab, et Ammon, unde gentium origo, Deos multos colentium.

196 *Baal*] De Baal idolo multa est mentio in libris sacris. Sed hoc loco Poëta universe Baal vocat quodlibet Deorum simulacrum. Ideo dicit, 'Quæcumque natio coxit dirum Baal.' Baal tamen, teste August. est nomen apud Tyrios, quod datur Jovi. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum, unde Baalsamen Dominum cœli. Saman quippe apud eos cœlum appellatur.

202 *Græcia*] Quæ Achaia et Hellas, teste Plinio, nuncupatur; regio ampla Europæ ad Boream Thessaliæ, ad Occasum Epiro, Peloponneso ad Austrum finitima, in plures regiones divisa, Atticam, Bœotiam, Phocidem, Doridem, Locros, et Megaridem.

203 *Thrax*] Thraciæ incolæ. Thracia, hodie Romania, regio est Europæ ampla, alias in duas partes divisa, nempe in Thraciam cis Rhodopen, et in Thraciam trans Rhodopen. Terminatur autem a Septemtrione Bulgaria, uti etiam ab Occasu, a Meridie mari Ægæo, et ab Ortu Ponto Euxino, Bosphoro Thracio, Propontide, et Hellesponto. De Persa sup.

Scytha] Scythæ populi Asiæ, gens numerosissima, in plures divisa. Sunt et Scythæ in Europa apud Mœoticam paludem incolentes, qui et Mœotæ, Alani, Agathyrsi, Geloni, et Sauromatæ; quos omnes tam Europæos quam Asiaticos Tartaros nominamus.

Laudate vestrum Principem
Omnes beati, ac perditi,
Vivi, imbecilli, ac mortui:
Jam nemo posthac mortuus.

rex possidet omnes homines. O fortunati omnes, et infelices, vivi, debiles, et mortui, laudate vestrum Principem: jam posthac nullus moritur, sed obdormiscit in Domino.

CATHEMERINON LIBRI FINIS.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS
ΠΕΡΙΣΤΕΦΑΝΩΝ LIBER.

PRÆFATIO.

IMMOLAT Deo Patri
  Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conscientiæ,
  Quibus beata mens abundat intus:
Alter et pecuniam
  Recidit, unde victitent egeni.
Nos citos iambicos
  Sacramus et rotatiles trochæos

Famulus pius, fidelis, innocens, pudicus offert Patri æterno munera conscientiæ, quibus anima sancta abundat intus. Alter et detrahit pecuniam ex opibus suis, qua pauperes se sustentent. Ego inops sanctitatis, nec dives, ut levem pauperes, de-

1 *Immolat* deest W. B. *Patri Deo* Gold.—16 *Nec edere fit expedita pelvis*

NOTÆ

1 *Immolat*] Hanc præfationem quamplurimi non præponunt tetrastichis, inter quos Aldus, qui subjunxit tanquam epilogum totius operis, cum hoc titulo: 'Ode in qua Poëta de se loquitur.' Ast in aliis, ut in Daventino, eam libro περὶ στεφάνων præfigi video; quod maxime probo, nam pleræque martyrum Odæ ex trochæis et iambis contextæ sunt, quos hic se ait consecrare, atque inter alia opera, nullum est cui proœmium non dederit suum.

8 *Rotatiles trochæos*] Constat metaphoram esse a jaculis sumtam, quæ, brevia cum sint, rotando torqueri solent. Eadem autem usus est Plato, cum Lacedæmoniorum loquendi consuetudinem exponeret, quos, ait, initio videri solitos rudes et imperitos,

Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes:
Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, et benignus audit.
Multa divitis domo
Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus,
Nec ære defit expolita pelvis:
Est et olla fictilis,
Gravisque et ampla argentea est parapsis.
Sunt eburna quæpiam;
Nonnulla quercu sunt cavata et ulmo:
Omne vas fit utile,
Quod est ad usum congruens herilem:
Instruunt enim domum
Ut emta magno, sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Ut obsoletum vasculum, caducis
Christus aptat usibus;
Sinitque parte in anguli manere.

dico celeres iambos et trochæos breves; Deus tamen approbat versus metricos, et audit benigne. Multa supellex est posita in omnibus angulis domus divitis. Calices aurei micant, nec pelvis ænea et elaborata deest: adsunt et vasa fictilia, adsunt patinæ argenteæ, graves, et amplæ; quædam instrumenta sunt eburnea, quædam ex quercu cavata et ulmo: omne vas, quod est aptum ad usum Domini. Nam quemadmodum res emtæ magno pretio ornant domum, ita res factæ ex ligno ornant. Christus me format ad communem usum in domo paterna, tanquam vas sordidum,

Gold. *sed expolita* superscr.—18 *parabsis* Gold. B. Ro. *paropsis* Delph. Vulg.

NOTÆ

sed postea 'torquere ac vibrare breve aliquod dictum.' Et Juven. Sat. VI. 447. 'Aut curvum sermone rotato Torqueat enthymema.'

16 *Pelvis*] Vasis genus, abluendis præcipue pedibus destinatum, pelluvium. Varro IV. de L. L.: 'Pelvis,' inquit, 'quasi pedelavis, a pedum lavatione.' Alii pelvim a pelluendo dictam tradunt, putantque sinum esse aquarium, in quo variæ res pelluuntur.

18 *Parapsis*] Vas escarium a rotunditate sic dictum. Martial. Epig. XI. 27. 'Cui portat gaudens ancilla paropside rubra Alecem, sed quam protinus illa voret.'

Munus ecce fictile
Inimus intra regiam salutis:
Attamen vel infimam
Deo obsequelam præstitisse prodest.
Quicquid illud accidet,
Juvabit ore personasse Christum.

et mihi permittit manere in parte anguli. En ineo munus humile intra Ecclesiam regiam salutis; sed tamen prodest præstitisse Deo vel minimum officium. Quicquid eveniat, juvabit laudasse voce Christum.

—33 *accidit* Weitz.—34 Post h. vs. Mss. non pauci, inter quos Vat. quatuor, subjiciunt hunc alium *Quo regente vivimus* vel *Quo regnante vivimus.* Sed rejiciunt A. G. et Heins. In Vat. un. insigniori habetur h. vs. sed a m. sec. alioque atramento.

NOTÆ

29 *Munus*] Ita Paulus II. Epist. ad Timoth. cap. 2. 'In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

QUÆCUMQUE de his duobus Martyribus Emeterio et Chelidonio scimus, ea omnia Prudentio nostro debemus. Eorum siquidem Acta dæmonum astu perierunt. Ut enim ipse vs. 75. conqueritur, tam horum, quam aliorum Sanctorum Martyrum historias invidentes nobis tyranni combusserunt, ne in ipsorum confusionem proderentur gloriosa Christi servorum gesta. Atque hanc, inter alias, causam assignat doctissimus Ruinartius Præf. ad Acta Martyr. sincera, quod ex tanta Sanctorum Martyrum multitudine, paucorum Acta sincera supersint. Sed præter Martyrol. Rom., in quo eorum memoria recolitur die 3. Martii, ipsorum etiam meminerunt Missale Mozarabum, et Gregorius Turonen. lib. I. De Glor. Martyr. c. 93. Ceterum non solum ex titulo huic Hymno præfixo, sed etiam ex Hymno IV. vs. 31. certo colligitur, hos Martyres Calagurritanos fuisse, eaque in civitate fortiter pro Christo mortem oppetiisse; ac ostendebatur Prudentii tempore ea in urbe locus, in quo passi fuerant, postea in Baptisterium consecratus, de quo ad Hymn. VIII. dicemus.

HYMN. I. PASSIO EMETERII ET CHELIDONII CALAGURRITANORUM MARTYRUM.

Celebrat primo locum, in quo horum Martyrum corpora sepulta sunt, qu mira populorum veneratione frequentatur, propter miracula, quæ in eo operantur. Tangit deinde eorum vitam et martyrium, tum demum redit ad miracula.

SCRIPTA sunt cœlo duorum Martyrum vocabula,
Aureis quæ Christus illic annotavit literis.
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Hibera stemmate.

Nomina duorum Martyrum sunt scripta in cœlo; Christus ea exaravit illic literis aureis, et reliquit eadem scripta in terris notis sanguinis Martyrum. Felix Hispania est clara per mundum illo martyrio. Hic locus est visus Deo dignus, qui

****

In honorem Sanctorum Martyrum Emiterii et Chelidonii Calagurritanorum. Put. A. nisi quod *Chaledonii* leg. A. *Incipit Aur. Prudentii Clementis Hymnus in laudem Sanctorum Martyrum Emeteri et Chelidoni Calagoritanorum* Amb. in eod. cod. h. hymn. proxime subsequebatur Martyrium Romani. *Ematerii et Chelidoni Calaguerritanorum.* T. *Passio Hemetrii et Celedonii. metrum Trochaicum.* Ro. *Hymnus in honorem SS. Martyrum Hemiterii &c.* Alt. *Incipit liber Peristephanon. Hymnus Sanctorum Martyrum Hemeteri et Cheledoni Calagoritanorum* Eg.—2 *Aureisque* Eg.—3 *notis et idem* G.—7 *Hi calentes* Eg.—11 *præ-*

NOTÆ

Emiterii et Chelidonii] Legimus apud Baronium Marcellum ex centurionibus legionis Trajanæ pro fide mortem obiisse anno Christi 298. Dioclet. et Maxim. imper. anno 15. ejusdemque Marcelli triumphi participes fuisse duodecim illius filios; quos inter Hemitherius et Cheledonius præcipue numerantur, quod, cum apud Legionem Gallæciæ urbem in castris militarent, exsurgente persecutionis procella, pro confessione nominis Christi plurimis tormentis afflicti, Calagurim usque perducti, atque ibi Martyrio coronati sunt. Ita Martyrol. Rom. et Beda. Quinto nonas Martii illorum festum agitur.

1 *Scripta*] Juxta illud Luc. x. 'Nomina vestra scripta sunt in cœlo.'

4 *Terra Hibera*] Iberia primum appellata est Hispaniæ regio, *l'Aragon*, utrimque Ibero fluvio proxima, quam postea Celtæ Gallorum populi, relictis sedibus suis, habitavere. Unde composito ex utraque gente nomine Celtiberia appellata est. Postea tamen universa Hispania Iberia dicta est. Quidam, inter quos Varro, scribunt populos Iberos, quorum regio est Pontum inter, Colchida, et Armeniam, in Hispania habitasse; et ab illis Hispaniam, Iberiam, et fluvium Hispaniæ, Iberum dictum fuisse.

Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas cæde tinctus duplici:
Illitas cruore sancto, nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri nec non et orbis huc colonus advenit:
Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando frustra congessit preces;
Lætus hinc tersis revertit supplicator fletibus,
Omne, quod justum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est.
Non sinunt, inane ut ullus voce murmur fuderit:
Audiunt, statimque ad aurem Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus:

servaret ossa, qui esset pudicus hospes sanctorum corporum. Hic locus effuso utriusque sanguine remansit imbutus; sed in eum cæde martyrum celeberrimum confluunt incolæ, martyres invocant, duplicant vota, munera afferunt. Quinetiam alienigenæ peregrinique huc advolant. Nam fama loquax per totum orbem volarat, narraveratque Hispaniam hic sepulcro dedisse mundi patronos, quorum corpora turba precantis populi circumdantur. Nullus hos martyres frustra invocavit: unusquisque agnoscens suas auditas fuisse preces, quibus recte aliquid petierat, compressit lacrymas ac lætus domum rediit: tanta est cura, quam gerunt isti assertores pro nostris periculis. Non sinunt ut aliquis infructuosas fundat preces, sed iis annuunt; et statim ipsimet Deum æternum orant. Quare ex ipso fonte magna bona hominibus accidunt, quæ supplices gaudio afficiunt, quod cælum concessit ipsorum postulationi. Christus autem bonus nihil martyribus ab illo postulantibus recusavit;

eucurrit F. *percurrit* Eg. *præcurrit* A.—15 *justum est* Eg.—17 *Non sinant* Ro.

NOTÆ

5 *Hic locus*] Nempe Calaguris: de qua paulo post. De Stemmate jam sup. et quo sensu illud nomen sumendum sit.

19 *Fonte ab ipso*] A Deo, quia, ut Jacobus in Canon. scribit cap. I. 'Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a luminum Patre.'

20 *Supplicum causas*] Ant. Nebrissensis per causas intelligit morbos: quia Causarii milites dicuntur a Livio lib. VII. qui propter valetudinem a militia solvuntur; et ab Ulpiano dicitur missio causaria, quæ milites propter morbum a laboribus militiæ solvit, et a sacramento militari.

Testibus, quos nec catenæ, dura nec mors terruit
Unicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis; sed tale damnum lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum est, hoc probis dignum viris;
Membra morbis exedenda, texta venis languidis,
Hostico donare ferro, morte et hostem vincere.
Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati.
Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur:
Lota mens in fonte rubro sede cordis exsilit.

martyribus, inquam, qui carcerum inter vincula, diræ mortis inter dolores ipsum confessi sunt, ita ut fuderint sanguinem: sed hoc damnum vita immortalis rependit. Quam gloriosum est ita mori; quam peculiare est claris viris ultro ferro dare membra, fragilibus venis compacta, quæque morbis mox absumerentur; quam decorum morte tyrannum vincere; quam laude dignum manu tortoris occumbere. Tum alta vulnera magnaque veluti nobilem patefaciunt januam, qua justi cœlum intrent: tum mens lota in sanguinis baptismate evolat e corde. Hi duo martyres,



Nom.—21 *bonis* H. W. superscr.—22 *dira* Weitz. et al.—25 *est* deest Eg. P. Put. Alt. Ro. Nom.—27 *Histico* Eg. *donare* A. N. et Heins. ex Mss. *domare* Weitz.

NOTÆ

28 *Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati*] Arnob. adv. Gent. lib. I. 'Nemo unquam innocens, male interemtus, infamis est: nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitiam.' Nec male P. Syrus: 'Honesta turpitudo est, pro bona causa mori.'

29 *Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur*] Idem Hieron. 'Mors omni homini dat requiem. Pro certo inter mala grassantia necessario exitus sitienter optatur. Sed sicut nec nostrum fuerat nasci; ita nec potestatis nostræ est mori. Alioquin si in nostra potestate mori consisteret, esset in potestate non mori. Ad hoc inter nostras angustias mortis requiem flagitamus: quia inter mala de bono solamen est non tacere: navigantium more, quibus refrigerium est inter infestos atque solicitos cursus loqui de securitate portuensi, ad quam etsi non liceat, quantum animus cupit, celerius pervenire, juvat tamen, et satis pulchrum est, meliores partes optare.' Prudentius ipse supra Hymn. x. 'Per cruciamina leti Via panditur ardua justis.'

30 *In fonte rubro*] Tria baptismatis esse genera docet divus Thomas, ac Theologi; nempe aquæ, Spiritus Sancti, et sanguinis. Quare qui pro Christo mortem subit, quamvis baptizatus non sit, intrat in regnum cœlorum, quoniam martyrium vim obtinet baptismi. Similem in modum is, qui baptismi salutari aqua cupit expiari, nec tamen potest, summoque peccatorum dolore affectus e vita discedit, regnum Dei consequitur, quia cum contritione baptismum, etsi non re ipsa, tamen in voto habuit; i. e. renatus est Spiritu Sancto.

Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat.
Sueta virtus bello et armis, militat sacrariis.
Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis:
Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis,
Præferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
Vile censent, expeditis ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire, castra fossis cingere;
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
Forte tunc atrox secundos Israëlis posteros
Ductor aulæ mundialis ire ad aram jusserat,
Idolis litare nigris, esse Christi defugas.
Liberam succincta ferro pestis urgebat fidem:
Illa virgas et secures et bisulcas ungulas

quos Christus perenni decorat balteo, jam ante operose atque impigre vixerant. Quare virtutis pristinæ memores, duratique usu armorum pro Christo pugnant acriter; relinquunt Cæsaris castra, ad Christi vexilla convolant, nec jam sub signis militant dracone insignitis, sed sub signo Crucis, quæ dæmonem fregit. Jam turpe ducunt et indecorum perite vibrare tela, ariete muros pulsare, cingere fossis castra, atque impium hostium sanguine ferrum satiare. Hisce temporibus crudelis Romanorum imperator jusserat Christianos aris thura dare, sacrificare dæmonibus, ac Christum ejurare. Carnifex armatus oppugnat fidem, qua veram accipimus libertatem; sed Christiani Christi amore firmi stabilesque, virgas, hastas, et sulcantes

mortem Weitz. Eg. W.—33 *nunc fidei militat* Put. a m. pr.—35 *quod* F.—36 *in signo lignum* T.—42 *refugas* F.—46 *bacis* Heins. Vat. probatior. Torrent.

NOTÆ

35 *Ventosis draconum*] Quæ erant insignia vexillorum cum aquilis. Unde signiferi et antesignani, tum aquiliferi, tum draconarii dicebantur. Vegetius auctor est lib. I. 'Quid, inquit, ipsi draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant.' De quibus fusius Hymno VI. Ventosis, vel quæ vento agitantur, vel potius vanis et superbis. De spiculo sup.

40 *Secundos*] Nempe Christianos, qui in locum filiorum Israël substituti sunt ex Gentilibus. Ideoque dixit secundos. De Israël sup.

41 *Aulæ mundialis*] Imperii Romani, quod erat sæculare, ut more religionis nostræ loquar.

42 *Litare*] Pro sacrificare: nam litare sacrificio est impetrare. Nonnulli tamen reperiuntur, qui et Virg. et Cic. aliorumque Scriptorum auctoritate putant utrumque verbum non differre. Virg. Æn. IV. 'Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis Indulge hospitio.'

44 *Bisulcas ungulas*] Quod ea instrumenta imitarentur ferarum vestigia, ungulæ dicuntur: unde etiam Cod. Theod. de emendat. servorum: 'Ferarum vestigiis latera persecando.' Et lib. I. eodem tit. 'Ferarum unguibus latera persecando.' Ubi

Ultro fortis expetebat, Christi amore interrita.
  Carcer illigata duris colla bacis impedit.
Barbaras forum per omne tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
  Tunc et ense cæsa virtus triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis, ore flammas sorbuit.
Dulce tunc justis cremari, dulce ferrum perpeti.
  Hic duorum cara fratrum concalescunt pectora:
Fida quos per omne tempus junxerat sodalitas.
Stant parati ferre, quicquid sors tulisset ultima:
  Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum, post catastas igneas;

ungulas ultro fortes expetunt. Itaque in custodiam traduntur, ibique ipsorum corpora ferreis colligantur vinculis; aut per vicos a tortoribus omni crudelitate lacerantur. Christum colere vitio vertitur; quique illum constanter confitentur, mittuntur ad mortem. Hic cernere est quamplurimos martyres mactatos humi jacere, illic nonnullos vivos cremari, ac flammas evomere. Dulce tamen ipsis erat cremari, dulce mactari. Dum adeo inhumane vexantur Christiani, duo fratres, qui a pueris multam junxerant amicitiam, quique semper una vixerant, hac strage haud permoti, tolerare quicquid sors ultima ipsis offerret, cupide cupiunt, et parati sunt ad cuncta; seu publice caput, postquam virgis lacerati erunt, et in eculeum im-

un. A. Eg. *boiis* Weitz. Ison. Chamillard. Delph. *baiis* F. *bagis* H. sed *bogis* superscr.—47 *Barbarus* Weitz.—51 *jussit* T. Bo. 1.—52 *convalescunt* Weitz.

NOTÆ

'ferarum vestigia,' et 'ungues' ponuntur pro ipsismet ungulis.

46 *Bacis* [*Boiis*] Usus est eodem vocabulo in prologo Psychom. ubi diximus boias vincula esse tam lignea quam ferrea: quod si legas *baccis*, pro nodis catenarum assume. Baccæ enim propriæ sunt fructus lauri sive racemi hederarum; quia vero nodi catenarum eandem formam habent, fortasse improprie pro nodis catenarum posuisset Poëta.

48 *Vox fidelis plectitur*] Tertullian. lib. ad Scapulam: 'Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur: quod nec sacrilegi, nec hostes publici, veri, nec tot majestatis rei pati solent.'

50 *Rogis*] Rogus strues lignorum ad cremanda cadavera: ita dictus, quod in eo Dii Manes rogentur.

55 *Bipennem*] Securim utrimque acutam, a bina pinna, nam pinnæ sunt quædam fastigia. Vocat publicam, quia consulum prætorumque insignia erant virgarum et securium fasces.

56 *Catastas*] Locus erat ubi venales servi exponebantur, ἀπὸ τοῦ καταστάναι. Est et catasta machina lignea longæ et magnæ compedis forma, qua servi vincti tenebantur: ideoque suspicatur Nebriss. legendum esse *ligneas catastas*: quod profecto verum

Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.
Nosne Christo procreati mammonæ dicabimur?
Et Dei formam gerentes serviemus sæculo?
Absit, ut cœlestis ignis se tenebris misceat.
Sit satis, quod capta primo vita sub chirographo
Debitum persolvit omne, functa rebus Cæsaris:
Tempus est Deo rependi, quicquid est proprium Dei.
Ite, signorum magistri, et vos tribuni absistite.
Aureos auferte torques, sauciorum præmia,

positi, securi objicere; seu pardis leonibusve offerre corpus. An nos, inquiunt, sacris Christianis imbuti dæmoni obtemperabimus? An nos, qui formam Dei gerimus, dediti erimus terrenis voluptatibus? Absit ut fidem nostram fœdent illæ crassæ tenebræ. Sit satis, quod Cæsari per primos annos nomen nostrum dederimus, nullo amplius tenemur sacramento; solvimus debitum imperatori, jam Deo debitum solvamus. Procul hinc signiferi, procul tribuni; procul aurei torques, quibus re-



A. F. Gif. Ind. Lucr.—59 *serviemus idolo* C.—63 *quidquid est suum Dei* Weitz.

NOTÆ

judicarem, astipulante etiam Davent. editione, nisi infra Laurentium semiustum e catasta affatu brevi judices compellantem faceret. Ubi lectulum illum, cratis ferreæ figura effformatum, cui Laurentius torrendus impositus erat et alligatus, intelligere videtur.

58 *Mammonæ*] Lingua Syriaca sive Aramæa pro Deo divitiarum, aut pro ipsis divitiis accipitur illud nomen: Alluditque ad illud Matth. VI. 'Non potestis Deo servire et Mammonæ.'

63 *Deo rependi*] Juxta illud Matth. XXII. 'Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ Dei, Deo.'

64 *Signorum magistri*] Postquam Marius is, qui septies consulatum gessit, in secundo consulatu, reliquis signis omnino abolitis, aquilam proprie Romanis legionibus dicavit; aureum aquilæ simulacrum hastæ præpilatæ suffixum a milite latum fuit, ac quocunque illud signum ferri jubebat ductor, comitabantur ac sequebantur milites.

Tribuni] De tribunis militum, non vero plebis, Prudentium loqui certum est. Eorum, ut Marcellus de re militari scribit, officium erat, in castris milites continere, et ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere: quoniam is, qui tali officio præest, et dare et observare castrensia omnia debet. Pædianus ait tribunorum militarium duo esse genera; primum eorum qui Rufulci dicuntur, et in exercitu solent creari: alii sunt Comitiati, qui comitiis designantur.

65 *Aureos torques*] Insignia militaria, quæ dantur pro vulneribus in prælio acceptis. Modestinus lib. de vocabul. rei militar. 'Torquarii duplares, torquarii simplares, quibus torques aureus solidæ virtutis præmium fuit.' Maximinus Imperator, cum adhuc vulgaris esset, ob robur corporis, quod in lucta militari osten-

Clara nos hinc Angelorum jam vocant stipendia.
Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames Deos,
Vosque, qui ridenda vobis monstra Divos fingitis.
Hæc loquentes obruuntur mille pœnis Martyres:
Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.
O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum,
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.
Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,

numerantur vulnerati, a Deo eadem ac Angeli accipimus stipendia. Christus has puras cohortes in prælium inducit, atque e cælo imperium tractans, falsos condemnat Deos, ac homines, qui ridenda sibi idola fabricant. Talia dum loquuntur martyres, mille modis cruciantur; nam illorum utramque manum validis ferratisque catenis inserunt tortores, et ponderosis chalybearum catenarum annulis colla atterunt. O vituperandi majores, qui hæc dedere oblivioni: profecto tale bonum nobis inviderunt, nam ipsorum desidia fama illius martyrii pæne extincta est. Heu carnifex barbarus laceravit, quæ de eo scripta fuerant, ne erudita sæcula in libris in longum ævum duraturis exponendo ordinem passionis, tempus, ac modum, posteris memoriæque mandarent, canerentque illorum facta. Id unum tamen silentio præterierunt exara-

C. W. sed *proprium* in marg.—72 *calyps* Weitz. H. *calips* W.—81 *Quave pœna*

NOTÆ

dit, torque aureo donatus fuit, ut Jornandes ex Symmacho refert.

66 *Stipendia*] Æs militare, seu præmium quod militibus datur. Ex stipe et pendo; quod ante nummum signatum quæstores stipem militibus appendere solebant, non annumerare.

75 *Chartulas blasphemus abstulit*] Ita de Domitiani ævo Tacitus: 'Legimus, cum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, nec in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem Populi Romani, et libertatem Senatus, et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur.'

78 *Per aures posterorum spargerent*] 'Exempla enim majorum, quæ sunt incitamenta et fomenta virtutis, nullum omnino exigerent, nisi pia sollicitudo scriptorum, et triumphatrix inertiæ diligentia, eadem ad posteros transmisisset.'

Jugibus longum catenis an capillum paverint:
Quo viros dolore tortor, quave pompa ornaverit.
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras evolarunt munera,
Quæ viam patere cœli præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans nube fertur annulus,
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium:
Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur.
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit:
Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus astans, ipse vidit carnifex:
Et manum repressit hærens, ac stupore oppalluit:
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.
Jamne credis, bruta quondam Vasconum gentilitas,

re, an illos asservatos in carcere promissa barba et capillis efferaverint, an diu fuerint in tormentis, quosque dolores ita detenti tulerint. Nec enim nobis latet, nec tempore nostra elapsum est memoria martyres per cœlum vidisse a Deo missa rutilare munera, quibus cœlum patere intellexerunt. Viderunt quidem annulum, qui Hemiterii fidei signum erat splendidum, viderunt et sudarium, Chelodonii pietatis certum specimen. Nubes vero superno vento pulsa altiora cœli loca ascendit. Tum liquidi cœli lumine fulgor aurei annuli obscuratus est, ita tamen ut diu splendor quidam mixtus apparuerit intuentibus. Denique dona sublata usque ad astra e conspectu evolarunt. Qui aderant, hoc viderunt miraculum, vidit et ipse carnifex; obstupuit, hæsitavit, manumque armatam retraxit. Ne tamen victus videretur, martyres truncavit. Jamne, o increduli Vascones, jamne creditis vos inscios puro atque inno-



T. Weitz.—94 *credes* T.—97 *domentur* Put. C.—98 *rictu* H. W. superscr.—

NOTÆ

86 *Orarium*] Proprie dicitur sudarium quo os abstergitur. Sanctus Ambr. de resurrectione: 'Et facies Lazari orario colligata erat.' Tamen accipitur pro limbo qui apponitur margini et extremitati alicujus vestimenti, causa ornatus. Ita Joannes de Janua; vel pro Sacerdotali stola. In statutis provincialibus Sancti Edmundi Archiep. Cantuariensis anno 1233. cap. 25. ordo Romanus: 'Si Diaconi ordinandi sunt, dat eis orarios et dalmaticos; si vero Presbyteri, orarios.' Denique orarium potest dici ab os oris, et tunc orarium idem est ac peplum aut operculum capitis, scilicet sudarium atque infula illa, quæ involvit vultum, quo orario utebantur antiqui, dum invocabant Deum. Ac eo sensu Poëta ait orarium signum esse pietatis sanctitatisque martyris Cheledonii.

94 *Vasconum*] Quia Calaguris in Vasconibus Celtiberis sita erat. Hæc urbs est ad Iberum fluvium, ubi recipit amnem Cidacos de Castiglia dictum. Distat 15. leucis a Calciata in ortum, estque prope confinia Na-

Quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem?
Credis, in Deum relatos hostiarum spiritus?
Cerne, quam palam feroces hic domantur dæmones,
Qui lupino capta ritu devorant præcordia,
Strangulant mentes et ipsas, seque miscent sensibus,
Tunc, suo jam plenus hoste, sistitur furens homo,
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor instat, ejulatus flebiles:
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur:
Crescit et suspensus ipse vinculis latentibus.
His modis spurcum latronem Martyrum virtus quatit;
Hæc coërcet, torquet, urit, hæc catenas incutit:
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit,
Ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,

centi sanguine vestras cruentasse manus? jamne creditis animas martyrum Deo frui? Si pertinaces estis, cernite quot modis exagitentur nefarii dæmones, qui veluti lupi rapaces viscera dæmoniacorum devorant, qui animas torquent, statim atque intrarunt corpora. Cernite, vix homo a dæmone possessus ad martyrum sepulcra apponitur, ut ab illius potestate liberetur, spumas agit in ore, torvos spargit oculos, licet in culpa non sit. Dæmon a nullo tortore cruciatus ejulat, cæditur flagellis, flagella tamen videntur a nemine, denique vinculis latentibus suspensus sese extendit. Virtus ipsa martyrum infamem ita insectatur diabolum; coërcet, torquet, urit, atque injicit catenas. Dæmon autem victus dolorum magnitudine hominis exit e corpore, prædam suam non tangit, fugit sicco ore, omnia a pede usque ad caput in statum

103 *adstat* Weitz. Heins. Delph.—113 *decolores* Valg.—114 *reliquit* Eg. *versus*

NOTÆ

varræ, olim vero in ipso Navarræ regno, nunc in Castella veteri. Vascones autem populi fuere Hispaniæ Tarraconensis, ad montis Pyrenæi radices, in Aquitaniæ confinio, ubi hodie regnum Navarræ.

102 *Criminum*] Licet sæpius Deus, ut plectat perditos homines, dæmoni faciat potestatem illos eo modo vexandi, tamen fieri potest ut et innocentes et probi in hos animi luctus incidant. Adde quod Dæmoniaci aut verba proferendo aut patrando turpia facinora haud peccent; inviti enim, non vero sponte sua, et agunt et loquuntur. De Energumenorum possessione atque exorcismo inf. agam. Notes tantum velim certum esse possessionis signum, si adhibitis sanctorum reliquiis fremant toto corpore, et erumpant in blasphemas voces.

Confitens ardere sese: nam gehennæ est incola.
Quid loquar, purgata longis alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros horror artus concutit,
Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos, quos Hiberus alluit.
State nunc, hymnite, matres, pro receptis parvulis,
Conjugum salute læta vox maritarum strepat:
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

pristinum reducit, fatetur aduri, atque Inferorum incolam esse. Quid jam dicam de corporibus, quæ longis morbis pallida vires revocavere? frigore febris atque horrore languebant artus, tamen uno puncto temporis vitiosa carent inflatione, sano rubore notentur. Christus, cum martyres hic sepulturæ mandari voluit, nobis eos dedit muneri, ut invocaremus; et sane omnes omnium Celtiberorum, quos Iberus alluit, morbos depellunt. Adeste nunc matres et gratias agite Deo, quod pueros ad salutem reduxerit moribundos; vos mulieres, quod maritos incolumes reddiderit. Hæc dies festa sit nobis, sanctisque exultemus gaudiis.



W. superscr.—118 *hymnistæ* N. A. F. Eg. *hymnitæ* P.—119 *maritorum* F. *strepet* A. F.

NOTÆ

113 *Decoloros*] Quia correptis frigore color mutatur. Alii hoc adjectivum ad tertiam inflexionum classem reducunt, et habent *decolores*, quod in Psychom. dixerit Poëta: 'Cognomento heresis, Deus est mihi discolor inquit.' Et jure, nam apud Horat. 'Ut matrona meretrici dispar erit atque Discolor.' Apud Cic. 'Hoc factum esse in hac civitate, cum senatorius ordo judicaret, ut signis discoloribus juratorum hominum sententiæ notarentur.' Semper tertiæ declinationis reperitur.

116 *Nostro oppido*] Mirum est quam in varias de Prudentii patria opiniones abierint scriptores, ut diximus in ipsius vita. Mariana autem inter alios Calaguritanum putat esse poëtam, atque contendit ipsummet Prudentium hoc in loco, ac in hymno septimo in laudem decem et octo martyrum scripto, innuere ibi natum esse, his versibus: 'Nostra gestabit Calaguris ambos, Quos veneramur.' At cum ipsi non assentior, dico illum vocare Calagurim suam patriam, quia teste Plinio Hist. Nat. III. 3. 'Calaguritani Cæsaraugustano conventui annumerabantur.'

117 *Hiberus*] Fluvius ex præcipuis Hispaniæ, ex montibus Asturorum et Cantabrorum gemino fonte profluens, ubi Castellæ, Navarræ, et Arragoniæ partem attigit, inter Catalauniam et Valentiæ regnum, apud Dertusam urbem, pelago excipitur.

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

[Ex ed. Parm. 1788.]

JAMPRIDEM a viris eruditis observatum est S. Laurentii Acta, qualia vulgo circumferuntur, vitiata esse; sed non est cur illa magnopere desideremus; certant enim, præter Prudentium, antiqui Ecclesiæ Patres atque Scriptores in celebranda Beatissimi hujus Martyris memoria. Innumera de eo proferri possent Sanctorum Ambrosii, Augustini, Petri Chrysologi, Maximi Taurinen., Damasi Papæ, Gregorii M., aliorumque testimonia; sed pro his omnibus sufficiet unicus S. Leonis M. locus, qui in Serm. de hoc B. Martyre ait: 'A Solis ortu usque ad occasum Leviticorum hominum coruscante fulgore, quam clarificatam esse Ierosolymam Stephano, tam illustrem factam fuisse Romam Laurentio.' Et sane non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos celebre fuit hujus S. Martyris nomen ac festum, quod non secus ac Latini celebrabant die decima Augusti. Quin immo Basilicam in ejus honorem Constantinopoli a Pulcheria Augusta erectam fuisse tradit Theodorus lector in Excerpt. Histor. Eccl. lib. I. Nam de Latinorum Ecclesiis sub nomine S. Laurentii antiquitus exstructis nihil dicimus, cum plura dicenda forent, quam quæ instituti nostri ratio patiatur. Sed de iis, ut etiam de reliquiis B. Laurentii, videndi Baronius in Not. ad Martyr. die 10. Augusti; Ruinart. in Act. Martyr.; et Tillemont. tom. IV. Memor. p. 39. Ex professo quidem de hoc Beatissimo Martyre pluribus egit nuperus quidam Scriptor libro hic edito an. 1771. de sanctitate et magnificentia B. Laurentii. Sed usque adeo critica omni destituitur, ut S. Martyris Acta, quæ modo ab eruditissimo quoque ut corrupta repudiantur, tanquam genuina et integra recipiat et complectatur, eaque Prudentii aliorumque veterum Scriptorum auctoritati præponere non reformidet; qua etiam confidentia nonnullos S. Augustini sermones ab eruditiss. Congr. S. Mauri Monacis ad spurios, aut saltem dubios amandatos, in medium nulla ratione revocat, ac pro veris et indubiis utitur; atque his ducibus non solum S. Martyris patriam, sed et certum nativitatis locum, genus, parentes, educationem, totumque vitæ cursum certo sic designare præsumit, ut nemo de his dubitare debeat. Hinc incerta multa, apocrypha, levia, falsa congerit, miraculorum monstra sæpius quam vera miracula obtrudit, ac talem ubique se præbet,

ut de eo dictum putes quod doctissimus Canus de quibusdam Historicis dixit lib. II. De loc. Theolog. c. 6. 'Qui dum suo affectui nimium indulgent, et ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales divos nobis exhibent, quales divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent.' Non semel in hoc Hymno de Scriptore hoc sermo redibit.

II. PASSIO LAURENTII BEATISSIMI MARTYRIS.

Romæ primum gratulatur Poëta, quod Laurentio duce Deos inanes ac falsos expulerit, tum per ordinem fortissimi Levitæ certamen et triumphum narrat, ac tandem ea recenset quæ fuit Roma ejus morte ac precibus consecuta.

ANTIQUA fanorum parens,
Jam Roma Christo dedita,
LAURENTIO victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frænis presseras:
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperii jugum.

O Roma, quæ olim falsis Deis ponebas templa, jam Christum colis; ac tibi divus Laurentius sese ducem præbet, ut idololatriam deponas penitus. Tu quidem armis Reges superbos oppressisti, tu redegisti in ditionem gentes nationesque; nunc vero.

In Periculo-Maris Cod. S. Michaëlis. *Passionis Laurentii b. M. A. Hymnus D. Laurentio Hispano, Archidiacono Romano*, F.—4 *triumphans* Weitz. et

NOTÆ

3 *Laurentio*] Hic athleta satis notus est fide sua, suoque martyrio. Ex tempore S. Xysti Papæ martyrii, cujus Laurentius erat Diaconus, quem et post triduum secutus est ad certamen, certa sententia de tempore ipsius mortis deducenda est. Constat quidem sanctum Xystum occubuisse sub Valeriano imperatore, idque ex sancti Cypriani auctoritate, qui tunc vivebat. Quare facile intelligitur peccasse eos qui sub Decio Laurentium passum esse dixerunt. Romæ igitur hic martyr martyrium complevit anno Christi 260. Valerian. et Gallien. impp. Porro ipsum sanctum Laurentium fuisse Hispanum in rebus gestis sancti Damasi, quæ in Ecclesiis recitari consueverunt, expressum habetur: de cujus consanguineis, qui res Hispan. prosecuti sunt, agunt. De Roma jam supra.

Hæc sola deerat gloria
Urbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut spurcum Jovem,
Non turbulentis viribus,
Cossi, Camilli, aut Cæsaris,
Sed martyris LAURENTII
Non incruento prælio.
Armata pugnavit fides,
Proprii cruoris prodiga:

detestabilium idolorum cultum respuis. Id unum tibi deerat tot factis jam illustri, lascivi Jovis statuam, populorum feritate expulsa, comminuere, illumque domare non feroci Cossi virtute, non Camilli, non Cæsaris, sed ipso sanguine martyris Laurentii. Christiani enim vitæ prodigi ineunt pugnam; morte corporis animæ

al.—9 *derat* Weitz. H.—13 *turbolentis* Weitz. H. W.—16 *incruente* Gif. Ind.

NOTÆ

10 *Urbis togatæ*] Nempe Romæ. Omnes enim antiqui scriptores gentem togatam vocarunt Romanos, a toga, exteriori veste, vulgo alba: quæ tam erat Romanorum propria, quam pallium Græcorum. Virg. Æn. I. 'Romanos rerum dominos, gentemque togatam.'

14 *Cossi*] Cornelius Cossus tribunus militum, aut potius, teste Livio, consul prætorve, bello cum Veientibus habito, Tolumnium eorum regem occidit, spoliaque opima de eo Jovi Feretrio secunda consecravit, cum Romulus prima dedicasset. Id referunt multi in annum urbis conditæ 325. Dictator deinde factus anno urbis conditæ 360. triumphavit de Volscis.

Camilli] Qui et alter Romulus dictus est; Romanorum suæ ætatis clarissimus fuit, qui Veios toto decennio obsessos per cuniculos cepit. Nec multo post, cum crimini illi daretur, quod prædam inique divisisset, die dicta ab Apuleio Saturnino Tribuno plebis damnatus Ardeam concessit. Mox cum Galli Senones diripuissent urbem, ipsumque Capitolium arctissima premerent obsidione, absens dictator factus, collectis ex fuga Romanorum reliquiis, Gallos pendendo auro intentos incautos oppressit, patriamque in libertatem vindicavit anno urb. cond. 387. Quinquies dictator fuit, quater triumphavit.

Cæsaris] Scilicet C. Julii Cæsaris, qui, victo ad Pharsaliam in Thessalia Pompeio, Romam reversus perpetuum se appellavit dictatorem, quique paulo post conjuratione Bruti et Cassii viginti tribus vulneribus in senatu confossus periit anno ætatis 57. urb. cond. 710. Vir vigore animi, ut ait Velleius, acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, magno illi Alexandro sed sobrio nec iracundo simillimus. Cæsaris gesta sui ipsius commentarii satis nobilitant.

17 *Fides, Proprii cruoris prodiga*]

Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
Fore hoc Sacerdos dixerat
Jam Xystus, affixus cruci,
LAURENTIUM flentem videns
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox Episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Digne retexens concinam?

mortem depellunt, ac dum sese objiciunt ferro, saluti suæ æternæ consulunt. Xystus Pontifex in crucem actus Laurentio, qui ad crucis pedes lacrymabatur, id futurum ita prædixerat. Noli diutius morti meæ illacrymari; morior quidem, sed tu etiam triduo morieris. Extrema verba Xysti, qui Laurentium bene sperare jusserat, probavit eventus. Nam, tertia die prædicta, Laurentius martyrii palma donatus est. Qua voce, quibus verbis hanc pulcherrimam mortem abunde laudabo? Quo dicam carmine hujusce martyrii singularia quæque? Laurentius princeps septem vi-

Lucr.—17 *pugnabat* A.—18 *prodita* Eg. H.—21 *hæc* F. B. H. superscr.—22 *Sixtus* B.—26 *Fletus* Weitz.—32 *palam* T. *prætulit* Nom. Put.—46 *urbis*

NOTÆ

' Hoc est robur virtutis et fidei, credere et scire, quod Deus a morte præsente liberare possit, et etiam mortem non timere, nec cedere, ut probari potius fides possit.' Cyprian. lib. IV. Epist. 6.

22 *Xystus*] Sanctus Xystus II. Græcus Atheniensis Ecclesiæ gubernacula suscepit, cum diebus 22. vacasset sedes martyrio sancti Stephani: quam duodecimo post mense reliquit, martyrio enim coronatus est anno Christi 260. Valer. et Gallien. impp. Unus Prudentius eum cruci affixum tradit. Cum enim Valeriani edicto vetiti essent Christiani ingredi cæmeteria, Xystum eodem in cæmeterio, ubi visus esset in legem peccasse, capite truncandum præfectus præcepit, ad absterrendos ceteros a cæmeteriorum latebris. Ita Martyrolog. Romanum 6. Aug.

Hic primus e septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et ceteris præstantior.
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri et sanguinis,
Qua vi latentes eruat

rorum, qui altari ministrabant, Levita clarus dignitate, sed martyrio illustrior, æditus erat, et sacræ ædis tutor; clavesque ærarii Ecclesiæ ipsi datæ fuerant, ut in egenos opes, quibus sese abdicaverant Christiani, sancte distribueret. Romæ Præfectus, crudelis minister Valeriani, pecuniæ cædisque avidus, in summa difficultate nummaria esse simulat; ut ita, ipsi enim persuasum erat in ærarium multa talenta,

NOTÆ

37 *E septem viris*] Ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ et nascentis, in qua fuerunt electi septem viri Levitæ, qui altari ministrarent: quorum princeps fuit sanctus protomartyr. Stephanus, ut legitur Actuum Apost. c. vi. Quænam eorum fuerint munera, vide apud Baron. anno Christi 34.

38 *Qui stant ad aram proximi*] Sita erat mensa sacra in Sanctuarii meditullio, circumdata cancellis: astabant mensæ Presbyter et Diaconi: unde Prudentius vocat Diaconos, 'ad aram proximos.' Vide P. Molineum de Altaribus cap. 8.

44 *Votas opes*] Ex sententia eorum, qui putant primævos Christianos etiam conjugatos vovisse paupertatem; ut colligitur ex Ananiæ Sapphiræque morte. Si enim non vovissent, licite potuissent pretium bonorum, vel ejus partem retinere, atque licet asseruissent hoc totum esse agri pretium, nemini fecissent injuriam, ideoque non peccassent fraude lethali, sed mendacio tantum veniali.

46 *Præfectus urbi*] Magistratus est primum ab Octavio Augusto, consilio Mecænatis, institutus. Occasio ejus creandi, dignitas, et munia facile intelligi possunt ex oratione Mæcenatis ad Augustum, qua suadet, immo hortatur eum, ut solus imperium retineat, et simul rationem constituendæ Reipublicæ monstrat. 'Præfectus urbis,' inquit, 'ex primariis viris creandus est, qui omnes Magistratus gesserit, non ut per absentiam Magistratuum Rempublicam administret, sed ut cum reliquis in rebus urbi præsit, tum causas quoque eas, quibus provocatio competeret, capitalesque etiam omnes, paucis exceptis, tum in urbe, tum extra urbem usque ad XXII. millia passuum dijudicet.'

Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.
  LAURENTIUM sisti jubet,
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidæ
Montes monetæ conditos:
  Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plusquam cruente scindimus.
  Abest atrocioribus
Censura fervens motibus:
Blande et quiete efflagito
Quod sponte obire debeas.
  Hunc esse vestris orgiis
Moremque et artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.

multosque auri et argenti cumulos retulisse Christianos, illa bona sibi vindicaret. Jubet igitur Laurentium corripi; jubet illum afferre omne argentum in arca positum, atque ipsum admittere in capsas montibus aureis plenas. Denique his verbis illum alloquitur: Nos nimis aspere tractare Christianos vulgo conquerimini; quod inhumane illos virgis cædamus ad necem. Jam ego in te non sævio; ego judex vacuus sum omnibus sævi animi motibus: id, quod ultro dare debes, comiter peto et benigne. Audivi vestros Presbyteros ex more vestro, instituto, religionisque legibus, uti vasis aureis, cum rem divinam faciunt. Audivi illos sacrum sanguinem e



Weitz. et al.—60 *scidimus* Weitz. H. sed *scindimus* superscr.—64 *Quos* A. *Quo*

NOTÆ

63 *Blande et quiete efflagito*] Sed, ut recte quis notat, 'Malus, bonum ubi se simulat, tunc est pessimus.' Et alter: 'Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.'

65 *Orgiis*] Orgia apud Græcos dicuntur sacra omnia, sicut apud Latinos cærimoniæ. Sed κατ' ἐξοχὴν sacra Liberi vocantur orgia; quia Bacchica præsertim cum furore peragebantur, et noctu fiebant, unde Nyctelia dicta sunt, et Bacchus ipse Νυκτέλιος. Ovid. 'Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare.' Et Virg. Georg. IV. 'Inter sacra Deum, nocturnique orgia Bacchi.' Illud nomen deducitur vel ab ὀργὴ 'furor,' vel ab εἴργω 'arceo,' quod ab iis profani arcerentur.

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Astare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre, fundis venditis,
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,

scyphis argenteis fumos adhuc emittentem fundere, cereosque in aureis candelabris figere per nocturna sacrificia. Quinetiam, ut fama vulgavit, omnes Christiani magnam vim pecuniæ, pretium scilicet fundorum, quos vendidere, Deo offerunt. Hinc nepotes queruntur quod majorum bona sub hasta vendita fuerint, quod patrum hæreditatem adire ipsis non licuerit, quod pii parentes deleverint ipsorum fortunas. Hæc bona in templi locis quibusdam abditis et remotis asservantur: dulces enim



Eg.—69 *scyfis* Weitz. H. *sciphis* W.—73 *Tunc* B.—86 *præstrigiis* Put. Weitz.

NOTÆ

70 *Fumare*] Quod ita ethnicus homo de Christianis sacris loquatur, haud mirum est. Nam, cum multis de causis noctu tantum et clam nostri majores convenirent, nonnulli cœnas Thyesteas, aliaque crimina, ut est in Minutii Octavio, alii, teste Augusto, Cereris et Bacchi adorationes Christianis malitiose impegerunt. Adde quod Præfectus putet Christianos Paganosque eodem modo sacrificare.

76 *Sestertiorum millia*] Sestertius nummus quasi semistertius dictus, quod cum esset quarta pars denarii Romani decem asses continentis, expenderetur duobus assibus et semisse. Gallicæ monetæ collatus quilibet sestertius conficiet decem denarios nostrates. At sestertium in neutro genere mille sestertios æquat, sive 42. libras, et 15. asses nostrates.

77 *Addicta avorum prædia*] 'In paternas et avitas possessiones justa quædam affectio cadit; cujus rationem ipsi quoque juris auctores habuerunt, neque vero facile permittendum esse crediderunt, ut quis majorum prædiis, laribus, sepulchris carere cogeretur. Inde prædia paterna vel avita abalienare, minus honestum, contraque distracta recuperare laudabile semper habitum est.' Rudolph. Forner. lib. v. Rer. Quotidianar. cap. 23.

Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
  Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
  Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
  Sic dogma vestrum est audio:
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.
  Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe justum postulo,
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
  Nec, cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:

nudare liberos, id æquum ducitis. Redde, deprome thesauros, quos, malis artibus imperitum vulgus deludendo, thesauris accumulas, quos in antrum obscurum defodisti. Respublica indiget pecunia, ærarium exhaustum est, fiscusque: his saltem thesauris princeps militibus stipendia persolvet. Nonne vos Christus id docuit, quod ad unum quemque pertinet, ipsi reddere? Cæsar in his nummis suam esse impressam imaginem agnoscit; da ergo Cæsari, quæ scis esse Cæsariis: æqua est postulatio et honesta. Nam, ut puto, nulli Christi typo signantur nummi; nec, cum e cœlo descendit, secum argentum attulit signatum: sed absque ullo marsupio evangelium

fuit et in W. et Vat. un. sed corr. a m. sec.—91 *didita* Put. *debita* C. —94 *reddite* H. superscript.—96 *Ænigma* Johannes Wonwerius ad Minuc. p. 148.—99 *aut* H. *haut* Weitz.—102 *Philippus* Eg. H.—106 *Qua* Put. Tor-

NOTÆ

86 *Præstigiis*] *Præstrigiis* disertim Puteanus, quod in uno suo extare etiam Weitzius testatur. Certe et Isidorus præstigias inde deducit, 'quod celeritate manuum oculi præstringantur, ita ut miracula videantur fieri.' De Fisco sup.

102 *Philippos*] Genus erat nummi aurei a Philippo Macedonum rege sic appellatum. Plaut. Bacchid. 'Me misit miles ad eam Cleomachus, vel ut ducentos Philippos reddat aureos.' Et Hor. Epist. II. 1. 'Incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.'

Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis :
Nummos libenter reddite,
Estote verbis divites.
Nil asperum LAURENTIUS
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed, ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.

annuntiavit. Jam facta vestra probent religionem, quam vulgatis per orbem, veram esse. Omne ærarium sponte exinanite: vobis verba Christi sufficiant. Non durum, non imprudens Laurentius Præfecto responsum dedit: at simulans esse ad cuncta paratum, nihil negavit. Non ibo, inquit, inficias nostrum ærarium adeo esse opulentum, auro argentoque adeo repletum, ut alia quæque opibus superet. Princeps ipse, qui tenet arcem imperii, cujus imago in omni moneta imprimitur, non



rent. duo. *Quæ* Bodl. Delph.—116 *est* deest B.—118 *emblematum* quidam.—

NOTÆ

118 *Ænigmatum*] Ant. Nebrissensis legit *emblematum*, nempe vasorum emblematis insignitorum; sed Heinsius improbat; quia ænigma, ut notavimus, apud Prudentium multis in locis significat figuram, typum, vel speciem.

119 *Augustus*] Valerianus scilicet. Nam omnes imperatores, ab Octavio qui primus Augustus dictus est, Augusti vocati sunt, quasi augurio consecrati. Id erat discriminis, teste Ammiano Marcellino, inter Augustum et Cæsarem, ut Augusti ii dicerentur, qui nunc regnabant, et ab senatu imperatoris nomine honestati fuerant. At Cæsares dicebantur, qui ab ipso Augusto electi fuerant ad regendam aliquam provinciam cum Cæsaris honore tantum, donec Augustus viveret, post ejus mortem successuri imperio.

120 *Scribitur*] I. e. cujus imago imprimitur, et titulus circumscribitur. Ita Juven. ‘ Scripto radiat Germanicus auro.’

Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis:
Vulgabo cuncta et proferam
Pretiosa, quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paullulum,
Quo fungar efficacius
Promissionis munere;
Dum tota digestim mihi
Christi suppellex scribitur.
Nam calculanda primitus,
Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
LAURENTIUS, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per urbem cursitat
Diebus, infirma agmina,

tantam argenti facti vim sibi comparavit. Non recuso te in Dei mei divitis bonorum possessionem mittere: omnia tradam, nihilque pretiosum ex iis, quæ Christus habet, occultum tibi erit. Tantum, ut queam facilius servare promissa, habeam paululum moræ, usque dum varias Christi suppellectilis species redegerim in numerum. Primo enim oportet ut singula quæque ad calculos revocem, deinde ut subducam summam. Tum gaudio triumphat Præfectus; ac gestiens lætitia, perinde quasi jam ærarium domi teneret in sua potestate, illo potiri putat. Triduum datur; magna cum laude dimittitur Laurentius, quod libenter se, templique ærarium dedere pollicitus fuerat. Quibus peractis, Laurentius it per omnes vicos, atque hisce

132 *Tunc* B. F.—134 *spem* Edd. quædam contra Mss.—138 *Laudatur* W.—

NOTÆ

126 *Induciarum*] Induciæ, cessatio belli in aliquot dies, sic dictæ, quod sint inter duces indictæ belli feriæ. Quasi ergo gesturus postea bellum cum Præfecto, inducias petit. Quamvis illud nomen pro quacumque cessatione accipi possit.

Omnesque qui poscunt stipem,
Cogens in unum, et congregans.
Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens,
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est, ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat:
Est, cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
Quos ipse promus noverat.

tribus diebus unum in locum conducit, congregatque omnes mutilatos, omnes pauperes, qui eleemosyna sustentantur. Hic cernere est cæcum, qui, quod oculorum sensu careat, quod quo pedem ferat ignarus sit, baculo viam tentat, passumque firmat vacillantem. Illic quamplurimos qui, cum aut fractum sit crus, aut amputatum, aut inæquale, claudicant. Is ulcerosa membra, ex quibus pus exprimitur, detegit; alter siccam fert manum, cujus nervi a cubito curvantur. Hos etiam in plateas cogit Laurentius, quibus Ecclesia mater cibos suppeditabat, quosque ipse

141 *orbem* H.—144 *in unum congregat* F. et al.—156 *in unum* Ro. *contrahit* Eg.—158 *asuetos* W. Weitz.—160 *promus* Vat. un. Put. *primus* reliqui.—165

NOTÆ

143 *Stipem*] Stips vel stipis dicitur pecunia, quam antiqui vel in ærarium reponebant, vel Diis offerebant, vel mendicis porrigebant ad sustentationem vitæ. Festus: 'Stipem esse nummum signatum testimonio est, et id quod datur stipendium militi, et cum spondetur pecunia, quod stipulari dicitur.'

160 *Promus*] Absque Puteano codice optimo vetustissimoque hic locus etiamnum mendosus, ut in omnibus exemplaribus, quæ, *primus*, habent, circumferretur. *Promus* distributor scilicet insigniter is præfert et convenienter, quia Diaconos Ecclesiarum ærario præfuisse constat: atque ex Paulini lib. IV. de vita B. Martini apparet. Ubi hæc habentur: 'Protinus astanti Diacono, quem more priorum Antistes sanctæ custodem legerat arcæ, Imperat ut domini sumtu nummisque coëmtam Aptaret properans algenti in corpore vestem.'

Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina,
Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
Coramque dispositas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens,
Conversus in LAURENTIUM,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris ? aut quid displicet ?

distributor noverat. Tum unumquemque nominatim invisit, numero comprehendit omnium nomina, ac denique illos ex ordine collocatos ad templi januam stare jubet. Constituta dies venerat; atque avarus Romæ Præfectus mirifice expectabat, an Laurentius staret promissis. Non diu expectavit: nam Laurentius illum adit, rogatque quamprimum templum petere, ut ipse miretur quantis opibus Christianorum Deus affluat: omnes enim, inquit, in ordinem reposui. Tu ingens atrium vasis aureis fulgere videbis; tu cernes mille talenta ordine disposita juxta patentes templi januas. Præfectus it illico, nec eum pudet sequi Laurentium. Vix venerant ad templi fores, ubi pauperum, miserabilis sane aspectus, stabat multitudo; ingens mendicorum clamor exoritur. Præfectus hæret conterritus; Laurentium torve aspectat, ac minatur. Laurentius vero: Cur in me sævis iratus? An aliquid



en jam quidam.—166 *fervidus Judex avaro* Put. Bodl. A.—181 *Clamor* H. su-

Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera;
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor:
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat:
Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.

displicet? An hæc sordida, vilia, contemnenda putas? Aurum, quod ambis, ex fodinis hauritur; labore reorum reperitur atque opera; et rapidi fluvii arenis mistum volvitur: cujus tandem vitia, crassum enim est et cœnosum, per ignem excoquuntur. Eheu auri fames pudorem, probitatem, fidem, pacem ipsam eripit; necnon infirmat leges. Unde igitur tot illi laudes tribuis? Unde

perscr.—185 *furens* W.—190 *Offossa* Amb.—192 *excludit* Ro.—193 *turbidus* Eg. H.—195 *et* W. B.—196 *dequoqui* H. Weitz.—209 *dissicit* Weitz. Eg. H.

NOTÆ

190 *Effossa*] Unde Ovid. Met. I. 138. 'Nec tantum segetes, alimentaque debita dives Poscebatur humus; sed itum est in viscera terræ: Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes irritamenta malorum.' Schedæ Ambrosianæ vetustissimæ *offossa*: quod non audet Heinsius damnare, etsi insolens. In veterrimis enim Maronis exemplaribus offugere, offulgere, offore, et similia.

Rudera] Nam venæ auri et argenti eruderantur. Eruderare autem est purgare; et rudera ipsa purgamenta, quæ ex scrobibus effodiuntur.

192 *Pœnalis labor*] Tot inter supplicia, quibus reos coërcebant antiqui, id vulgare fuit maxime atque usitatum, ad fodinas mittere.

193 *Amnis*] Puta Hermus in Lydia, Pactolusque, aut in Hispania Tagus et Minius, qui sive ob fertilitatem quam gignunt, sive ob flavum arenæ colorem, arenas aureas trahere dicuntur. Juvenalis: 'Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.'

197 *Pudor*] Juxta illud Ovid. Met. I. 'Effodiuntur opes, irritamenta malorum.' Et illud Virg. Æn. III. 'Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!'

199 *Fides perit, Leges et ipsæ intercidunt*] Multa leguntur hanc in rem apud Sallust. 'Igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit. Ea quasi materies omnium malorum fue-

Quid tu venenum gloriæ
Extollis, et magni putas?
Si quæris aurum verius;
Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
Si fervor effœtus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues;

magni æstimas, cum omnem obscuret honestatis splendorem. Quod si verum aurum vis quærere; Christum quære, quære hominem, qui imago Dei est. Hi pauperes, quorum corpus adeo debile est, ne mens, si pingues essent artus et valentes, rationi non obtemperet, Christi sunt alumni. Cum corpus gravi morbo afflictatur, viget animus. Is vero conturbatur, cum illud firma fruitur sanitate. Nam, si morbi calore exhausto sedant concupiscentiam, sanguis ad vitium pronus minores vires ministrat. Utinam mihi faceret Deus optionem, ut eligerem utrum velim; vellem sane doloribus acerrimis toto corpore opprimi, patique membrorum fracturam, ut anima variis dotibus ornata esset. Animi morbos compara cum omnibus corporis morbis



P. W. Gif. Ind. Luc. Heins. ex Mss. *dissecat* A. F.—215 *effectus* H.—222

NOTÆ

re. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertit: pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.' Apud Lucan. III. 118. 'Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges, sed pars vilissima rerum Certamen movistis opes.'

210 *Animus viget robustior*] Juxta illud Apost. ad Corinth. XII. 'Cum infirmor, fortior sum.'

Carnisne morbus fœdior
An mentis, et morum ulcera?
  Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
  Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
  Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,
Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
  Hunc, qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit;

sibi succedentibus. An corporis infirmitatem moribus corruptis vitiisque animi anteponeres? En nostri pauperes, licet extenuentur, tamen intus languoris expertes habent animam integram decoramque. Qui vero Christi sectatores non sunt, valent quidem corpore, sed mens ipsorum deformata est. Error enim hos mancos, istos cæcos reddit fraudatio. Visne ipse tibi jam demonstrem nullum esse potentes inter, quorum vestes vultusque collucent, quin Christianis istis pauperibus infirmior sit. Nonne qui serica veste induti in publicum procedunt, aut vehuntur curru aura-

alteras H.—228 *Laboris* Put. Bodl. A. *experti* Weitz.—233 *principum* A. F. W. superscr.—234 *veste et auro* Ruinart. ex conj. *prænitet* Edd. quædam.

NOTÆ

226 *Intus decoris integri*] 'Cor possidentis hæc atque conservantis majoribus in dies curis quam ærugine decoloratur atque tabescit. Nam si animum avari nudum absque corpore cogitatione perspexeris, invenies sicut vestem mille tineis corrosam: sic utique a curis perforatum, a peccatis putrefactum, et habendi solicitudine tabescentem. Non talis profecto animus inopis est. Inopis dico, ultro ac sponte sua: sed fulget ille quidem ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis; sed vivit angelica vita.' Quæ verba Chrysost. hom. 48. in c. XIII. Matth. non parum faciunt ad intelligentiam Prudentii.

237 *Hunc, qui superbit serico*] Vitia animi cum corporis affectibus et morbis tam aperte contulit, ut id non egeat explicatione. De Serico sup.

238 *Quem currus inflatum vehit*] Chrysost. hom. 24. in c. VII. Matth. ingeniose irridet hos homines. 'Quid tibi arrogas, homo, quia sublimi curru veheris, quia te trahat mularum

Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
  Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas, et volam
Plicans aduncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
  Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
  Quid ille fervens ambitum,
Sitimque honoris æstuans,

to, superbiæ veneno, ut hydropici aqua, inflantur? Nonne avari mancorum more curvatas manus adhibent, volam sinuatam, aduncos ungues; ita ut nervos manus intendere nequeant? Nonne libidinosi, qui lustra quæque publica frequentant, sese luto inquinant ac omnium scelerum colluvione, maximeque dum nefaria stupra faciunt? Quis non crederet hominem famæ cupidum, sitique honoris æstuantem

pœnitent Delph. et al.—239 *lurido* quidam.—242 *in volam* W. Gronov. Cellar. —243 *ungulis* Eg. P. W. superscr.—249 *ambitu* Weitz. Delph.—250 *Sitique*

NOTÆ

jugum? Et quale istud est? Nam et saxa ita plerumque et ligna gestantur.'

239 *Hydrops aquosus*] Eodem exemplo usus est Chrysost. hom. 24. in c. VII. Matth. 'Nonne rursus hic quidem cœlestibus est virtutibus comparandus, quæ maxima impassibilitate potiuntur, ille vero homini morbo hydropis, et plurimo prorsus tumore turgenti? et hic quidem medico spiritali, ille autem puero buccas inflanti et ridiculo?' Unde paulo post addit: 'Sed speciosa veste circumdaris? Sed et respice pro cultu vestium virtutum decore fulgentem, et videbis te quidem putrefacto jam fœno esse simillimum: illum vero arbori admirabiles fructus ferenti, maximam præbenti cernentibus voluptatem.'

242 *Manus recurvas*] Idem acute hom. 89. in parcos erga pauperes: 'Uni enim cuipiam manus dolet, et ad distributionem contracta est: quomodo igitur talis clypeum tenere poterit, ac se tueri, ne crudelitatis dicteriis vulneretur?' De vola, media scilicet manus parte, infra.

250 *Sitimque honoris æstuans*] Audi Chrysost. hom. 41. in Matth. 'Nihil certe ita iniquos atque amentes facit, quemadmodum si ad inanem multorum gloriam inhiare cupiditate cogaris. Etenim cum hac passione quispiam victus fuerit, sicut populari aura extolli regnum cœlorum ducit, ita deprimi atque exsibilari gehennam arbitratur.'

Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
  Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere:
Vexatur et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
  Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
  Tute ipse, qui Romam regis,
Contemtor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.

febris æstu laborare, ipsiusque sanguinem nimio calore vitiosum esse? Quis non crederet dicacem hominem, qui nequit, quæ tacenda sunt, occulere, ita vexari ut mala scabies cor illius urgeat, ut ipsi jecur pruriat? Jam invidos considera, male eos habet turgida struma, ac livor crudeli tabe nigraque illos peredit. Denique tu ipse, o Præfecte, qui contemnis Deum æternum, profecto dum idola atque infamem adoras dæmonem, te icterico similem esse reperies. Quos pauperes superbus

Weitz. et al.—251 *habebat* H.—261 *Tu et* Weitz.—263 *coles* Put. Heins.

NOTÆ

253 *Tacendi intemperans*] 'Nam,' teste Petronio, 'citius flammas mortales ore tenebunt, quam secreta tegant.' Adi Plutarch. ea de re.

257 *Quid invidorum pectorum*] Unius Basilii verba referam, qui homil. περὶ φθόνου invidiæ naturam breviter describit: 'Nihil mortalium animis invidiæ perturbatione perniciosius contingit, quæ ante omnia ipsi nocet auctori, aliis vero quam minimum. Quemadmodum enim rubigo ferrum, sic invidia hos, qui eam possident, consumit atque vastat. Magis autem, sicuti viperas dicunt abrupto matris ventre nasci, sic et invidia concipientem se animam corrodere simul ac tabefacere solet.'

258 *Strumas*] Struma tumor est, in quo subtus concretæ quædam ex pure et sanguine quasi glandulæ oriuntur, quæ vel præcipue fatigare medicos solent, quoniam et febres movent, nec unquam facile maturescunt.

264 *Morbo regio*] Eo morbo laboramus, cum per totum corpus bilis suffunditur, quæ interdum nigra est, flava interdum, unde aurigo dicitur ab auri colore. Regius vocatur quod hoc morbo laborantes delicate debeant et regum more curari. Icteros etiam nuncupatur ἀπὸ τοῦ ἰκτέρου, h. e. a milvo, oculi enim, bile suffusi, milvinis similes videntur.

Hi, quos superbus despicis,
Quos exsecrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt:
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:
Non sordidati aut debiles,
Sicut videntur interim,
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum aut putidum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletque, ut antrum Tartari.

despicis ducisque ærumnosos, ii mox sanabuntur, nec artus habebunt ulcerosos: hujusce corporis infirmitatibus liberi solutique in cœlo novam vitam, vitam pulcherrimam agent. Tum non sordidi, non debiles, ut in hac vita, apparebunt; sed purpureis vestibus, aureisque coronis donati. Animo vero, modo id possis, comprehende quid tandem mundi primariis accidet. Eheu intelliges his purpuratis hominibus mucosas nares fore; mentum saliva humidum, oculos putres et vitiatos lippitudine. Nihil tam tetrum est, nihil tam fœtidum, nihil tam putridum quam peccator. Semper peccatorum vulnera recrudescunt, ac male olent instar inferni. Nam animæ, quæ studiosæ fuerant

Delph.—269 *Quin* Weitz.—277 *Tunc* Weitz.—282 *maculentis* Eg.—286 *pu-*

NOTÆ

285 *Peccante nil est tetrius*] Hinc sancti Patres, ac præcipue sanctus Chrysostomus, homines vitiis deditos comparant cum iis, qui laborant fœdissimis morbis ac teterrimis.

Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Mireris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ,
His illa gemmis comitur;
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.

formæ pulchritudinis, corpusque curaverant, hac vita peracta deformantur. Accipe igitur hos nummos aureos, quos nuper promiseram: ii nunquam corrumpentur igni, nunquam in prædonum manus incident. Quin etiam, ne Christum pauperem esse putes, addo has gemmas nobiles, gemmas inquam fulgentes stellantesque, quibus hoc templum ornatur. Virgines scilicet sacratas, piasque viduas, quæ, primo marito mortuo, ad secundas nuptias haud convolarunt. Nullum aliud monile fert Ecclesia, nullas alias gemmas; his ornata Christo placet, his suum caput comit. Jam istas opes, per me



tridum Weitz. et al.—295 *Quod* H.—299 *numinis* A.—301 *Cernes* H. *Cerne* W.

NOTÆ

289 *Inversa vice*] Quia, ut inquit Aristoteles Ethic. III. 'Pœnæ sunt medicinæ, quæ per contraria fieri debent, ut qui, dum viverent, erant ornatus studiosi, in morte sint deformati.'

295 *Obruat Ruina*] Ad illud spectat, quod dicit Salvator Luc. XII. 'Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.'

302 *Intactas anus*] Post nuptias primas: alias 'intacta' virginem denotat. Virg. Æn. I. 'Cui pater intactam dederat, primisque jugarat ominibus.'

Eccum talenta; suscipe.
Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur:
Et vivit insanum caput?
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas,
Tractare nosmet ludicris?
Ergon' cachinnis venditus

licet, tibi vindica: decorabis Romam, fiscum ditabis, tu ipse ditior eris. Vix ea: Præfectus ira concitus exclàmat: Quid? me illudit Laurentius; miris modis, speciosisque verbis imponit mihi, et vivit illud insanum caput. An igitur, o furcifer, putas impune te scurriliter agendo, mimorumque more saltando fabulam fallacias in me intendisse et fraudes. Fortasse meme habere ludibrio urbanum lepidumque tibi visum fuit; quasi vero natus essem ut verterer in jocum, essemque in fabulis. An



—302 *Miraris* Weitz. Delph.—309 *talentum* F. B.—313 *furens* Edd. quædam. —314 *et* A.—318 *capillo* T.—323 *Egon'* Vat. omn. G. Weitz. *cachinnus* B.—

NOTÆ

310 *Urbem Romulam*] Romam, a Romulo qui ipsam condidit. Ilia sive Rhea Sylvia, Numitoris Albani regis filia, ab Amulio patris fratre sacerdotio Vestæ addicta ut virgo permaneret, a Marte compressa Remum ac Romulum peperit: qui occiso Amulio Romam condidere. Romulus urbi nomen dedit; fratrem interfecit; regnavit 37. annos, ac denique in cœlum raptus esse creditus est.

317 *Furcifer*] Ignominiæ causa ita appellabantur servi apud antiquos; 'quod is, qui grave scelus commiserat, plaustri lignum, cui temo affigitur, spectante vicinia ferens circumagebat. Quod ubi factum erat, infidus a domesticis existimatus, dicebatur furcifer, nam Latini lignum illud furcam appellant.' Ita Plutarch. in vita Coriolani. Aliter tamen explicat Donatus.

318 *Strophas*] A verbo στρέφω 'verto,' atque a cervis, cum a venaticis canibus urgentur, tractum est illud nomen. Qui enim fraudulenti sunt ac mendaces cervorum more agunt gyros.

320 *Saltas fabulam*] Nam erant poëmata, quæ saltabantur, ut Silenus Virgilianus, quem ipse Virgilius saltasse dicit. Ovid. Trist. v. 7. 'Carmina quod pleno saltari nostra theatro.'

Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securem publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam,
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.

Prætores amisere dignitatem? An jam nulla valent auctoritate? An ob nimiam meam clementiam inulta erit cavillatio illa? Non ita: quanquam sciam te id unum optare, mortemque in voto esse martyri; quanquam multos noverim

NOTÆ

324 *Acroma*] Seu potius *acroama*, auditio Latine dicitur; et pro festiva et jucunda narratione accipitur. Cic. pro Archia: 'Cum ab eo quæreretur quod acroama aut cujus vocem libentissime audiret.' Acroamata dicuntur etiam homines acroamata recitantes. Cic. pro Sext. 'Ille ipse maxime ludius non solum spectator, sed actor et acroama.'

326 *Censura*] Salmasius censuram hic capiebat pro dignitate. Sic 'censura oris,' et 'vir censorius,' pro pulchro. Quamvis Heinsius ipsi non assentiatur, tamen recte eo sensu id accipi posse mihi videtur; maximeque cum jam poëta superiori versu, 'Adeone nulla austeritas,' significarit Prætores de reis sumere supplicium.

Fascibus] Fasces erant fasciculi virgarum, quibus erat obligata securis, ita ut ferrum in summum extaret. Insignia fuere magistratuum apud Romanos. Pro ipsis etiam dignitatibus accipiuntur. Virg. 'Illum non populi fasces, non purpura regum.' Quærit Plutarch. Quæst. Rom. quare consulibus et prætoribus fasces olim præferrentur, et respondet 'vel propterea quod significabant, magistratus iracundiam promptam et solutam esse non oportere: vel ut magistratus interea, dum solvuntur fasces, spatium habeant considerandi sitne supplicio dignus is, cui irati sunt. Mora enim iracundiæ injecta, sæpe fecit ut magistratus sententiam mutarint. Quoniam autem vitia alia sunt sanabilia, alia insanabilia; fasces quidem ea castigant et corrigunt, quæ corrigi et sanari possunt; secures vero ea, quæ sunt insanabilia, ac desperata amputant atque excidunt.'

330 *Votiva mors est martyri*] Id omnibus Christianis peculiare fuit semper ac singulare, mortem pro fide oppetere; præcipue vero primis Ecclesiæ temporibus, licet tyranni sævis dirisque suppliciis in martyres uterentur, Christiani hoc unum optabant et deprecabantur. Quare Cyprian. tractatu I. contra Demetrian. 'Inde est, quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversus injustam violentiam vestram ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt. Insontes pœnis et cruciatibus acquiescunt.'

Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semiustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:

Christianos de hoc stulte gloriari. Nam id tuis postulatis nunquam concedam breve pati supplicium, ac uno puncto temporis vitam ponere: sed impediam quominus moriaris, ita tamen ut semper vim tormentorum perferas; ut mors, quia resolvere animam a corpore haud poterit, longos dolores protrahat. Vos vero tortores fere extinctos carbones subjicite, ne calidus ignis acerrimi vapor os Laurentii strangulet, ne ipsius peredat viscera. Lentus sit ignis ac langueat, ut molli flatu irritatus semiusta membra sensim ac vi temperata atterat. Bene est, quod ipsum sacrorum

328 *retudit* A. Vat. un.—338 *moratam* P. Fab. Semestr. III. 8.—340 *protrahat*

NOTÆ

336 *Vitam tenebo*] Nam, ut recte notat Seneca, 'acerbissima crudelitas est, quæ trahat pœnam, et misericordiæ genus, cito occidere, quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est.'

340 *Longos dolores protrahet*] Quare August. tract. 27. in Joan. 'Quid nisi quod Martyres audiebant: qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Quomodo mansit in illo S. Laurentius? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad peremtionem. Parum est, usque ad immanem cruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est; immo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est.'

350 *Mysteriarches*] Mysteriorum et sacrorum princeps, nomen compositum a μυστήριον, arcanum seu mysterium, et ἄρχων, dux, vel potius, ut puto, ab ἀρχεύω, præluceo. Quia dia-

Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante Præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs aureo
Bove inquinata et decolor
Expavit, et faciem retro

principem in ditione nostra teneamus; exemplum statuemus in illo ut, quid mox timere debeant, agnoscant Christiani. Tu, Laurenti, huic parato rogo tuum da corpus, debito in lecto cuba: jam tibi licebit Vulcanum, quem adoro, ridere. Tum sævi carnifices Præfecti mandatis obtemperant. Laurentio detrahunt vestimenta, injiciunt vincula, nexosque artus distendunt. Martyris facies multo splenduit decore, ac lumen eam circumdabat. Non aliter Moyses e monte rediens visus est Israëlitis, qui, cum degeneres essent, vitulumque aureum colerent, illius aspectu attoniti manse-

W. superscr.—352 *Quod* Weitz.—353 *constructum* Weitz.—358 *torrentes* H.

NOTÆ

conorum erat populum docere omnia religionis nostræ mysteria, atque ipsi lumen præferre.

351 *Hic solus exemplum dabit*] Unde illud: 'Plectuntur quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.'

356 *Vulcanum*] An de igne, an de ipso Vulcano ignis Deo loquatur parvi refert; siquidem Laurentius et falsos Deos illuserat et illata a tyranno supplicia. Omnes norunt Vulcanum Jovis et Junonis filium esse, qui ab iis e cœlo dejectus fuit in Lemnum propter deformitatem; quo lapsu claudus factus ferrariam ibi fabricam exercuit. Quia vero ignis in ipsius tutela est, pro igne sumitur, ut Bacchus pro vino, Ceres pro pane. Virg. 'Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem.'

363 *Legifer*] Moyses, cum secundo legem ex monte detulit, ut legitur Exod. XXXII. De Moyse, Judæa gente, Israël sup.

Detorsit impatiens Dei.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum

re; quique timentes Deum averterunt caput. Non aliter ex protomartyris Stephani vultu exiit splendor, dum lapidibus obrutus cernebat cœlos apertos. Quotquot Laurentii martyrio aderant Christiani, quos baptisma nuper acceptum Spiritus

NOTÆ

371 *Stephanus*] Græcum est nomen significans 'coronam,' licet Beda censeat Hebræum esse, et significare, 'regula vestra.' Unde videtur quod, quamvis genere esset Hebræus, patria tamen fuerit Græcus. Post Christi necem et illapsum in discipulos Spiritum Sanctum, audacter illis quæ viderant publiceque profitentibus, Judæi in eos sævierunt acerbe. Stephanus autem unus e septem, qui ad profana sacraque ministeria in cœtu Christianorum obeunda delecti erant, quod in Christi prædicandam gloriam ardentius incumberet, ab æmulis comprehensus, ac saxis est obrutus. Quonam tempore id evenerit non ita facile inter se conveniunt Scriptores. Quare sequor Baronium, qui mortem ipsius accidisse putat anno Christi 34. consulibus Domitio Ænobarbo, et Camillo Scriboniano. Quo loco occisus fuit, ingens basilica ab Eudocia Augusta erecta est.

373 *Illuminatum*] Hic locus nonnullis obscurus videtur: ac alios inter Ant. Nebrissensis mendum aliquod irrepsisse autumat. Illud sane illuminatum, pro, visum fuit, patitur aliquam difficultatem. Adde quod dubium sit an id poëta referat ad sanctum Laurentium, utrum vero ad sanctum Stephanum: tamen, quantum potui conjectura assequi, de divo Laurentio loquitur; siquidem paulo post, cum pluribus explicat qua in re exemplum ex Ægyptiorum tenebris sumtum conveniat: 'Ipsa,' inquit, 'odoris qualitas, Adusta quam reddit cutis, Diversa utrosque permovet;' quod nullo modo dici potest de divo Stephano.

375 *Baptisma nuper datum*] Quia, ut facile intelligitur ex c. VIII. Actuum Apost. ('Tantum erant baptizati in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum:') primis Ecclesiæ temporibus Christianis per impositionem manus Apostolorum, nempe in sacramento Confirmationis, Spiritus Sanctus visibiliter dabatur; nam in hoc sacramento robur confertur et plenitudo Spiritus Sancti; alioqui jam in baptismo illum invisibiliter acceperant per gratiam sanctificantem. Atque hæc ipsa manus impositio, qua post baptismum confertur Spiritus Sanctus, sicut olim tantum Apostolis, sic unis Episcopis est concessa. Unde agens de his Cyprianus in epistola ad Julianum, hæc ait: 'Quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocare-

Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ,
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.

sancti capaces reddiderat, hujus splendoris testes fuere. Impii autem et idololatræ, quorum mens nigrantibus jacebat in tenebris, noctisque veluti squalore latebat, tantum lumen haud viderunt. Idem accidit, cum tenebris inhorruit Ægyptus: nam Ægyptiis offusa erat nox sempiterna; Hebræi vero sereno cælo fruebantur. Quin-etiam tosta cutis martyris varios odores expirat, quibus varie capiuntur spectatores: hi nidorem exire putant, illi dulce nectar. Non idem ab omnibus aër ducitur: carnifices odoris fæditate vexantur intolerabili: dum Christiani suavitate quadam

—374 *fluctibus* W. superscr.—390 *Variatur* A.—396 *uret* Eg. P.—400 *affectu*

NOTÆ

tur et super eos infunderetur Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.'

381 *Ægyptiæ plagæ*] Adi cap. x. Exod. 'Tribus diebus in tenebris nemo vidit fratrem suum; ubicumque habitabant filii Israël, lux erat.' Et de Ægypt. et de Hebræ. jam supra multis in locis. De Nectare quoque.

383 *Hebræis diem Sudo exhibebat lumine*] Fuse hoc describit Philo lib. I. de vita Moysis: 'Sereno die repente offusæ sunt tenebræ, sive ob defectum solis majorem solito, sive continuis densisque nubibus cœlum subtexentibus: et nimia constipatione interclusis radiis, ut dies nihil differret a nocturna caligine, qua per triduum continuata, nox una longissima et perpetua videbatur,' &c.

Sic ignis æternus Deus :
Nam Christus ignis verus est,
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi :
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille : Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat :
Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium :

delectantur. Ita Christus, qui æternus ille ignis est, justos illustrat, atque urit nocentes. Postquam carbunculis paulatim una ex parte tostum fuisse suum corpus agnovit Laurentius, e craticula paucis Præfectum allocutus est : Jam converte : una pars corporis lento igne omnino fuit adusta ; proba quid is ardens ignis egerit. Jubet Præfectus inverti martyrem ; qui martyr his verbis tyrannum mox affatur : Cocta sunt membra, comede, gusta ut scias an cruda sint suaviora, an assa. Vix ea jocando dixerat ; oculos tendit ad cœlum, et lacrymans, motusque misericordia orat pro Romæ salute. O Christe, inquit, qui unus es Deus cum Patre et Spiritu Sancto, qui splendor es Patris, virtusque, qui orbem terrarum, cœlum, atque hujusce

H. superscr.—407 *experimento* B.—408 *sic* H.—413 *nomen* Put. Amb.—428

NOTÆ

394 *Christus ignis*] De quo Malach. III. ' Ipse enim, quasi ignis conflans, et sedebit emundans argentum, et purgabit filios Levi.' De Catasta, Vulcano, et de urbe Romula in hoc hymno.

Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere:
Ut discrepantum gentium
Mores et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus,
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcumque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas;
Per quam dedisti, ut ceteris
Mens una sacrorum foret.

urbis mœnia condidisti, qui denique Romam caput orbis posuisti, jussistique omnes nationes Romanorum armis debellari, atque illorum jugum accipere, ut postea easdem leges imponeres tot populis, qui inter se moribus, Deorum cultu, linguis, ingeniis, sacrificiis discrepabant. Nunc omnes populi Remi nepotum perferunt imperium; nunc homines, quorum diversi erant ritus, idem credunt, idem confitentur. Id quidem ita evenit, quo facilius Christiana religio per omnem terram propagaretur. Hanc igitur da gratiam Romanis, ut Roma, cujus armis auxilioque tuum Evangelium ceteris gentibus tulimus, Christiana sit. Hinc inde omnia Romani

ad *ipsum* A.—429 *quod* W.—431 *Quacumque* Bodl. *Quocumque* quidam.—432 *illigares* B. F.—434 *Christiani* A.—437 *Confederentur* Weitz.—439 *Mansuescat*

NOTÆ

419 *Quirinali togæ*] Nempe Romanis, qui a Romulo dicti fuere Quirites. Romulus autem Quirinus vocabatur, aut a Quirino patre, Marte scilicet, quem sævientem Gradivum vocant Latini, tranquillum vero, Quirinum; aut ἀπὸ τοῦ κυρίου domino; quod Ovid. Fast. II. innuere videtur: 'Sive suo regi nomen posuere Quirites:' aut denique ab hasta, quam ille gessit; quæque Sabinis Quiris est dicta. Festo sane et multis aliis ita placet. Tamen notandum est Romulum post apotheosim præcipue Quirinum dictum fuisse.

425 *Remi*] Remus Romuli frater; qui regni fuit particeps. Vide sup. in urbe Romula.

Confœderantur omnia
Hinc inde membra in symbolum.
Mansuescit orbis subditus:
Mansuescat et summum caput.
Advertat, abjunctas plagas
Coire in unam gratiam;
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis

imperii membra in unum corpus coalescant eadem credendo. Jam Christum colunt domitæ nationes; colat et ipsa Roma. Consideret diversas regiones fidei gratia conjunctas esse. Te Romuli nepotes adorent, te Numæ venerentur posteri. Servant adhuc primarii cives Romani falsos Trojanorum Deos, ac ipsorum penates

Weitz.—441 *adjunctas* F. Eg. P. H. B. fuit et in W.—447 *Veneratur* B.—448

NOTÆ

438 *Symbolum*] Tractum est ab epulis collatitiis, quas συμβολὰς vocant. Terent. Andr. 'Symbolum dedit, cœnavit.' Nam in illam comparandam cœnam plures aliquid ferebant. Aut a συμβάλλειν in unum conferre; unde symbolum apostolicum, quod brevis est et summaria fidei Christianæ norma in primitiva Ecclesia proposita, ut congrueret cum eo fides omnium, quicumque Christiani vellent haberi, ut Pseudochristiani a veris discernerentur.

444 *Numa*] Per Numam et Romulum intelligit Romanorum principes. Numa genere Sabinus et Curibus oriundus fuit Rex secundus, qui Romanos bello ferociores ad humaniorem vitam superstitiosa Religionis specie transtulit. De Romulo jam sup. De Numa in Apoth.

445 *Error Troicus*] Nam Romani a Trojanis acceperunt religionem; atque Æneas Vestam, Penates, Lares, Palladium Latio detulit. Virg. 'Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, Inferretque Deos Latio.' Troja vero decennali Græcorum bello nobilitata ob Helenæ raptum, urbs est Phrygiæ Minoris, in Asia Minore; a Troë rege, Erichthonii nepote, dicta.

446 *Catonum*] Multis hoc nomen inditum fuisse constat. Duo tamen præcipue fuere celebres: Censorius alter a censura dictus, alter Uticensis, ab Utica Africæ urbe maritima. Qui, ne incideret in Cæsaris manus, Pompeianis devictis, quorum partes secutus fuerat, ferro seipsum trajecit Uticæ. Ambo sic insignes gravitate, ut, quisquis gravitatem affectat, tertius dicatur Cato. Juv. Sat. II. 'Tertius e cœlo cecidit Cato.' Dum ergo dicit poëta Catonum curiam, intelligit nobiles, claros, prudentesque Romanos, quales fuerunt Catones.

447 *Occultis focis*] Quia ignis Vestalis in abditis servabatur. Virg. 'Æternumque adytis effert penetra-

Phrygum penates exules.
Janum bifrontem et Sterculum
Colit Senatus (horreo
Tot monstra patrum dicere)
Et festa Saturni senis.

exules, ignemque Vestæ perpetuum retinent. Senatus ipse Janum bifrontem, atque Fauni filium habet in Deorum numero. Ast horret animus tot patrum monstra

Frigum Weitz. W. B.—451 *patrum referens* Vat. nn.—456 *Julica* Ro. B. G.

NOTÆ

libus ignem.' Qui ignis, si aliquando extingueretur, non alio igne, sed ipso solis calore excitabatur.

448 *Phrygum*] Trojanorum, qui per contemtum sic appellabantur, ob Phrygum mollitiem. Phrygia enim duplex est, Major quæ tota mediterranea est, Minor quæ et Troas dicta est, quia pars illius regionis erat præcipua.

Penates] Dii domestici, quasi penes nos nati. Cicero de N. Deor. II. vult a Penu appellatos fuisse. Penus enim res sunt necessariæ in intima domus parte servatæ. Idem sentire videtur Virg. Æn. I. 'Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo Cura penum struere, et flammis adolere Penates.'

449 *Janum bifrontem*] Quanquam omnes antiqui scriptores de Jano fecerint mentionem, tamen unde Janus vocetur, unde bifrons, vix reperiri potest. Aliqui enim Noë, aut Japhet Noë filium esse putant, quia apud Hebræos Jain significat vinum, qui fructus est vitis a Noë post diluvium satæ. Alii volunt Janum primum fuisse Italiæ regem, qui Saturnum hospitio excepit, et cum illo regnum suum partitus est. Ipsi tanta erat prudentia, ut sciret præterita, futura provideret, ipsi tanta scientia, ut lingua duplici loqueretur. Quæ omnia veluti duplicem vultum denotant. Quod si mihi liceret aliquid addere, dicerem Janum bifrontem vocatum fuisse, quia utraque ex parte nummi typo signati, cujus erat inventor, illius species auro cælata fuerat. Hujus templum belli tempore aperiebatur, claudebatur pacis tempore.

Sterculum] Aut Sterceutius, teste Plinio, Fauni erat filius, Italiæ rex, stercorationis agrorum inventor, ob id donatus immortalitate. Macrobius vero illum non distinguit a Saturno. De eo Lactant. I. 20. et Tertull. Apolog. cap. 24.

452 *Festa Saturni senis*] Saturnalia, nempe festa Saturni, longe ante Romam conditam in Italia celebrari cœpta sunt. Decembri mense celebrabantur, quo tempore maxima servis licentia permittebatur. Domini serviebant servis ad memoriam pristinæ libertatis omnium, quæ fuit sub illo rege; cum nemo alteri serviret. Huic sacra fiebant humanis hostiis; ut proditum est memoriæ a Platone in Minoë, hic ritus sacrorum per multos annos, et usque ad Herculis tempora perduravit in Italia. Saturnus quidem antiquissimus fuit Deorum Cœli et Vestæ filius, pater Jovis.

Absterge, Christe, hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei:
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter Cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede adulter Jupiter,
Stupro sororis oblite:
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,

referre, ac Saturnalium festivitatem. O Christe, propulsa hoc dedecus, mitte lum Gabrielem, ut Ascanii nepotes, qui jacent in tenebris idololatriæ, tan verum esse Deum fateantur. Apostolorum principes, Paulus scilicet g Apostolus, ac Petrus, qui primus Christi vicarius in terris positus fuit, ut a januas aperiret, veluti fidissimi obsides spem nostram accendunt; siquidem jam uterque veneratur. Tu vero, adulter Jupiter, cujus et soror et conjux es discede; Romam vindica in libertatem, populum Christo deditum fuge. 1



Julia Weitz. W. *civitas* W. superscr.—468 *Primus* Weitz. Torrent. tre

NOTÆ

456 *Iuli cæcitas*] Iulum Ascanium, Æneæ filium, tanquam nominis Romani conditorem, pro ipsis Romanis posuit Prudentius. Virg. 'Julius a magno demissus nomen Iulo.' Hic diversæ sunt lectiones; *Iula*, *Iulica*, *Iulia* etiam quidam habent codices.

465 *Jupiter*] Saturni et Opis filius, ac eodem partu cum Junone editus, a nymphis educatus est; cum adolevisset, contra Titanas ob captos parentes bellum gessit, illosque liberavit. Patrem deinde, quem vitæ suæ insidias tetendisse comperit, regno expulit. Jupiter autem est, ut scribit Cicero, 'quasi j Pater.' Junonem uxorem duxit. 'Ast ego, quæ Divum incedo r Jovisque Et soror et conjux.'

469 *Te Paulus*] De SS. et Pe Paulo id unum sit satis. Cum usque Apostoli studio Romæ C ana fides adolesceret, primus e sectatus est Nero. Ideo compi si plerique, et horrendis affect pliciis; adeo ut nonnulli adi pice obliti facium instar in nocturni luminis arserint. Tam

Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.
Video futurum Principem
Quandoque, qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburneas obstruat,
Nefasta damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora:
Stabunt et æra innoxia,

Paulus ejicit, hinc expellit Petrus. Factum Neronis, qui instigante te hos Apostolos martyrio coronavit, tibi ipsi obstat nocetque. Nascetur brevi princeps, qui tandem Christianam religionem suscipiens haud sinet urbem turpibus idolis sacrificare. Firmis vectibus templa profana claudet, reserabit valvas eburneas, obsessa portarum limina tenebit, ac æreum foribus obdet pessulum. Tum æs, tum marmora, quæ nunc sunt Deorum simulacra, innoxia nitebunt, et pura ab omni sanguine. Hic

P. H. Amb. sed in post. *Primas* superscr. *creditus* Amb.—474 *servos* A. F. S. —479 *Nefanda* Weitz.—483 *ut æra* Alt. Nom. Ro.—493 *Replens* Amb. Ro. Tor-

NOTÆ

que illius imperatoris jussu Petrus Paulusque capitis damnati sunt. 3. Kal. Jul. anno Christi 67.

472 *Neronis*] Domitii scilicet Neronis, Agrippinæ filii, a Claudio adoptati, Senecæ discipuli, qui, cum in primis ætatis temporibus bonitate humanitateque enituisset, eo intemperantiæ et diritatis erupit, ut post innumeras libidines immanitatesque feris ipsis ferociores, quas inter non modo SS. Petri et Pauli, verum etiam Senecæ præceptoris sui, amitæ, conjugis Octaviæ, matris denique Agrippinæ numerantur neces, necem sibi consciverit fugiens paratum sibi a senatu supplicium. Idque anno Christi 70. imperii vero 14.

473 *Futurum Principem*] Constantinum intelligit, cujus edicto, ut inquit Hieronymus, Gentilium templa subversa sunt. Is imperii curam suscepit anno Christi 306. De eo illud potissimum memoria dignum narrat Eusebius, quod, dum bellum cum Maxentio gereret, ipse una cum universo exercitu suo signum sanctæ Crucis in cœlo vidit hac inscriptione decoratum ἐν τούτῳ νίκα. Nocte vero sequenti in somnis vidit Jesum Christum cum eodem, quod in cœlo viderat, signo: et quidem sibi imperantem ut signum idem conficeret, quo tanquam armatura in bello uteretur. Quod ubi Constantinus præstitit, victoriis permultis potitus est. In suburbiis Nicomediæ mortuus est anno Christi 337. ætatis 65. imperii 31.

483 *Innoxia*] Sanguine victimarum,

Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis: erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres,
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
Afflarat, et coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium:
Plebs in sacellis rarior:
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans LAURENTIUS
Non ense præcinxit latus:
Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.

Laurentius Deum precari cessat, ac liberatur corporis custodiis, nam voti compos loquendo animam agit. Duo e Patribus, qui incredibilem martyris constantiam mirantes, fidem amplexi sunt Christianam, illius corpus portarunt humeris. Laurentii probitas derepente Patrum animam adeo inflammarat, ut jam amore summi Dei odio habeant veteres suos errores. Ex illo die Romani falsos Deos deserunt, profana templa pauci frequentant, omnes profitentur fidem Catholicam. Ita tamen hostes Christi adortus est Laurentius, ut neminem ense percusserit: sed reponens ensem, ac generose moriens mortis auctorem prostravit; nam dæmon, qui cum illo

rent. tres, C.—500 *cursitat* C. ex conj.—511 *Pallidios* Eg.—512 *deleri* H.—514

NOTÆ

etiam quandoque humanarum. Sic Achilles apud Homerum in funere Patrocli mactat duodecim Trojanos juvenes, eorumque corpora in Patrocli pyram injicit. Romani pro humanis illis victimis gladiatorum certamina circa pyram induxerunt. Virg. 'Sulmone creatos Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens, Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.'

490 *Quidam patres*] Scilicet SS. Hippolytus et Justinus, qui sepultura Laurentii corpus affecere.

Dum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum jacet.
Mors illa sancti Martyris,
Mors vera templorum fuit:
Tunc Vesta Palladios Lares
Impune sensit deseri.
Quicquid Quiritum sueverat
Orare simpuvium Numæ,
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat Martyrem.

invicto martyre inierat prælium, fusus fuit superatusque, ac debellatus perpetuo jacebit. Dum Laurentius tormentis cadit, cadunt et templa profana. Jam impune nec Vestam nec Palladium adorant Romani. Quirites, qui divinis rebus a Numa traditis dediti fuerant, Christi petunt templa, ac laudes Laurentio late concinunt.

Orare simpuvium Numæ Put. Nom. Vat. opt. omn. Torrent. duo, Heins. *Ornare res impias Numæ* P. H. N. Vat. omn. in marg. vel superscr. Edd. quædam, Bodl. sed *Orare simpuvium Numæ* subjungitur. *sinpuvium* T. *Orare simpubium* Weitz. W. *Ornare res vanas* A. F. *Ornare simpuvium* Gif. Ind. Luc.

NOTÆ

511 *Palladios lares*] Lares Dii fuere domestici; ut Ovidio placet, Mercurii et Laræ filii. Apuleius tamen existimat esse ipsas animas parentum, qui, quod olim in ipsa domo sepulturæ mandarentur, curare semper familiam suam putabantur. In hoc Lares a Penatibus distinguuntur, quod Penates divina sint origine, Lares vero humana. Palladios vocat ob statuam illam Palladis, eo ritu consecratam, ut crederent urbem, in qua esset, inexpugnabilem fore. Quam statuam Diomedes post excidium Trojæ tempestate actus in Italiam, Deorum responsis monitus ut eam Trojanis restitueret, Æneæ per Calabriam transeunti restituit: Romæ servabatur in templo Vestæ sub Vestalium custodia. De Quirit. jam sup.

514 *Simpuvium*] Aut sympinium, aut sympullum, vas parvum, non dissimile cyatho, quo libabant antiqui: unde mulieres divinis rebus deditæ, sympulatrices vocantur. Apul. 'In hodiernum,' inquit, 'populus Romanus Diis immortalibus sympulo et catino fictili sacrificat.' Plin. lib. XXXV. 'Sed fictilibus prolibatur sympulis innocentius.' Sumitur pro ipsis rebus divinis. Numæ autem dicitur sympuvium, quia, ut supra notavimus, primus sacra instituit, et Romanos bello feroces ad humaniorem vitam superstitiosa religionis specie transtulit. Eodem sensu Juvenalis Sat. VI. 'Aut quis Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum Ausus erat.'

518 *Luperci*] Sacerdotes qui in lu-

Ipsa e Senatus lumina,
Quondam Luperci aut Flamines,
Apostolorum et Martyrum
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberum.
Vittatus olim Pontifex
Ascitur in signum Crucis;
Ædemque, LAURENTI, tuam
Vestalis intrat Claudia.

Ipsi e senatu clarissimi viri, ipsi Luperci, Flaminesque adeunt ad Apostolorum et Martyrum sepulcra. Videmus veteres familias, patrum matrumque sanguine nobiles, suos illustres liberos, qui sunt parentum pignora, Deo vovere. Qui nuper vittatus erat Pontifex, is in Ecclesiam ascribitur; tuumque, o Laurenti, templum

NOTÆ

percali sacra faciebant in honorem Panos. Lupercalia fiebant mense Februario.

Flamines] Sacerdotes, sic dicti ex gestatione pileorum, quasi pileamines; vel ab infulis, quas flammas vocabant Romani. Nudis penitus eos capitibus incedere nefas erat. Varro a Numa Pompilio institutos fuisse affirmat.

520 *Exosculantur limina*] Adeuntes basilicam ante ejus ingressum olim ad limina procumbebant Christiani, postes deosculabantur, ac preces fundebant. Unde Fortunatus de Basilica Ravennate: 'Rursus Apollinaris preciosi limina lambe fusus humi supplex.' Idemque de S. Radegunde Regina id narrat; ea enim adiens S. Martini Basilicam, per singula se prostravit limina. Vide plura apud Baron.

525 *Vittatus Pontifex*] Pontifices totius religionis apud Romanos, et rerum divinarum arbitri fuere, quare, quod possent facere, i. e. sacrificare, illud nomen acceperunt. Qui Maximus dicebatur, ceteris summa auctoritate præerat, nec nisi in maximis rebus, quæ religionem spectabant, versabatur. Pontifices maximi floruerunt ad tempora C. Julii Cæsaris, post quem reliqui Cæsares hanc dignitatem usurpavere.

528 *Vestalis Claudia*] Per quam intelligit quamlibet virginem sacerdotem ex collegio Vestæ. Illa autem Claudia Quinta, nobili ex genere orta atque ex Claudia antiqua familia Romana, cum accusaretur pollutæ castitatis, purgans innocentiam suam cingulo traxit navem, quæ neque velo neque remis promoveri poterat. Livius IX. 3. Decad. Ovid. lib. IV. Fast. 'Casta negor: si tu damnas, meruisse fatebor. Morte luam pœnas judice victa Dea. Sed, si crimen abest, tu nostræ pignora vitæ Re dabis: et castas casta sequere manus. Dixit: et exiguo funem conamine traxit. Mira, sed et scena testificata loquar. Mota Dea est; sequiturque ducem, laudat-

O ter quaterque et septies
Beatus urbis incola;
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossuum.
Cui propter advolvi licet;
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.
Nos Vasco Hiberus dividit,
Binis remotos Alpibus,
Trans Cottianorum juga,
Trans et Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quam plena Sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

intrat quælibet Vestalis. Ter sane quaterque fortunati sunt Romani, quibus licet prope et te et sepulcrum venerari; quibus licet flexis genibus juxta corpus orare, lacrymis conspergere tumulum, ad pedes tuos sese prosternere, ac denique te vocare in vota. Nos vero Hibero, qui Vascones alluit, nos binis Alpibus, Cottiano scilicet et Pyrenæo montibus longo locorum intervallo disjuncti sumus. Ignoramus quot Romæ sancti jaceant sine nomine, quot sacris sepulcris urbs floreat ac dives sit.



p. 377. *Ornare nenias* P. et H. in marg. et *sinpubium* superscr.—529 *o septies* F.—532 *sede* B. H. *ossium* Delph. et al.—534 *spargat* H.—536 *murmure* Edd. quædam, cum Weitz. *murmuræ* Put.—537 *Hiberos* C. Alt.—555 *Æterne*

NOTÆ

que sequendo.' Lactant. II. 8. Tertull. Apolog. Hieron. contra Jovian. Arnob. lib. VII.

538 *Binis Alpibus*] Notissimum nomen montium, qui Italiam a Gallia, magnamque partem a Germania dividunt. Multiplices sunt, variaque pro locorum diversitate, sortiuntur nomina. De Ibero sup.

539 *Cottianorum*] Alpes Cottiæ, montes sunt Delphinatum a Pedemontio separantes. Extenduntur a monte Vesulo ad montem Cenisium. Ita appellantur a Cottio rege Gallorum, qui cum Augusto amicitiam fecit.

540 *Pyrenas*] Montes Pyrenæi, ab Oceano ad mare Mediterraneum extensi, Hispaniam a Gallia dividunt, a portu Veneris in ora maris Mediterranei, ad fanum Sancti Sebastiani in littore maris Cantabrici.

Ninguidos] Nam ninguis pro nix dicebant veteres. Sidonius: 'Jani Numæque ninguidos menses.'

Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic, sancte LAURENTI, tuam
Nos passionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.
Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.

Quare cum hac commoditate nec fruimur, nec possumus oculis intueri vestigia sanguinis, cælum suspicimus. Ita, o sancte Laurenti, tuum contemplamur martyrium, duobus enim locis habitas; siquidem corpus in terra conditum est, cælumque petiit anima. Jam cælesti Jerusalem ascriptus ibi donaris corona civica. Videre te lucidis gemmis ornatum puto, atque in cælo designatum consulem perpetuum. Gau-

Weitz. W. Eg. H.—556 *Gestis* Weitz. Eg.—567 *licenter* Amb. Torrent. tres,

NOTÆ

545 *Qui caremus his bonis*] Orbitati enim magnum solatium est, si amici sui sepulcrum amplexari, ac in id lacrymas perfundere possint.

556 *Coronam civicam*] A. Gellius v. 6. agens de coronis militaribus, hæc ait: 'Corona civica appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ dat. Ea fit e fronde querna; quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit. Etiam ex ilice, quod genus superiori proximum est.' Nec immerito Prudentius ex omnibus coronis hic eligit Civicam, qua Laurentium martyrem donat in cœlo degentem. Nam Plinius xvi. 4. aliique Scriptores Civicas coronas volunt esse 'militum virtutis insigne clarissimum.' Claudian. vero lib. III. de Laudib. Stilic. 'Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu Velaret, validis qui fuso viribus hoste Casurum morti potuit subducere civem.'

560 *Perennem Consulem*] Alludit ad Romanos Consules, a consulendo dictos. Apud eos summa totius imperii erat. Hi senatum populumque per Accensos et Præcones cogebant. Hi exercitus ductabant. L. Junius Brutus et L. Tarquinius Collatinus primi, anno ab urbe condita 244. pulso Tarquinio Superbo septimo et ultimo rege, gessere consulatum.

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere:
Poscunt, licenter indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi et poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco et scio,
Quem Christus ipse exaudiat;
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem

dia Quiritum, quorum votis Deus annuit tuo nomine, sat demonstrant quanta tibi data fuerit potestas, quanta auctoritas attributa. Quæ supplices postulant, ea statim obtinent; omnes libenter te invocant, et sine timore sese tibi indicant, atque lætus domum suam redit unusquisque. Cum semper præsto adsis Romanis, cum tuos populares materno sinu foveas, et paterno amore prosequaris: o Christi martyr, hos inter audi non bonum poëtam, qui peccata sua fatetur, qui ipse sua in lucem profert crimina. Scio, agnosco, fateor, indignum esse qui Christum exorem: sed me sanctorum Martyrum patrocinio peccatorum veniam impetraturum spero. Audi

Weitz. Chamillard. Ruinart. *licentur* F. *lætantur* Eg. P. *latenter* H. sed *letanter* superscr. *letantur* Alt. *jocanter* W. sed *lætantur* superscr. *litantur* A. G. *jocantur* B. Heins. Vat. plerique.—574 *et* deest Weitz.—579 *martyras* Weitz.

NOTÆ

567 *Licenter*] Nec *litantur*, nec *jocantur* legendum esse quis non videt?

569 *Adsies*] Pro adsis, antiquum verbum. Terent. Phorm. I. 5. 'Inde ibo ad forum, atque aliquot mihi Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient, Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.'

Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis sæculi.

Igitur benigne supplicem Prudentium, qui in multis Deum offendit; et servientem corpori ab hac vita me eripe.

ADMONITIO

IN HYMNUM SEQUENTEM.

Quæ sub die decima Decembris apud Bedam, Usuardum, Adonem, aliosque reperiuntur S. Eulaliæ Emeritensis Virg. et Martyr. Acta, si non spuria, dubiæ saltem fidei habuit Ruinartius, iisque prætermissis, tutius existimavit, sequentem Prudentii Hymnum referre, ut testem omni exceptione majorem. Isidorus Hispalensis in Chronico æra 491. scribit Theodoricum Gothor. Regem a deprædanda Emeritensi urbe S. Martyris Eulaliæ portentis deterritum fuisse. Idem refert Idatius in Chron. Olymp. 309. de qua et Olymp. 302. jam egerat. Eandem Martyrem celebrant vetustissimum Missale Muzarabum, Fortunat. lib. VIII. carm. 4. Gregor. Turonen. lib. I. De Glor. Martyrum c. XCI. Aldelhelmus lib. De Glor. Virginis, Vita S. Fructuosi c. II. die 16. Aprilis apud Bollandianos, et alii passim Auctores. Quin et in Missali Goth. lib. III. Liturgiæ Gallicanæ a cl. Mabillonio editæ num. 18. habetur Missa integra de S. Eulalia, ubi eadem prorsus quæ apud Prudentium referuntur. Passa fuit an. Ch. circ. 304. sub Maximiano Hercul.

III. PASSIO EULALIÆ BEATISSIMÆ MARTYRIS.

Principio commendat eam a nobilitate tum patriæ tum generis; et quod ab ineunte ætate dederit specimen futuræ religionis: deinde prosequitur ordine S. Martyris passionem, miracula, quæ in ejus morte visa sunt, ac demum sepulturæ locum celebrat.

GERMINE nobilis EULALIA,
Mortis et indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
  Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples,
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.

Sacra virgo Eulalia, ortu quidem nobilis, nobilior vero martyrii laude, suam suis ossibus decorat patriam urbem Emeritam, quæ urbs sibi cordi est. Provincia, ex qua orta est hæc martyr clarissima, ultima est Occidentis, multis urbibus nobilis, referta hominum, clarior autem sanguine hujusce martyris virginisque simul. Vix-

2 *Mortis at* Weitz. *Moris at idole* C. ex conj.—21 *sucina* Weitz. et al. *flare*

NOTÆ

1 *Eulalia*] Eulaliæ Hispanæ virginis animum Donatus presbyter primis fidei Christianæ elementis ita studiose imbuerat Barcinoni, ut anno Christi 308. Diocletian. et Maxim. impp. tredecim annos nata pro Christo obierit. 4. Idus Decembris. Vide Not. ad vs. 161.

3 *Emeritam*] Emerita, quæ et Augusta Emerita dicitur, urbs est Lusitaniæ, olim ampla, Archiepisc. et conventus Juridicus multarum urbium, ad Anam fluvium. Nunc pæne deserta, sede Archiepiscopali Compostellam urbem Gallæciæ transducta. Ab Augusto condita, et Emerita dicta, veteranis militibus, et emeritis ad incolendam tradita.

6 *Proximus occiduo*] Proximam occiduo soli Emeritam facit Prudentius, quod a promontorio sacro non multum distet, qui locus est totius Europæ maxime omnium occidentalis.

8 *Urbe potens*] Quare Ausonius de Claris urbibus Epig. 9. 'Clara mihi post has memorabere nomen Iberum Emerita: æquoreus quam præterlabitur amnis, Summittit cui tota suos Hispania fasces. Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant, Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.'

Curriculis tribus atque novem
Tres hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Jam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium,
Nec sua membra dicata toro:
Ipsa crepundia repulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulva monilia respuere;
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris
Caniciem meditata senum.

dum annos duodecim compleverat Eulalia, cum in se, ut ita loquar, crudelis, libenter enim sese obtulit morti, audentia ipsos carnifices terruit; quanquam jam lignorum strues incensa esset. Multis a prima ætate ostenderat se ad cœlum tendere, nec unquam se homini juncturam connubio. Nam adhuc puellula crepitaculis haud gaudebat, lusionibusve; electrum spernebat, a se rejiciebat rosas; aurea monilia aspernabatur; ac ea ætate tam tenera senum prudentiam ad omnes res adhibebat. Ubi

B. Weitz. S. in marg. Delph. *flore* Amb. Bodl.—23 *gradum* Nom. Ro.—22

NOTÆ

11 *Curriculis*] Quomodo sol zodiacum annuo cursu pererret explicavimus supra.

12 *Tres hyemes quater*] Optimi quique scriptores partem anni pro ipso anno posuere. Quare ne his diutius immorer, unum hoc afferam exemplum. 'Et tertia jam falce decubuit Ceres.'

19 *Crepundia*] Jam sup. diximus crepundia esse crepitacula, quæ dantur infantibus. De succino, nempe de electro, inf.

21 *Flere* [*Flore*] *rosas*] Miror quod nullus hujusce loci mendum tollere ausus fuerit; cum omnes ingenue fateantur, illud *flere rosas*, admitti non posse. Cum enim Ant. Nebriss. ita reddit, *cum fletu abjicere rosas*, sensum quidem adhibet, at talem huic verbo, *flere rosas*, inesse potestatem haud explicat: de quo tamen agitur. Quare *flore* legendum esse existimo, aut cum Oxonio *flore rosas*, i. e. nascentes, in flore.

25 *Caniciem meditata senum*] Clitipho, apud Ter. II. 1. Heaut. secum conqueritur de patris hortatione his verbis: 'Qui æquum esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes, Neque illarum affines rerum esse, quas fert adolescentia.'

Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta jubet
Thura cremare, jecur pecudis
Mortiferis adolere Deis:
Infremuit sacer EULALIÆ
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et, rude pectus anhela Deo,
Fœmina provocat arma virum.
Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure et ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste movet,
Sæptaque claustra fugax aperit:
Inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ et vepribus,

vero persecutio in Dei servos exarsit, atque tyranni jusserunt Christianos idolis honores thuris tribuere, ne morerentur, atque immolare belluas Diis dissolubilibus. Sacer Eulaliæ animus infremuit; magnanimaque hæc virgo decernit quæcunque tormenta superare; et fœmina Dei desiderio tabescens, necnon inexpugnabile gerens pectus, virorum arma provocat. Parentes vero, qui eam unice diligebant, omnes insumunt curas, ut fortis ipsorum filia domi lateat, ut rure abdita sit, et procul ab urbe remota, ne martyrii amore accensa sanguinis sui pignore Christo det divinitatis testimonium. Quæ virgo perosa turpi quadam mora esse in placidissima pace, per noctem nemine comitata ad ostium currit, et pandit posita januæ claustra; tum devio itineri sese committit. Per loca inculta spinosaque, quæ ipsius pedes lacerant,

NOTÆ

26 *Furiata lues*] Quia hoc tempore maxime in Christianos Diocletianus sæviebat et Maximianus, adeoque infensus erat uterque Christiano nomini, ut Diocletianus anno Christi 304. Salonas in hortos secesserit, Christianæ rei, ut quidam volunt, cui par opprimendæ non erat, tædio fractus.

47 *Per loca senta*] Aspera scilicet, et horrida. Sentis enim est spina; sic dictus, quia quamprimum a tangentibus sentitur: hinc senticosus, et sentus, asper. Ter. in Eunuch. II. 2. vs. 5. 'Video sentum, squalidum, ægrum, annis pannisque obsitum.'

Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
Non aliter pia Virgo, viam
Nocte secuta, diem meruit;
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita pervigili,
Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat Eoa polum:

graditur. Angeli sunt itineris socii, et Christus lucis auctor in densissimis noctis tenebris illi lucet. Ita olim Deus noctu ignea columna, cujus candor eximius fugabat tenebras, Israëlitis claris Patriarcharum nepotibus viam commonstravit. Eulalia igitur dum media nocte iter facit, ut ex hoc mundo exeat, petatque cælum, clara veluti diei luce convestitur, nihilque videt tenebris nigrescere. Ante solis ortum virgo celeri pervigilique incessu nonnullas peregerat leucas; ac prima luce judicem



ingeniumque T.—55 *Perstitit* Eg.—59 *Canopia* T.—66 *pudor* A.—80 *Frivolum*

NOTÆ

Situ] Situs est caries, mucor, squalor, ex humore parietibus adhærescens. Virg. Æn. VI. 462. 'Per loca senta situ cogunt noctemque profundam, Imperiis egere suis.'

49 *Nox sileat*] Intellige de media et silente nocte: quod tempus vocatur Conticinium, quia tunc tacent omnia. Unde Luna silentii præses dicitur ab Horat. Epod. V. 51. 'Nox et Diana quæ silentium regis.' Virg. Æn. II. 'Tacitæ per amica silentia Lunæ, Litora nota petens.'

51 *Sic habuit*] Multis in locis de hoc portento, quod legimus cap. XIII. Exod. locutus est Poëta atque ad argumentum suum accommodavit. Sufficiat igitur bibliorum notasse locum.

59 *Regna Canopica*] Nempe regna hujusce mundi; Canopus, ut dicemus in Psych, civitas est Ægypti; quæ Ægyptus mundi hujus est figura atque adumbratio; ut videre est apud sanctæ Scripturæ interpretes, qui hac de re quamplurimas causas reddunt. De Eoo sup.

63 *Pandat polum*] Ovidius eo sensu: 'Ecce vigil nitido patefecit ab ortu Purpureas Aurora fores, et plena rosarum Atria.'

Mane superba tribunal adit,
Fascibus astat et in mediis.
  Vociferans: Rogo, quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
  Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? en ego sum
Dæmonicis inimica sacris,
Idola protero sub pedibus,
Pectore et ore Deum fateor.
  Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil:

adit intrepida, lictoresque inter se sistit, vociferaturque: Heu amabo vos quo, quo ruitis furiosi, cur vestras ad exitium animas præcipitatis? Cur vestra corda sui male prodiga sternitis idolis politis? Cur denique negatis Deum rerum creatorem, et opificem. O barbari tortores Christianos quæritis, meme tenete, nam vestra scelesta sacrificia detestor; pedibus conculco idola, corde et ore unum Deum colo. Isim, Apollinem, Venerem, quæ idola sibi homines fabricaverunt, parvi facio; necnon

NOTÆ

65 *Fascibus in mediis*] I. e. stat inter lictores, qui fasces prætori præferebant. De Fascibus sup.

69 *Rasilibus scopulis*] Patet, nisi fallor, id intelligendum esse de idolis. Tria enim, quæ ipsis objecerat, refutat his versibus: ‘Ego sum Dæmonicis inimica sacris, Idola protero sub pedibus, Pectore et ore Deum fateor.’ Ubi mentionem facit de simulacris. Rasile autem id dicitur, quod nihil extantis ac redundantis plenitudinis habet.

76 *Isis*] Modo adhibenda sit fides Ovidio, Isis non distinguitur ab Io filia Inachi Argivorum regis, quam Jupiter cum deprehendisset spatiantem, compressit, ac, ne id a Junone agnosceretur, mutavit in juvencam. Quæ, pristinæ reddita formæ, nupsit Osiridi regi, et ab Ægyptiis Isidis nomine culta est. At Diodorus tradit ab Ægyptiis lunam vocari Isidem, et solem Osiridem. Atque docet Isidi dari cornua tum propter aspectum, sic enim videtur quo tempore primis diebus apparet, tum quia bos ipsi ab Ægyptiis sacrificatur.

Apollo] Jovis et Latonæ filius, eodem partu cum Diana editus in insula Delo, divinationis, musicæ, et poëseos Deus.

Venus] Venerem illam, quam vulgus mortalium deliciarum, voluptatumque omnium, et blanditiarum, et elegantiæ Deam esse putavit, natam esse fabulantur poëtæ e Cœli genitalibus partibus a Saturno cæsis, et in mare projectis, sine matre, ex illa spuma scilicet, quæ ex illarum jactu in summa aquæ parte exorta est.

77 *Maximianus*] Quem Diocletianus, Carino et vita et imperio orbato, sibi throni socium assumsit anno

Illa nihil, quia facta manu ;
Hic manuum quia facta colit :
Frivola utraque, et utraque nihil.
  Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum.
Pectora cur generosa quatit ?
  Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo :
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem.
  Ergo age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
  Talibus excitus in furias

ipsum Maximianum, cum tornatos Deos adoret. Hæc omnia frivola sunt, hæc pro nihilo habenda. Nihil impedit quominus Maximianus rerum dominus et moderator saxeas veneretur statuas, falsis Deis sese consecret voveatque. Unde ergo persequitur generosos Christianos? O sane optime imperator, o moderator egregie, qui sanguine martyrum iram satiat, qui delectatur sacra corpora vexare, virgis nudare Christianorum viscera, atque illorum constantiam probare. Ergo age, carnifex, adure, seca, dilania hoc corpus terrenum. Nullo negotio carnem fragilem discerpes: ne timeas, qualemcunque dolorem acerbum haud sentiet mens mea. His in iram accensus

NOTÆ

Christi 286. et anni sequentis consulem pariter designavit. Quod ex antiquis numismatibus constat, dum consulatus ejus cum Tribunitia potestate secundo aucta describitur. Herculius cognominari voluit, Diocletianus vero Jovius.

78 *Quia facta manu*] 'Homo enim fecit illos ; et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis.' Sapient. cap. xv.

80 *Frivola utraque*] Nonnulli habent, *Frivolum utrumque, et utrumque nihil.* Sed Prudentio multum licuisse in his talibus passim apparet.

88 *Corporibusque piis inhians*] Translatio satis nota, et sumta ab iis, qui cibos vehementer appetunt.

93 *Solvere rem fragilem facile est*] Ovidius lib. III. Tristium eleg. 11. idem cecinit : 'Et minimæ vires frangere quassa valent.'

Prætor, ait: Rape præcipitem
Lictor, et obrue suppliciis:
Sentiat esse Deos patrios,
Nec leve principis imperium.
  Quam cuperem tamen, ante necem,
Si potis es, revocare tuam,
Torva puellula, nequitiam:
Respice gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
  Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus et thalamo.
  Non movet aurea pompa tori?
Non pietas veneranda senum
Quos temeraria debilitas?

Prætor, jubet lictores Eulaliæ manus injicere, atque eam ultimis mergere suppliciis, sic ut agnoscat qui sint Dii patrii, quæ principis potestas. Quantum tamen mihi est desiderium, inquit, o virgo intractabilis, tuam, modo possis, sententiam permutare, amice vincere nequitiam. Perpende quot gaudia tibi matrimonium offerat. Parentes tui orbati filio, cui et familiæ gloria tradatur et nobilitas generis, lugent quod tu jam matura viro atque ætate florens morti occumbas. Nonne eximia nuptiarum pompa te movet? Nonne lacrymæ parentum, quorum vires tua imprudentia immi-

••••••••••••

utrumque, et utrumque nihil C.—102 *potis es* Vat. vetust. quatuor, Heins. ex Mss. A. F. H. B. *potis est* Weitz. W. Eg. Gif. Ind. Luc. p. 478. *revocare viam* F. G.—103 *nequitiæ* P. G.—109 *Sole* Put.—110 *thalamis* Put. Bodl. *thalami*

NOTÆ

99 *Sentiat*] Ita Ter. 'Sentiet, qui vir siem.' Ita Caligula: 'Ita feri, ut se mori sentiat.'

105 *Genialis honor*] Nempe nuptiæ. Genius enim Deus est generationis. Ita Horat. 'Lectus genialis in aula est.' De Genio supra.

109 *Flore quod occidis in tenero*] Puteanus, *sole*, nec male. Similem ex Hamartigenia ascripserat locum Salmasius. 'Ut pueros sol primus agit.'

110 *Dotibus et thalamo*] Sæpe apud poëtas pro ipso conjugio sumuntur ista nomina. Virg. Æn. IV. 'Non licuit thalami expertem sine crimine vitam degere.' Atque alibi: 'Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.' Quia dos est patrimonium uxoris, et quicquid viro cum uxore datur.

Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris:
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis
Thuris et exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna gravis procul afuerit.
Martyr ad ista nihil; sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa jacit: simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora: carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant,

nuit. Cave, jam adsunt tortores, mors cruenta imminet: aut cades ense, aut corpus tuum feris objicietur, aut tædis ardentibus combusta resolveris in pulverem; tuique parentes erunt in maximis luctibus. Dic, quæso, an multa peto, ut te tot suppliciis liberes? Modo velis, o amabilis virgo, extremis digitis tangere modicum salis, thurisve exiguum, nullis in te utar tormentis. Eulalia ad prætoris postulata nihil respondet: sed ipsius horret animus; tyrannum consputat; idola comminuit, pedibus proterit molam thuribulis impositam. Tum duo carnifices tenerum virginis



Heins. in not.—115 *Excruciatilis* Bodl.—125 *abfuerit* Vat. plerique, Delph.

NOTÆ

114 *Ministeria*] Pro ministris: sicut servitia pro servis. Apul. 'Tunc me velut quandam victimam publice ministeria perducunt.'

118 *Facibus data fumificis*] Nam, teste Sulpitio Hist. Sacræ l. II. 'Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.'

122 *Salis*] Quia sale mola conspergebatur. Plaut. Amphit. 8. 'Jovi aut mola salsa hodie aut thure comprecatum oportuit.' De Mola jam sup.

Eminulis] Varro de R.R. II. 5. 'Ut habeat inferiorem partem pilis frequentibus subcrispam, compactis cruribus potius brevioribus quam longis, rectis genibus, et eminulis, distantibus inter se.'

130 *Prosubigit*] Eodem verbo usus est Virg. Georg. III. 'Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas.'

132 *Juncea*] Per translationem 'juncea virgo' apud Terentium sumi-

Et latus ungula virgineum
Pulsat utrimque, et ad ossa secat,
EULALIA numerante notas.
  Scriberis ecce mihi, Domine:
Quam juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropæa notant?
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
  Hæc sine fletibus et gemitu
Læta canebat et intrepida:
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore novo
Fonte cutem recalente lavant.
  Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica,
Crate tenus nec arata cutis,
Flamma sed undique lampadibus
In latera stomachumque furit.
  Crinis odorus ut in jugulos

corpus dilacerant: ungulis laniant latera, ita ut costas detegant. Martyr vero ungularum sulcos numerat, Christumque alloquitur. Jam, o Jesu, tuum nomen meo corpori impresserunt; quique tua tropæa his notis exarant, facile queunt hos apices legere. Nam sanguinis mei undique fluentis purpura te Deum esse satis aperte declarat. Quinetiam hæc martyr læta, intrepida, nullasque effundens lacrymas clamabat; mens mea haud sentit dolorem, meæque cutis sordes eluit sanguis calidus, quo omne corpus madet. Dixerat; tortores illam lacerare cessant, atque cutem obducere; sed novo, quodque ultimum fuit, mactant supplicio. Martyris nempe latera stomachumque ardentibus facibus comburunt. Ignis crepitans ad



—145 *levant* W. superscr.—148 *ore tenus* H. Eg. P. B. superscr.—151 *et in*

NOTÆ

tur pro tenui et pallida virgine. Eunuch. II. 8. 'Deducunt cibum: Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.' At hic, ni fallor, Prudentius intelligit pulchre deducta et composita membra, ut sunt opera ex junco facta. De ungula adi Hymn. Laurent.

137 *Apices*] Qui literis imponi consueverunt, in literis præsertim Hebræis et Græcis: atque in his omnibus alludit ad notas, quæ aliquando significant literas. Quare addit: O Domine tu scriberis mihi.

151 *Crinis odorus*] Sane hic pugnare secum videtur Prudentius. Nam hujusce Hymni initio electrum, monilia, rosas rejecisse Eulaliam a primis annis cecinit. Quomodo igitur illius martyris crines grato fuis-

Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia
Virgineusque lateret honos,
Tegmine verticis opposito:
  Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata caput
Occupat, exsuperatque apicem:
Virgo, citum cupiens obitum,
Appetit et bibit ore rogum.
  Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi:
Spiritus hic erat EULALIÆ
Lacteolus, celer, innocuus.
  Colla fluunt abeunte anima,

caput volat, subsilitque ad summum nutritus capillis; nam suos crines odoros ita Eulalia disposuerat, ut et in humeris, et in vultu jacentes oris ruborem, pudoremque faciei virgineum absconderent. Hæc virgo, quod mortem appetebat, flammas exhaurit exsorbetque. Nive candidior columba, mens nempe candida Eulaliæ, pura, innocua, repente apparet, ac videtur ex ore martyris exire, atque in cælum penetrare.



jugulos Weitz.—152 *humeros* P.—171 *et ipse* Weitz. Delph.—186 *Hic* W.—

NOTÆ

sent pulvere obliti? Puto in hoc imitatum fuisse Virgilium, qui tanquam divinitatis indicium Veneri tribuit capillos qui gratum odorem exhalabant. Æn. I. 'Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere.' Atque Ovid. Fast. V. 'Mansit odor: posses scire fuisse Deam.' Non igitur, ut vult Ant. Nebriss. Eulaliæ crines malobathri succis, nardoque madebant, sed absque ullo pulvere mollissimum jactabant odorem.

161 *Emicat inde columba*] Ut omnia, quæ sequuntur, paucis complectar, ostendamque non poëtice a Prudentio dicta, sed ex Eulaliæ actis desumta esse, verba Adonis Archiepisc. Vien. refero: 'Eulalia, cum esset annorum 18. jussu Daciani præsidis plurima tormenta perpessa, novissime in equuleo suspensa, et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne spiritum reddidit, et cernentibus Christianis in specie columbæ niveæ cœlum petiit. Cujus beatum corpus per triduum jussu Præsidis pependit in ligno. Sed cui humana fuerant obsequia denegata, cœlestia fuerunt munera concessa: nam nix desuper corpus puellæ aspersit.' De ea agunt Fortun. lib. VII. Carm. Aldelm. lib. de Laud. Virg. Greg. Turon. de Glor. Mart. lib. I. S. Isidor. in Hist. Goth.

Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer.
  Vidit ut ipse satelles avem
Fœminæ ab ore meare palam,
Obstupefactus et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit:
Lictor et ipse fugit pavidus.
  Ecce, nivem glacialis hyems
Ingerit, et tegit omne forum:
Membra tegit simul EULALIÆ,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
  Cedat amor lacrymantum hominum,
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat et officium:
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi, Virgo, ferunt.
  Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vettoniæ,

Vix ipsius anima evolaverat, corpus cadit in terram, ignisque extinguitur; ac, dum artus exanimes non ultra vexantur, anima ovans ascendit per aëra, et celeri cursu cœlum petit. Carnifex ipse testis est oculatus, videtque ex ore animam veluti columbam exire. Quo obstupefactus attonitusque evadit, nec peragit inceptum. Quinetiam lictores abeunt. Tum, aspera enim hyems erat, omnia nive canescunt, locus ubi martyrio donabatur, ipsiusque corpus sub Dio jacens, sic ut pallio linteo tectum esse crederes. Non tibi, o Eulalia, homines lacrymis suffusi mœstus reddunt exequias, nec est ullus qui lugeat; nullæ sunt eæ exequiæ: ipsa elementa Dei imperio tuum funus concelebrant. Nunc vero hæc virgo sepulta est Emeritæ, quæ

NOTÆ

179 *Axe sub gelido*] Sub cœlo, pars pro toto: ut apud Virg. Æn. I. 'Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther.' Quid sit axis vide sup.

187 *Colonia*] Oppidum erat, in quod Romani magistratus cives traduxerant, vel cui jura coloniarum concedebant. A. Gell. XVI. 13. ostendit qua in re colonia a municipio differat, quænam sint illius jura. Jam diximus Emeritam ab Augusto conditam fuisse, et emeritis seu veteranis militibus ad incolendum traditam.

Vettoniæ] Vectones, seu Vettones, populi fuere Lusitaniæ, inter Durium ad Boream, et Tagum ad meridiem; quorum regio Vettonia a Prudentio dicitur, vulgo vero *Estremadura*. Lucan. lib. IV. 'Vectonesque

Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, et viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavit.
Hic, ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
Et peregrinus, et indigena,
Reliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant;
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite:
Non caret his genialis hyems,

urbs Romanorum est colonia in Vettonia. Anas fluvius, cujus ripæ frondentes sunt, mordet hanc regionem, atque claram illam urbem alluit. Terra veneranda ossa cineresque martyris sinu complectitur eo in loco, ubi celebre templum ipsi positum est, quod quidem polito de marmore tum incolarum tum peregrinorum muneribus coruscat. Camera omni ex parte aureis laquearibus tegitur, pavimento autem lithostroto ita incrustatur terra, ut variis floribus convestitum pratum videre existimes. Jam vos, o populi, purpureas legite violas, sanguineos crocos carpite; hyems

188 *Ana* Weitz. Delph.—190 *luit* Weitz. *lavat* Vulg.—192 *alta* F. B.

NOTÆ

leves, profugique a gente vetusta Gallorum.'

188 *Anas* [*Ana*] Seu, et melius, *Anas*, fluvius Hispaniæ, spatio unius leucæ non longe a fontibus in Castella Nova terræ visceribus se abscondit. In Oceanum se exonerat in sinu Gaditano juxta Aimontium, inter Andalusiam et Algarbiam. De eo And. Resend. 'Et populi quos pulcher aquis perlabitur Anas.' Et Ausonius in epistola ad Paulinum, cujus initium, 'Excutimus, Pauline, jugum.' Apertius: 'Et quod terrarum cœlique extenditur inter Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.' De Laquear. inf.

190 *Mœnia pulchra lavit*] Non *lavat*. Idque Maroniano more, 'lavit ater corpora sanguis.' Georg. III. ubi 'lavit,' non est præteritum a lavare, longam enim haberet syllabam primam; sed præsens a lavere, atque ita habet brevem.

203 *Genialis hyems*] I. e. voluptaria, quod tunc omnes vacant otio. Ea enim, quibus inest voluptas, genialia dicuntur, a genio voluptatis Deo. Virg. 'Invitat genialis hyems, curasque resolvit.' De Calath. sup.

Laxat et arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
  Ista comantibus e foliis
Munera, virgo, puerque, date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
  Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum:
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fovet.

voluptaria tales flores parturit, nec humum induravit frigus: fas est calathos floribus implere. Pueri puellæque date hæc munera, atque a frondentibus foliis carpite. Ego vero choro in medio canam dactylos, incultos quidem et male natos, sed festos. Ita ossa martyris, ossiumque sepulcrum venerari libet. Eulalia e cœlo terrena prospiciens ad Dei pedes sese projicit, et propitia pro suis popularibus intercedit.

NOTÆ

208 *Ast ego serta Texta feram*] Poëtæ sua poëmata coronas vocant, quibus aiunt ornari ac redimiri a se caput illius, quem laudant. Claud. Laudat. Serenæ. 'Dic mihi, Calliope, tanto cur tempore differs Pierio meritam serto redimire Serenam? Vile putas donum, solitam consurgere gemmis, Aut rubro radiare mari, si floribus ornes Reginæ Regina comam? Si floribus illis Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit Æstibus, æterno sed veris honore rubentes,' &c.

212 *Altar*] Ut cochlear et cochleare declinatur, sic altar et altare.

IV. PASSIO DECEM ET OCTO MARTYRUM CÆSARAUGUSTANORUM.

Præ reliquis Hispaniæ urbibus patriam suam Cæsaraugustam, duodeviginti Martyrum reliquiis ditatam, celebrat; a quo tamen numero Vincentium indidem oriundum quidem, sed Valentiæ supplicio affectum, ac Virginem Encratidem, Caiumque, et Crementium excipit.

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro:

Cæsaraugustæ, meæ quidem patriæ, ossa decem et octo martyrum, magni sane

NOTÆ

1 *Noster populus*] Quia Prudentius, ut in ipsius vita notavimus, Cæsaraugustanus est.

Sub uno servat cineres sepulcro]

Cæsaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus Angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram;
Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque, pretiosa portans
Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa,

æstimanda, in eodem condita sunt sepulcro. Hæc urbs tot Sanctis clara di haud formidat extremum judicii diem, quod simul et laxo velut sinu innume hos patronos Deo offeret. Nam, cum Christus ardenti nube innixus, suumqu torquens fulmen descendet ut æquus in omnes homines sedeat judex; tum qu que civitas commota ipsi obviam omni ex parte properabit, dabitque muneri i nas martyres. Carthago urbs Africæ dabit Cyprianum facundum virum

14 H. vs. et tres seqq. desunt T.—15 *Civitas omnis* Vulg.—19 *As*

NOTÆ

Sanctorum reliquias humo fuisse conditas plurimi testantur. Ipseque poëta mox Hymn. Eulal. 'Reliquias cineresque sacros Servat humus veneranda sinu.' Vetustaque consuetudine receptum erat ut iis potissimum locis conventus, et sacri cœtus instituerentur, et aptæ iis conventibus exstruerentur ædes.

3 *Cæsaraugustam*] Cæsaraugusta Aragonii regni caput, cum ponte ad Iberum fluvium, inter Barcinonem ad ortum et Burgos ad occasum. Fuit regnum Aragoniæ sedes, sed in dies deficit. Augusta Cæsarea dicitur Ptolemæo.

6 *Mundi ruinam*] Fusius explicavimus supra quid sentiendum sit de mundi ruina. His constat, mul aliis, poëtam ea fuisse opinion ram penitus destructum iri.

10 *Nube rubente*] Ad illud cit: 'Videbitis Filium hominis entem in nubibus cœli.'

17 *Afra Carthago*] Urbs capu cæ, prius, ut habet Solinus, Carthada, i. e. civitas nova. diu fuit æmula, atque cum ea bella tria gravissima. De te quo condita et a quo, mira est toria varietas opinionum, quæ videtur orta, inquit Petavius, urbs ista paulatim, ac per part structa fuerit et amplificata. dam volunt conditam fuisse a et Carchedene Phœnicibus:

Ore facundo CYPRIANE doctor:
Corduba ACISCLUM dabit, et ZOELLUM,
Tresque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui FRUCTUOSUS
Sutile vinclum.

eruditum: Acisclum, Zoëllum, tresque martyres Corduba. Tu vero, o Tarraco, tres sanctos, quorum es parens, offeres; quibus veluti gemmifera corona Christi caput inumbrabis. Tibi hoc diadema nexuit Fructuosus: ita enim lucidissimam gemma-

NOTÆ

Romanorum tamen et Carthaginensium opinionem a Didone sive Elisa fuit posita anno Pygmalionis septimo, quo Dido in Africam migravit.

18 *Cypriane*] Sanctus Cyprianus Carthaginensis episcopus, sanctitate et doctrina clarissimus, sub Valeriano et Gallieno imperat. post durum exilium, detruncatione capitis martyrium consummavit sexto milliario a Carthagine juxta mare: anno Christi 258. decimo-octavo Kalend. Octobris. Multa de eo Baronius et Petavius.

19 *Corduba*] Colonia, cognomento Patricia: Hispaniæ Bæticæ urbs nobilissima, ad Bætim fluvium: media fere inter Hispalim et Granatum. Anno salutis 1092. ab Hispanis cum Hispali, victis et ejectis Mauris, est recuperata. Patria fuit Senecæ et Lucani, teste Martiale ad Licianum: 'Duosque Senecas, unicumque Lucanum Facunda loquitur Corduba.'

Acisclum] Cum Ecclesiæ Cordubensi præerat Osius sanctus vir et clarus, Corduba duorum Germanorum Aciscli atque Victoriæ martyrio illustrata est Christi 303. Dioclet. et Maxim. 20. Daciano præfecto.

Zoëllum] Zoëllus, seu Zoillus, passus est temporibus persecutionis Dioclet. et Maxim. quinto Kalend. Julii; ita Martyrol. Romanum.

20 *Tres coronas*] Cur Prudentius de tribus tantum martyribus loquatur eo loco, cum Martyrol. Roman. alios decem et novem una cum Zoillo martyrii palma donatos fuisse scribat, non ita facile intelligitur. Tamen, ni fallor, id obscurum explanavi. Legimus igitur apud Surium in vita sanctæ Anastasiæ Chrysogoni martyris corpus fluctibus delatum fuisse ad littus maris, ubi Zoillus, vir pius et presbyter, diversabatur apud Agapen, Chioniam, et Irenem sorores: cui Chrysogonus in somnis apparens prædixit illum brevi pro Christo vitam finiturum, tresque illas Christi ancillas. Quibus colligi potest eas præcipue Zoilli comites fuisse.

21 *Tribus gemmis*] Scilicet Fructuoso Tarraconensi episcopo, ipsiusque diaconis Augurio et Eulogio. De quibus infra. Weitzius putat poëtam hic alludere ad morem eo ævo usitatum. Virgines enim nomina sua monilibus intexta gestabant.

23 *Tarraco*] Urbs alias a Cosetanis et Scipionibus condita, nunc in Catalonia, cum portu, in ora maris Mediterranei. Sedet ad ostia Tulcis fluvii, et distat 12. leucis a Dertusa in ortum, Barcinonem versus 15. Vina Tarraconensia olim in pretio habita.

Nomen hoc gemmæ strophio illigatæ est:
Emicant juxta lapides gemelli,
Ardet splendor parilis duorum
Igne corusco.
Parva FELICIS decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda:
Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.
Barcinon claro CUCUPHATE freta
Surget, et PAULO speciosa Narbo:

rum, quæ ad hancce coronam alligantur, nominant; duæ alteræ juxta eam a[j] fulgent, atque unum eundemque ignem mittunt sparguntque. Gerunda u[...] quidem, sed sanctorum corporibus opulentissima, Calagurrisque suos etiam m[...] producent. Hæc Felicem, illa Hemiterium Chelidoniumque quos colit. Ab Cucuphate defensa Barcinon ultro veniet; Narbo Pauli martyrio nobilis, necn[...]



W. *Asciudum* Bodl. *Aciscum* Put. *Acliudum* Eg. P.—25 *illigatæ* T. Nom[...] Amb. Heins. Ruinart. Vat. duo præstantior. *illigatum* Vat. reliqui; [...] et Amstel. ed.—31 *præstabit* Cellar. et al.—33 *Barcilon* Weitz. W.

NOTÆ

Martial. lib. XIII. 'Tarraco Campano tantum cessura Lyæo.' De Strophio sup.

29 *Felicis*] Felicis nomine duo Gerundæ martyrium passi sunt; unus quinto decimo Kalend. April. Narcissi episcopi Gerundensis diaconus sub Aureliano juxta Martyrol. Roman. juxta vero Baron. in Annalibus sub Dioclet. et Maxim. imperat. anno Christi 303. alter sancti Cucuphatis socius atque amicus, qui, teste Eulogio, Cæsarea Mauritaniæ Gerundam usque martyrii cupidus perrexit. Passus est Kalendis Aug. sub Daciano. Ejus acta scripsit Surius tom. 4. Nisi forte unus et idem fuerit, ut colligi posse videtur ex annotationibus Baronii. De Cal. et sanctis sup.

30 *Gerunda*] Nunc *Girona* incolis. Urbs fuit Ausetanorum, in Hispania Tarraconensi, nunc Cataloniæ, ad amnem Sambrocam; 7. leucis ab ora maris Mediterranei in occasum.

33 *Barcinon*] Barcino, aut B[...]no, Faventia prius dicta, Cat[...] caput, nominata et fundata [...]milcare, cui Barcha cognomen, Carthaginenses cum exercitu i[...]paniam miserant, licet quidam ab Hercule conditam fuisse, est munita, cum portu in ora Mediterranei, prope ostia Ru[...] et Bætulonis fluviorum.

Cucuphate] Cucuphates ortus Scyllitana urbe nobilissimis p[...]bus. Ætate nondum provect[...] cum Felice Cæsaream, ut liber[...] literis operam navaret, pro[...] est. At vix uterque accepit D[...] et Maxim. imperat. sævire in [...]tianos, Felix Gerundam abiit, [...]phas Barcinonem. Ubi Max[...] jussu in craticulam impositus, et aceto perfusus, denique per gladio obiit octavo Kalendas A[...] Ita Surius tom. IV.

34 *Paulo*] De eo hæc habet [...]

Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte GENESI.
Lusitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratæ cineres puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.
Sanguinem JUSTI, cui PASTOR hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum

las freta sancto Genesio. Emerita Lusitaniæ caput ipsis sanctæ Eulaliæ cineribus, quos offeret, placabit Deum. Poterit Complutum geminum donum tribuere, gemi-



Barchinon A. *fæta* Torrent. un.—38 *et cineres* A. *adorata et cineres piorum* W.—

NOTÆ

rol. Roman. 'Narbonæ in Gallia natalis sancti Pauli episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui a beato Apostolo Paulo baptizatus, et cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate donatus est. Ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum undecimo kalend. April.' Quibus Baron. in suis annotationibus probat Greg. Turon. errasse dum Paulum Narbon episcop. tempore Decii imp. in Gallias pervenisse testatur.

Narbo] Aut teste Cicerone Narbon, urbs est ampla et munita Galliæ in Occitania provincia juxta ramum Atacis fluvii, manuductum alias a Romanis, inter montem Pessulanum ad ortum, et Tolosam ad occasum. Distat mill. pass. ab ora maris Mediterranei.

35 *Arelas*] Aut Arelate, aut Arelatum: urbs Galliæ Narbonensis, ad Orientalem Rhodani alveum, in qua multa manent nobilitatis vestigia. Olim regem habuit. Postremus nomine Boso, cum episcopo, quod se non expectasset ad sacra in nocte Nativit. D. N. alapam impegisset, ab Othone imper. regno exutus, in cœnobium detrusus est. Ex quo tempore regnum Arelatense cessavit.

36 *Genesi*] 'Beatus Genesius exceptoris officio fungens, cum impia edicta, quibus Christiani puniri jubebantur, nollet excipere, et projectis in publicum tabulis se Christianum esse testaretur, comprehensus ac decollatus martyrii gloriam proprio sanguine baptizatus accepit Octavo kalend. Septemb. anno Christi 303. Dioclet. et Maxim. 20.'

41 *Justi, cui Pastor*] De his sit satis, quod legimus in Martyrol. Rom. 'Compluti in Hispania Justus et Pastor fratres, cum adhuc pueri literis imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt: et mox a Daciano præside teneri jussi, et fustibus cædi, cum se mutuis exhortationibus roborarent, extra civitatem perducti, a carnifice sunt jugulati, Octavo Idus Augusti. anno Christi 303.'

Ferre Complutum gremio juvabit,
Membra duorum.
Ingeret Tingis sua CASSIANUM,
Festa Massilum monumenta regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Christi.
Singulis paucæ, tribus aut duobus
Forsan, et quinis aliquæ placebunt
Testibus Christi, prius hostiarum
Pignore functæ.
Tu decem Sanctos revehes et octo
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honoræ.

numque ferculum: Justi scilicet membra, Pastorisque, qui una cum Justo mar passus est. Poterit et Tingis, ubi Massilorum reges mandantur sepulturæ, e Cassianum, qui jam cinis est, quique olim his domitis gentibus Christi jugum suit. Quædam civitates, quod prius unius tantum martyris sanguine ornatæ f quædam quod fuerint duorum, trium, quinetiam quinque martyrum cruore, placebunt. At tu, o Cæsaraugusta, valde pia et flavis oleis, quæ sunt pacis in

43 *Comblutum* W.—46 *Massellum* H. sed *Masilum* superscr.—53 *revehis* W *Christo* P. Put. Bodl. Alt. Torrent. tres.—56 *honore* Weitz. Delph.—58

NOTÆ

43 *Complutum*] Urbs sita ad Caraccam fluvium, cum academia a Francisco Ximenio Cardinali erecta. Madrito finitima est, distatque a Toleto 15. leucis, Secontiam et Cæsaraugustam versus.

45 *Tingis*] Tingi, Tingios, Tangarique urbs Africæ et Mauritaniæ Tingitanæ caput, cum portu capaci in ora freti Herculei, ab Antæo, ut ferunt, condita. Antea suberat Lusitanis, sed a paucis annis concessa fuit Regi Angliæ, a quo fuit permunita; estque in Habata provincia regni Fessæ.

Cassianum] 'Tingi in Mauritania passio sancti Cassiani martyris, qui exceptoris diu gerens officium, tandem cœlitus inspiratus exe duxit, neci Christianorum dese unde renuncians eidem offici Christiana confessione trium meruit obtinere martyrii, Tert nas Decembr. anno Christi 30 Martyrol. Roman.

46 *Massilum*] Pro Massi Massili gens Africana, admod certi situs: ab aliis ponitur Barcæos, ab aliis apud Getul aliis ad occidentem in Numidia secutus est Prudentius.

55 *Revincta oleis*] Quæ paci insignia. Virg. Georg. II. 'I guem pacis nutritor olivam.' sup.

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola, prædives pietate, multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te, decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Dæmonum, et nigras pepulit tenebras
Urbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror;
Pulsa nam pestis populum refugit;
Christus in totis habitat plateis,
Christus ubique est.

redimita, duodeviginti martyres adduces. Tu una tot inter urbes numerosas martyrum cohortes Christo venturo instruxisti; quare una piissima magnum habebis splendorem. Vix populosa Carthago, vix Roma ipsa, orbis Christiani caput, te vincet, quæ decus es Hispaniæ; ac magis frequentem Sanctorum numerum Deo exhibebit. Sanguis martyrum effusus lividos malevolosque dæmones exclusit omnibus ex portis: falsorum Deorum cultus delevit, ab hæresibus purgavit urbem. Jam nullæ larvæ territant cives, jam pulsi dæmones Cæsaraugustanos vitant. Omnibus in plateis Christus adoratur; ubique illius effigies colitur. Crederes hanc urbem tot sancto-

NOTÆ

57 *Sola numerosiores*] Quia Cæsaraugusta, ut notat Isidorus, floret sanctorum martyrum sepulturis. Nobilissimus tamen tumulus is est, qui cineres combustorum martyrum prope innumerabilium continet: quos ab aliis cineribus candore distinctos, atque selectos simulque congestos, massam candidam dictam ferunt. Quod vero spectat 18. martyres, quorum laudes hic cecinit Prudentius, in eodem etiam sepulcro conditi fuere; ac mortem occubuere anno Christi 303. Dioclet. et Maxim. 20. sextodecimo Kalend. Maii; Daciano Hispaniarum præside.

61 *Vix parens orbis Pœni*] Scilicet Carthago Africæ caput. Carthaginenses autem Pœni vocabantur, quasi Phœni, e Phœnicia oriundi.

66 *Sanguis exclusit genus invidorum Dæmonum*] Dæmones, spiritus illi contaminati ac perditi, per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. Sive ergo detineantur inferno, et tantum per tempus aliquod habeant libertatem exeundi tentandique homines; sive reserventur ad diem judicii, et interea degant in medio aëre, quem communi fere consensu Patres coævi putarunt plenum esse dæmonibus sic, ut, si viderentur oculis, ubique occurrerent, certum est dæmones as-

Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris: chorus unde surgens
Tendit in Cœlum niveus togatæ
Nobilitatis.
Inde, VINCENTI, tua palma nata est:
Clerus hic tantum peperit triumphum:
Hic Sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sævus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris:
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

rum patriam, ad hoc conditam esse ut ferret martyres; ex ea enim candidatus surgit martyrum exercitus, atque in cælum ascendit. Hic ortus est Vincentius, hic gloriose triumphavit clerus, omnisque Valerii Episcopi domus. Quoties tyranni in Christianos sæviere, ipsisque terrorem injecere, in Cæsaraugustam Deo deditam iram verterunt maxime: sic ut nulla tempestas sedata fuerit, quin quisquam e nostris civibus cum laude dimicarit, suumque fuderit sanguinem; quare martyrum nume-

Nom.—78 *hinc* F. G. B. Vat. duo; ut et seq. vs.—89 *Peregri* Heinsius,

NOTÆ

pectum et præsentiam martyrum vitare, sacrasque timere reliquias.

75 *Togatæ Nobilitatis*] Vel alludit ad id, quod canit Ecclesia, 'Te martyrum candidatus laudat exercitus:' quasi toga candida induti: vel ad Romanos quos Virg. vocat 'Gentem togatam.'

77 *Vincenti*] Qui Cæsaraugustanus est, et Sagunti martyrium passus; ut infra dicemus.

79 *Domus infulata Valeriorum*] An eo nomine duo fuerint episcopi Cæsaraugustani dubium est. Quorum prior sederit temporibus Daciani, atque obierit quinto Kalend. Februar. eodem tempore quo ipsius diaconus sanctus Vincentius nobili martyrio triumphavit: posterior vero vixerit temporibus Constantini, concilioque Eliberino interfuerit. Quia tamen Ecclesia Cæsaraugustana unum tantum agnoscit Valerium Episcopum, hanc sequor opinionem, licet Prudentius alia esse videatur. Cur dicat 'domus infulata,' omnes norunt, nempe ab infula seu mitra Pontificum.

87 *Martyrum semper numerus sub omni Grandine crevit*] 'Quis enim nescit, quam uberem proventum effudit Ecclesiæ seges, Apostolorum ac ceterorum martyrum sanguine irrigata?

Nonne, VINCENTI, peregri necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcri
Gloriam victor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster, et nostra puer in palæstra,
Arte virtutis fideique olivo

rum auxit quæcumque persecutio. Nonne, o Vincenti, qui altera in regione morti debebas occumbere, hic tenui quidem cruoris tui effusione notasti, quam, dum mors immineret, dolores patereris toleranter. Hunc tui martyrii diem Cæsaraugustani celebrant pari pompa, ac si hæc tellus cadaver accepisset, ac blando sinu ossa complecteretur et cineres: et jure celebrant. Quanquam enim procul hinc martyrii palma donatus in urbe externa, prope scilicet antiquam Saguntum jaceas situsque sis, tamen noster es; et a puero Christiana in militia clarus, unctusque baptismatis



ἀρχαϊκῶς, peregre Delph. et al. *necatus* A.—93 *velud* H. Weitz.—98 *sepulchro* F. B. superscr.—100 *Saginti* Eg.—102 H. vs. et tres seqq. desunt Put.—103

NOTÆ

Quo plus sanguinis effusum est, hoc magis ac magis effloruit multitudo fidelium: hoc latius sparsit suas propagines illa beata vitis, a Christo stirpe surgens.' Ita Cyprianus lib. de duplic. martyr. Ita quoque Tertull. Apologet. c. 48. 'Exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra magis est sectæ. Plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. Christianorum itaque numerus nunquam, ne in ipsa quidem persecutione, minuitur, quia si semen est eorum sanguis, cujusque plus effusum fuerit, eo major promittitur fidelium proventus, sicut messis copiosa amplioris segetis præparatio est.'

100 *Sagunti*] Saguntum, Saguntus, et Saguntos, olim clarissimum Hispaniæ Tarraconensis oppidum, in finibus Hedetanorum, ab Hannibale Carthaginensi eversum; a Zacynthiis, qui cum Hercule in Hispaniam venerunt, conditum fuit: quare 'altam,' nempe antiquam, Saguntum dicit Prudentius. Distat tantum a mari 3. mill. pass. Saguntina fames, (quam ea urbs in obsidione prædicta passa fuit,) est in proverbio de extrema fame.

102 *Olivo*] Alludit et ad palæstritas, qui oleo, priusquam inirent certamen, se perungebant, et ad oleum chrismaque baptismatis.

Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas deciesque palmas,
Laureis doctus patriis eadem
Laude cucurrit.
Hic et, ENCRATI, recubant tuarum
Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi violenta Virgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.
Vivis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis et cæsæ spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,

chrismate didicisti horrendos tyrannos vincere. Noveras duodeviginti martyres olim hic generose finiisse vitam: talibus popularium exemplis animatus eandem laudem quæsivisti. Neque hic evanuit Encratidis memoria, virtutumque quibus fortis hæc virgo crudelem mundum verecundia perculit. Nullus unquam martyrium passus retinuerat vitam, terramque habitarat. Una Encratis morti, nempe martyrio superfuit; ac postea duravit in longum. Ipsi licuit martyrii effari ordinem, revisere carnis cæsæ reliquias, atque quam alta essent vulnera, quam grandia acerbaque narrare. Dirus carnifex latera laniaverat; largus sanguis fluebat omni ex parte;

Vinctus P.—107 *doctas* P.—109 *Encrate* Ro. Weitz. *Encratia* Bodl.—111 *vio-*

NOTÆ

109 *Encrati*] Encratis vel Engratia eodem anno 303. ac eadem die, nempe sexto decimo Kalendas Maii, qua duodeviginti Cæsaraugustani martyres suppliciis affecti sunt, laniato corpore, mamilla abscissa, et jecore avulso adhuc superstes in carcere inclusa est, donec ulceratum corpus putresceret.

111 *Violenta virgo*] Ut alludat ad hæc verba: 'Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.'

117 *Retexis*] Pro enarras: quo usus est vocabulo in Hymn. Martyr. 'Quæ vox, quæ poterit lingua retexere.'

Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Jam minus mortis pretium peractæ est,
Quæ, venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te, Martyr, tamen, ut peremtam,
Pœna coronat.
Vidimus partem jecoris revulsam
Ungulis longe jacuisse pressis :
Mors habet pallens aliquid tuorum,
Te quoque viva.
Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Juge viventis domus ut dicata
Martyris esset.

lacerata erant membra; pectus ipsum patebat, quod mammæ abscissæ fuissent usque ad radicem. Tum obire mortem, quæ omnium intolerabilium dolorum finis est, quæque, dum membra dulci sopit somno, ipsis confestim præstat pacem gignitque, minus martyri fuisset meritum. Nam diu hujusce virginis cruda hiarunt vulnera; diu acerbissimus dolor corpori mansit, atque sanguis corruptus infecit medullas ipsas. Licet ergo tortor illius laudis invidus ferro eam non necaverit, tamen martyrii palmam æque adepta est tormentis, ac si vitam posuisset. Vidimus ipsius jecoris partem ungulis alte immissis avulsam humi jacere; ita ut pallida morte, quanquam adhuc vitam duceret, multæ partes corporis absumerentur. Christus ipse hac singulari laude ornavit Cæsaraugustam, concessitque patriam esse martyris



lata H. superscr.—118 *recentans* A.—120 *narrans* Eg.—125 *peractum* Weitz. fuit et in W. B. sed *peractæ* superscr. *per ictum* F. *est* deest Bodl. Alt.—128 *sopore* W. *supremo* quidam. Utrumque agnoscit P.—129 *longe* H.—131 *tenuat* Weitz.—134 *negaret* Eg. H.—139 *pellens* quidam.—143 *Tumba viventis* F. B.

NOTÆ

127 *Concitam*] Unde Ovid. 'Mors- habet.'
que minus pœnæ, quam mora mortis

Ergo ter senis sacra candidatis,
Dives OPTATO, simul et LUPERCO,
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede SUCCESSUM; cane MARTIALEM;
Mors et URBANI tibi concinatur:
JULIAM cantus resonet, simulque
QUINTILIANUM.
PUBLIUM pandat chorus, et revolvat
Quale FRONTONIS fuerit tropæum:
Quid bonus FELIX tulerit, quid acer
CÆCILIANUS.
Quantus, EVOTI, tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua, PRIMITIVE:
Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus, APODEMI.
Quatuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos SATURNINOS memorat vocatos
Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum

jugiter viventis. Jam ergo, o civitas, quæ duodeviginti martyrum morte illustris es, quæ et Optatum tulisti et Lupercum, perge tot sanctorum tuorum veluti senatorum laudes dicere. Verbis extolle Successum, Martialem lauda, Urbani explica martyrium; personent omnia Juliæ Quintilianique nominibus; chorus Publium celebret, adumbret dicendo clarum Frontonis tropæum, ac quid pius Felix passus fuerit, quid intrepidus Cæcilianus; quam cruenta Evotii fuerit passio, fusius describat; denique cantet spectabiles Apodemi victorias. Quatuor adhuc martyrum nomina, quod ad metrum non quadrent, nobis restant recensenda; eos, ut fama fert, Saturninos nostri patres appellarunt. Verum, qui vult ea nomina martyrum aureis



superscr.—146 *Obtato* P. *et Tæpecco* Amb.—151 *resonat* W.—153 *pangat* F. G.—157 *Euvanti* Weitz. Alt. *Eventi* A. F. *Heuvanti* B. *Euvoti* T. Nom. *Evo-*

NOTÆ

153 *Pandat*] Sequor Heinsium et Weitzium, in quibus *pandat*, licet in aliis *pangat*. Tale enim illud apud Val. Flaccum initio operis, 'versa proles tua pandat Idume, Namque potest, Solymo nigrantem pulvere fratrem.'

163 *Saturninos*] Nempe, ut scribit Usuardi martyrologium, Cassianum, Matutinum, Januarium, Faustumque.

Nominum parvi facit, et loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet Cœli liber, explicandas
Tempore justo.
Octo tunc Sanctos recolet decemque
Angelus, coram Patre Filioque,
Urbis unius regimen tenentes
Jure sepulcri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva post pœnæ specimen puella,
Morsque VINCENTI, cui sanguis hinc est,
Fons et honoris.
Additis CAIO (nec enim silendi)
Teque, CREMENTI: quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.

literis scribenda cantare, is parum curat metri leges: et sane nec peccat nec rudis est poëta, cum sanctos celebrat. Satis artis, elegantiæ satis adhibuit, modo cecinerit quibus characteribus nomina scripta sint in libro, qui aliquando aperietur. Tum Angelus coram Deo Patre ac Christo recolet duodeviginti illos martyres, ac Cæsaraugustam, quod hic condita sunt corpora, eorum in tutela esse ostendet. Quinetiam Encratem, quæ martyrium passa, non obiit, Vincentiumque cujus hæc civitas et patria est et virtutis schola, decem et octo martyribus adjiciet. Nec omittet Caium ac Crementium, de quibus non loqui haud fas est. Ambo incruento certamine parem aliis martyrii palmam



uti Put. *Exnoti* Amb.—159 *Cum* Vulg.—169 *adnotator* Eg.—171 *explicandos* Eg. H. *explicandas* Bodl. Vat. duo.—179 *Tuque Vincenti* Put. Bodl. pro div.

NOTÆ

174 *Angelus*] Cum nationibus populisque omnibus præsint Angeli; tum multo magis ecclesiis, ac cœtibus religionis jure sociatis; ac locis iis, in quibus Christiana sacra celebrantur. Quin etiam Patres volunt et oratoriis sacrisque locis custodes eosdem appositos esse, et incruenti sacrificii tempore Christianis assistere, eorumque preces ac vota Deo repræsentare, ac vicissim divinam ad eos gratiam ac beneficentiam reportare. Quare non mirum est quod Prudentius asserat Angelum Cæsaraugustæ opem laturum.

181 *Caio*] 'Caius et Crementius secundo confessi, et in fide perseverantes, martyrii calicem gustaverunt 16. Kalend. Maii, anno Christi 303.' Ita Martyrol. Roman.

Ambo confessi Dominum steterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.
Hæc, sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis: deinde
Mox resurgentes animas et artus
Tota sequeris.

adepti sunt. Uterque generose coram ipsis tyrannis confessus est Christum, atque citra sanguinem martyrio donatus est. Hæc turba, quam Cæsaraugusta martyrum genitrix servat, sese provolvit ad Dei genua, ut peccatorum nostrorum veniam impetret. Eia agite, vim lacrymarum profundamus ad illorum sepulcra quibus superadditum est epitaphium, quibus sacros cineres, totam spem nostram intulimus, ut tandem peccatorum rumpamus vincula. Denique, o sancti cives, vos humi prosternite, colite tumulos martyrum, ut eos, cum sua recipient corpora, sequamini.

scriptura.—181 *Aditus* Eg. H. vs. et septem seqq. desunt Put. *Gefo* Weitz. *Gegio* A.—187 *leniter* A.—190 *precantur* Amb.—193 *Hos* P.—195 *absolvat* P. Amb.

NOTÆ

185 *Ambo confessi*] Alludit ad Confessoris elogium, quo vetus Ecclesia eos tantum insigniebat, qui ob testimonium Christi publicitus datum, pœna, non tamen morte erant affecti. Unde Hier. de Hilario: 'Hilarius meorum Confessor temporum, et Episcopus, duodecim Quintiliani libros et stylo imitatus est, et numero.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Quod in Hymno SS. Emeterii et Celidonii eorundem Actis contigisse queritur Prudentius, ut scilicet tyrannorum malitia disperdita fuerint, id et de beatissimi hujusce Martyris Actis dicendum est, ut diserte observat Auctor antiquus, qui statim post redditam Ecclesiæ pacem hæc ipsa S. Vincentii Acta, quæ modo habemus, concinnavit, atque evulgavit; quæque ita omnibus placuerunt, ut non solum quod observavit Ruinartius, paulo post in Ecclesia lecta publice fuerint, verum etiam ex hoc ipso fonte Prudentium omnia pæne quæ profert hausisse, ex collatione nullus dubitandi locus relinquatur. Passus est Vincentius an. 304. sub Daciano Hispaniæ Præside, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano Herculeo; ac tam brevi temporis intervallo ejus fama totum orbem Christianum adeo pervasit, ut testetur S. Augustinus Serm. 276. qui unus est ex quinque quos de eo habuit, jam suo tempore hujus B. Martyris festum ubique terrarum celebratum fuisse. Hinc mirum non est quod ipsius memoria tam in Græcorum Menologiis, quam in Martyrologiis Latinorum celebretur, die scilicet 22. mensis Januarii, ac ab aliis quoque Sanctis Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis certatim laudetur, quos vide apud Ruinartium, qui recenset etiam multas et illustres Ecclesias ab antiquis temporibus in Gallia sub Vincentii hujus nomine Deo consecratas.

V. PASSIO S. VINCENTII MARTYRIS.

Invictam ac prorsus mirabilem inter varia tormentorum genera hujus Martyris constantiam ac gloriosum exitum celebrat; deinde narrat quæ tyrannus egerit, ut extinctum Martyris corpus disperderet, et quomodo divinitus servatum fuerit.

Beate Martyr, prospera
Diem triumphalem tuum,

O Beate Martyr Vincenti, te precor ut prosperes diem hunc tuum triumphalem,

NOTÆ

1 *Prospera*] Liv. 6. ab Urbe: 'Dii Manes vos precor, veneror, veniam peto, feroque uti pop. Rom. Quiritium vim, victoriamque prosperetis.'

Quo sanguinis merces tibi
Corona, VINCENTI, datur.
Hic te ex tenebris sæculi,
Tortore victo et judice,
Evexit ad cœlum dies,
Christoque ovantem reddidit.
Nunc Angelorum particeps,
Collucis insigni stola,

in quo Christus te coronat, meritamque tribuit mortis mercedem ; ac de t de ipso judice triumphans ex hac misera vita migrasti in cœlum, Christiq spectum lætus venisti. Jam Angelorum gloriæ particeps insigni colluces i

10 *Conluces insigni* A. Vat. plerique. *Conlucis* Put. Heins. *Luce*

NOTÆ

3 *Sanguinis merces tibi Corona datur*] Nam, ut ait August. de arbore scientiæ boni et mali : 'Quis unquam præmium non pugnanti dat? Aut quæ corona non dimicanti? Aut quæ sine conflictu victoria? Audi Apostolum divino ore loquentem : Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit.'

4 *Vincenti*] Vincentius Cæsaraugustanus Sagunti martyrium passus est : ne enim ulla reliqua esset martyribus Cæsaraugustanis consolatio, quam percepissent vel hortatu illius vel exemplo, Dacianus inde abducendos curavit Valerium civitatis episcopum, Vincentiumque ipsius diaconum. Ibi carcerem, famem, equuleum, distorsiones membrorum, laminas, cratem ferream ignitam, mortemque ipsam toleravit: undec. Kalendas Febr. anno Christi 303. Dioclet. et Max. impp. 20. Baronius quidem aliique Valentiæ mortem obiisse martyrem affirmant, quod nullam patitur difficultatem, siquidem Saguntum tantum 3. mill. pass. a Valentia distat, ubi Valentius missus fuit in carcerem.

10 *Collucis*] Ita enim optime codex Puteaneus. Quia vero *colluces*, quod in ceteris extat constanter exemplaribus, non potest ferri eo dacter nimis refinxerunt, *h signi stola*. Sed cum amet P verbis tertiæ conjugationis est ut controversiam isti moveamus. Et sane inf. vs. torque, si potes, fidem.' vs. frendit, et corpus sacrum,' mart. vs. 626. 'Sanctum percense volumen :' ubi ex frendere, percensere, sunt t jugationis.

Stola] Apud veteres pro dumento sumebatur, præci pro honestæ mulieris veste imos pedes demissa, unde erat insigne castitatis. Q tasse orarium vocamus stol dotalem ; cum enim diaconi tesque ordinantur, ut nota pra, ipsis dat episcopus stol insigne castitatis, quam se nes Deo pollicentur. Cu bertus et Chlotarius in E irruperunt, cujus maxima eos acquisisse scribit Gre obsidione Cæsaraugustam t a qua se, data Childebert Vincentii stola, oppidani re Hujus in honorem martyr suburbanam basilicam ædific

Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras :
  Cum te satelles idoli,
Præcinctus atris legibus,
Litare Divis gentium
Ferro et catenis cogeret :
  Ac verba primum mollia
Suadendo blande effuderat ;
Captator ut vitulum lupus
Rapturus alludit prius.
  Rex, inquit, orbis maximus,
Qui sceptra gestat Romula,
Servire sanxit omnia
Priscis Deorum cultibus.
  Vos, Nazareni, assistite,
Rudemque ritum spernite :
Hæc saxa, quæ princeps colit,

tota tuo generoso sanguine, invicte martyr, tincta fuit ; cum dæmonis minister duras leges imposuit, ac vi tormentorum catenisque conatus est adigere te ad immolandum idolis. Is ante remisse leniterque egerat, ut captiosis verbis quæcumque Christianis facilius suaderet ; luporum more, qui mille nugis tenent vitulum, antequam illum devorent. Rex, inquit, regum potentissimus, Romanorum imperator jubet omnes homines antiquum cultum Deorum suscipere. Quare, o Christiani, huc accurrite ; falsam fidem vestram ejurate : placate thure atque victimis idola, quæ princeps ipse co-

quædam.—15 *gentibus* T.—22 *gestit* Weitz. H. W. superscr. *publica* Put. Bodl. pro div. scriptura.—25 *Nazoreni* Put.—27 *Hæc sacra* G. contra Mss.—

NOTÆ

hodie sancti Germani dicitur.

13 *Satelles idoli*] Dacianus scilicet Hispaniarum præses, quem vocat dæmonis ministrum.

18 *Suadendo blande effuderat*] 'Sermo eorum sicut cancer serpit : colloquium velut contagium transilit : noxia et venenata persuasio persecutione ipsa pejus inficit.' Cyprian. Serm. 6.

21 *Rex*] Nempe Diocletianus de quo sup.

22 *Sceptra Romula*] Eodem sensu Virg. Æn. vi. 'Nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumno.' A Romulo urbis conditore.

25 *Nazareni*] Christiani ita dicti, quod Christus vocatus fuerit Nazarenus a Nazareth viculo, in quo nutritus fuit.

27 *Quæ princeps colit*] Omnes enim, ut ait ingeniose Lipsius, ut solem spectant Principem, et ab eo quasi colorantur. Unde Lactant. vi. 6. 'Et quoniam mores ac vitam Regis imitari genus obsequii judicatur ; abjecerunt omnem pietatem, ne exprobrare Regi scelus viderentur, si pie

Placate fumo et victima.
Exclamat hic VINCENTIUS,
Levita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis:
Tibi ista præsint numina,
Tu saxa, tu lignum colas:
Tu mortuorum mortuus
Fias Deorum pontifex.
Nos lucis auctorem Patrem,
Ejusque Christum Filium,
Qui solus ac verus Deus,
Daciane, confitebimur.

lit. Vix ea: Vincentius, qui se totum Deo devoverat, quique sacrorum minister erat, ac unus e septem diaconis, exclamat: Tibi licet, o Daciane, et saxa et lignum adorare, licet hæc invocare numina, atque Diis mortuis sacrificare; siquidem tu ipse jam gratiæ mortuus es. Nos vero confitebimur, colemusque Patrem Deum, mundi Creatorem, Christumque ipsius filium, qui una sunt unus Deus ac verus. Tum his per-

NOTÆ

viverent. Sic assidua imitatione corrupti divinum fas reliquerunt.' Quo spectat quod Plinius protulit Paneg. Trajano dict. 'Flexibiles quamcumque in partem ducimur a Principe: atque, ut ita dicam, sequaces sumus.'

30 *Levita*] Ita Sacerdotes vocantur, quod, cum filii Jacob in diversas tribus partiti fuissent, Levi tribus ad Sacerdotium evecta fuit.

32 *Septem e columnis*] Non solum respicit Poëta ad septem Diaconos, de quibus fit mentio Act. Apost. cap. VI. 'Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto:' verum etiam ad ea, quæ ætate sua adhuc servabantur. Hunc enim Diaconorum numerum non licebat excedere, ut constat ex Neocæsariensis Concilii Can. 15. C. Diaconi septem. Et Cornelius Papa scribit ad Fabium Antiochenum, septem esse Diaconos. Denique in Concilio Romano sub Sylvestro I. Diaconi in Urbe Cardinales septem numerantur. Ignatius autem epist. ad Trallianos tradit officium Diaconorum in eo fuisse, ut Episcopo, et sacerdotibus sacrificantibus, et sacramenta divina ministrantibus submininistrarent. Quin etiam vivificum Christi sanguinem communicantibus præbebant, aliisque quam sacerdotibus divinum quoque Eucharistiæ sacrosanctæ panem. Unde Diaconi Eucharistiam ad fideles absentes deferebant. Quæ omnia facile colliguntur ex Nicæn. Concil. Canon. 14. ex SS. Justin. Cyprian. Ambros.

Columnis lacteis] Diaconos etiam vocat columnas lacteas; columnarum enim vices gerebant primis temporibus, totumque ecclesiæ templum sustinebant. Lacteæ autem dicuntur ob insignem illorum castitatem.

40 *Daciane*] Is, ut notat Baronius, Diocl. et Maxim. impp. Hispaniis

Hic ille jam commotior,
Audesne, non felix, ait,
Jus hoc Deorum et principum
Violare verbis asperis?
Jus et sacratum et publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te juventæ fervidæ
Instans periclum permovet?
Hoc namque decretum cape:
Aut ara thure et cespite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.
Respondit ille altrinsecus:
Age ergo, quicquid virium,
Quicquid potestatis tibi est,
Palam reluctor, exere.
Vox nostra quæ sit, accipe:
Est Christus et Pater Deus:
Servi hujus et testes sumus:
Extorque, si potes, fidem.

turbatus præfectus: Quid? audes, hominum miserrime, tam petulantibus verbis, jus et Deorum et principum imminuere? Jus illud sacratum, jus publicum, quod cuncti mortales venerantur: nec tibi fervido juveni mors imminens movet? Nunc elige utrum velis Deos nostros exorare, iis tribuere honores thuris, ac ponere altaria, an vero omnium vim tormentorum perferre. Ex altera parte respondet martyr: Quid dubitas? Tuas jam omnes vires collige, tuam ostende potestatem, nam palam leges tuas perfringo. Audi: en fidei meæ summa ac caput. Confiteor Christum ipsiusque patrem unum esse Deum; id mihi magnæ laudi est hujus servum esse ac ob eum fundere sanguinem. Jam fac, ut fidem meam ejurem. Quasi vero Christia-

47 *jubente fervide* A. F. *juventa fervide* P.—51 *Placanda* C. contra Mss.—

NOTÆ

præsidebat, dum Rictiovarus Galliarum præses erat. Uterque tam crudelis inhumanusque, ut ambo crudelitate visi fuerint simul certasse.

50 *Cespite*] Cespes pro ara erat, et aræ imponebatur, reique divinæ necessarius habebatur. Veteres quoque interdum cespitias exstruebant aras, cum altare deerat. Horat. 'Hic vivum mihi cespitem, et Verbenas, pueri, ponite, thuraque.'

53 *Altrinsecus*] Ex altera parte; quo adverbio usus est Plautus in Mil. 'Quid illic astas? Quin retines altrinsecus?'

60 *Extorque, si potes, fidem*] Arnob.

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors Christianis ludus est.
O vestra inanis vanitas,
Scitumque brutum Cæsaris?
Condigna vestris sensibus
Coli jubetis numina:
Excisa fabrili manu,
Cavis recocta et follibus,
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumtuosa splendido
Delubra crescunt marmore:
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.
At sunt et illic spiritus.
Sunt; sed magistri criminum,
Vestræ et salutis aucupes,
Vagi, impotentes, sordidi:

ni læte non paterentur tormenta, carceres, ungulas, ardentes laminas, mortem ipsam, quæ suppliciorum maximum est. O quam inanis est spes vestra, quam iniquum Cæsaris decretum: siquidem vultis ut adoremus Deos cæcitati vestræ congruentes, scilicet Deos arte excisos, conflatos ex ære fusili, mutos, non gradientes, immobiles, cæcos, ac denique elingues. Quibus tamen candenti de marmore sublimia templa ponitis, atque mugientes tauros immolatis. Ibi quidem adsunt spiritus; sed vagi sunt dæmones, impuri, impotentes, suasores peccatorum, vestræque saluti insidian-

52 *tuenda* A. *est* deest H. Ro.—63 *Quæque ipsa* Put. *Aut ipsa* T.—77 *Adsunt* Weitz. et al.—79 *auspices* A. F. Eg. H. superscr. et *capaces* inf.—87 *jamjam*

NOTÆ

lib. II. adv. Gent. jure hanc agendi rationem ipsis objicit: 'Quid tam injustum, quam repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, et quod refugiant animis?'

77 *Spiritus*] Ex iis, quæ de dæmonibus scripsit Prudentius, facile colligitur eos meros esse spiritus, ac corporis expertes existimasse. Constare tamen possent corporibus æthereis ac subtilibus, quæ nihil, quo minus spiritus appellarentur, prohiberent.

79 *Vestræ et salutis aucupes*] Dæmones vero non uno tentationis genere nos oppugnant, neque semel, sed iterum, ac sæpius, et ad extremum spiritum lacessunt.

Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare justos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt et ipsi ac sentiunt
Pollere Christum et vivere,
Ejusque jamjamque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi e latebris viscerum,
Virtute Christi et nomine:
Divique et idem dæmones.
His intonantem Martyrem
Judex profanus non tulit.
Conclamat: os obtrudite,
Ne plura jactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimque lictores date,
Illos reorum carnibus
Pastos, manuque exercitos.
Jam faxo, jus prætorium

tes. Et sane nonne vos suggestibus allectos ad dandos morti probos homines, ad Christianos vexandos, ad omne scelus inducunt? Et norunt et sentiunt Christum vivere, omnemque habere potestatem; norunt ipsius regnum, sceleratis timendum, venturum brevi. Ii denique Angeli et diaboli simul, cum Christi virtute victi ac nomine exeunt e corpore dæmoniacorum, fatentur Christum Deum esse. Dacianus non tulit diutius ea loquentem Vincentium. Jubet ita illi os comprimi, ut nullum ex ore verbum exeat: Hanc linguam, inquit, improbam retundite, illum tradite carnificibus, qui jam virgis laceraverint Christianos, quique lacertosi sint. Faciam ut



Ro. *jammox* F.—90 *ex latebris* H. *corporum* quidam.—92 *iidem* A. F.—95 *obstrudite* Weitz. W.—99 *Illos reorum Plutones Pastos resectis carnibus* Put.

NOTÆ

89 *Clamant*] Alludit ad id Evang. 'Jesu Christe, fili David, quid venisti ante tempus torquere nos? scimus qui sis.'

92 *Divique et idem dæmones*] Cur Divos vocet clarum est: Dæmones creati sunt in statu, in quo nihil ipsis deerat de bonis naturalibus, et consequenter in beatitudine naturali, unde quoad esse physicum, ut loquuntur theologi, omnino sunt Angelis æquales. Sed de iis fusius in Hamart.

101 *Jus prætorium*] Quia Dacianus prætor erat, jurique dicendo præfectus.

Conviciator sentiat,
Ne impune, ne nostris sibi
Dis destruendis luserit,
Tibi ergo soli, contumax,
Tarpeia calcentur sacra?
Tu porro solus obteras
Romam, Senatum, Cæsarem?
Vinctum retortis brachiis
Sursum ac deorsum extendite,
Compago donec ossuum
Divulsa membratim crepet.
Posthinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,

quod possit prætor, intelligat is obtrectator, ne impune nostros Deos illudat, quos brevi sperat destructum iri. An igitur is unus contumax sacra calcabit Tarpeia, unusne Romanos ritus, senatus decreta, edicta principis contemnet? Non ita. Sed brachiis tergo retortis sursum ac deorsum vinctum extendite in eculeum, donec luxata omnia membra crepent undique. Deinde hamis aduncis costarum pellem de-



Eg. Weitz. W. in marg.—103 *Impune ne nostris* Weitz.—107 *Tu modo* Eg. H. —111 *ossium* Delph. et al.—113 *bisulcis* Bodl. *hiulcis* Weitz. Delph. et al.—

NOTÆ

105 *Tarpeia*] Scilicet sacra quæ coluntur in Capitolio. Mons enim Capitolinus Tarpeius dictus fuit primis urbis temporibus, quod in bello Sabino Tarpeia Tarpeii, qui arci præsidebat, filia, Sabinorum ornamentis, quæ in sinistris gestabant, capta, hostibus prodidit arcem, qui in eam scuta conjecerunt, quo et fidem datam servarent et proditricem ulciscerentur. Deinde vero Capitolinus ab humano capite ibidem invento, cum templi, quod Jovi ponebat, fundamenta Tarquinius Priscus jaceret. Ibi magnus honos habitus deinceps Capitolino Jovi. Nec non huc solebant curru deduci triumphantes, ut lauream suam in Jovis gremio deponerent. Unde rupes illa sacra dicitur a Romanis. De Roma supra.

110 *Sursum ac deorsum extendite*] Extendite scilicet in eculeum, qui, ut patet ex Hieron. Euseb. Sigonio, Isidor. Cyprian. erectus est stipes, validus, et cochleatus, qui transversum habet lignum, quod intenditur ac remittitur, ad quod ligata membra distenduntur tortoris arbitrio. Nonius: 'Ubi insilui in cochleatum eculeum, ibi tolutim tortor.'

113 *Hiulcis ictibus*] *Bisulcis ictibus* in Oxonio. Nam de ungulis intelligendum docent sequentia, quas et hymno primo 'bisulcas' dixit. Infra hoc ipso hymno 'ungularum ictus duplices' habemus. Et denuo 'bisulcas ungulas' hymno Romani 78.

Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.
Ac jam omne robur fortium
Eviscerando cesserat,
Nisusque anhelus solverat
Fessos lacertorum toros.
Ast ille, tanto lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te, Christe, præsentem videns.
Quis vultus iste, pro pudor?
Dacianus aiebat furens:
Gaudet, renidet, provocat,
Tortore tortus acrior.

trahite, ita ut alti vulnerum sulci jecur palpitans patefaciant. Martyr vero tyranno insultabat, atque increpabat ignaviam tortorum, qui non altius ungulas in corpore defigerent. Jam satellitum vires fractæ erant atque deficiebant; adeo vehementi ardore ferierant Vincentium, ut ipsorum languentes lacerti penderent. Diaconus abundabat lætitia; quodque te, o Christe, præsentem cerneret, hilarem gerebat vultum minimeque tristem. Furibundus autem Dacianus in hæc verba erumpit: Quid hoc rei est? Num pudet nos? Is ridet, splendescit, nos provocat ad pugnam; necnon, licet laceretur, ipsis carnificibus acrior est. Nihil hi lictores in



115 *per latebras* Put. Bodl.—127 *inluminat* F. W. superscr. G.—131 *renitet* H.

NOTÆ

115 *Lacunas vulnerum*] Licet lacuna proprie significet fossam, in qua collecta aqua stare consuevit; tamen, teste Varr. II. 7. de R. R. accipi etiam potest pro quacunque fossula. ‘His majores,’ inquit, ‘qui sunt, intelligi negant posse, præterquam cum dentes sunt facti brochi, et supercilia cava, et sub ea lacunæ ex observatu dicunt eum equum habere annos sexdecim.’ De Toris sup.

126 *Nubilo*] Translate nubilum seu nubes pro tristitia ponitur, et severitate immoderata, quæ contracto ac sublato supercilio significatur. Quod etiam Græci τὸ τῶν ὀφρύων νέφος appellant. Pari quoque ratione, ‘Serena frons’ pro læta fronte.

127 *Frontem serenam luminat*] Fabricius cum Giselino et Weitzio constanter habet, *Frontem serenam illuminat*, sed male. Hymno enim Eulaliæ: ‘Hic ubi marmore perspicuo Atria luminat alma nitor,’ ubi ‘luminat,’ pro illuminat ponitur.

Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars et dolorum vincitur.
Sed vos, alumni carceris,
Par semper invictum mihi,
Cohibete paulum dexteras,
Respiret ut lassus vigor.
Præsicca rursus ulcera,
Dum se cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis,
Manus resulcans diruet.
His contra Levites refert:
Si jam tuorum perspicis
Languere virtutem canum,
Age ipse, major carnifex.
Ostende, quo pacto queant
Imos recessus scindere,
Manus et ipse intersere,
Rivosque ferventes bibe.
Erras, cruente, si meam
Te rere pœnam sumere,

laniandis Christianis tam sæpe exerciti, adversus hunc hominem poterunt, qui quæcumque illudet supplicia. Vos ergo carnifices, vos lictores æque, atque ego, semper invicti, paululum a tormentis cessate, ut vigor, qui nunc deficit, fiat firmior. Tum rursus manus vestra obductas, quod sanguis concrescet frigore, cicatrices refricabit, atque illum ita obruetis. Vincentius his verbis tyrannum affatur. Tu ipse percute, cum tuorum lictorum vires fractas esse perspicias; ipsis es crudelior; exemplum præbe, atque discant a te mea ferro solvere viscera; accinge te operi; meum sanguinem ebibe. Falleris, o prætor, si putas a me pœnam repetere; cum laceras ac

—138 *Invicta pars semper mihi* W. in marg. *invictam* F.—144 *diluet* Nom.—146 *Suam* Weitz. et al. *Satis'* C. ex conj.—153 *si novam* H.—154 *vitam su-*

NOTÆ

137 *Alumni carceris*] Aut lictores, aut carnifices, aut ipsosmet custodes carceris alloquitur; qui quotquot sunt, veluti carceris sunt alumni, siquidem sanguine martyrum saginantur.

138 *Par semper*] Optime notat Giselinus, in excusis mendose legi, *Pars semper invictam mihi*.

153 *Si meam*] Pro de me: durum sane, et plane insolens: id tamen omnes ad unum habent.

Cum membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
  Est alter, est intrinsecus,
Violare quem nullus potest:
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
  Hoc, quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile,
Quocumque frangendum modo.
  Quin immo nunc enitere
Illum secare ac plectere,
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat, tyranne, insaniam.
  Hunc, hunc lacesse; hunc discute
Invictum, inexsuprabilem,

morti das corpus, quod brevi per partes naturæ legibus dissolvetur. Animus, qui ex natura sua liber est, quietus, integer, dolorum, qui creant tristitiam, expers includitur in corporis compagibus. Corpus vero, quod tantis viribus, tamque impotenti furore oppugnas, vas est fictile, solutile, ac periturum. Enitere igitur torquere premereque animum, qui intus versatur; is enim, tyranne, minas tuas negligit. Hunc crucia, hunc affige, invictum reperies, atque intrepidum, nullis paventem sup-

mere W. superscr.—157 *Est alter homo intrinsecus* A. *Homo alter est intrinsecus* F.—169 *Hunc lacesse* A. W.—170 *insuperabilem* Weitz. *et insuperabilem* F.

NOTÆ

156 *Dilancinata*] Formavit illud participium a verbo lancino, quo usi sunt et Plinius et Catullus. Is quidem in Cæsarem, 'Paterna prima lancinata sunt bona, Secunda præda Pontica.' Ille autem XVII. 34. 'Est et volucre canibus peculiare suum malum, aures maxime lancinans.'

157 *Est alter, est intrinsecus*] 2 Cor. IV. 'Is tamen, qui intus est, renovatur de die in diem.'

163 *Vas est solutum*] 'Scientes,' inquit Apostolus, 'unusquisque suum vas possidere.'

170 *Invictum inexsuprabilem* [*et insuperabilem*] Quamplurimi sine conjunctione, *et*, legebant hunc versum; sed aperte erraruut, siquidem claudicabat versus. Quod cum agnoscerent et alii scripsere *inexpugnabilem*, *inexsuperabilem*, denique Nicol. Heinsius *inexsuprabilem*. Quanquam diversæ hæ lectiones admitti queant, tamen conjunctio illa, *et*, nec dura videtur nec barbara; immo Latina magis quam illud Heinsii *inexsuprabile*. Licet enim Prudentius amarit literarum contractiones, nullas addere debemus iis, quibus usus est.

Nullis procellis subditum,
Solique subjectum Deo.
Hæc fatur, et stridentibus
Laniatur uncis denuo.
Cui prætor ore subdolo
Anguina verba exsibilat:
Si tanta callum pectoris
Prædurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librosque opertos detege,
Quo secta pravum seminans
Justis cremetur ignibus.

pliciis, uni Deo parentem. Vix ea; denuo ferreis harpagonibus martyrem dissecant carnifices: dum prætor simulatis verbis venenatisque ipsum hortatur, saltem sacra Biblia, aliosque libros, qui abditis in locis asservantur, quamprimum tradere, ut, quod tam pravam religionem disseminat, id debitos in ignes conjiciatur. Tanta

Delph. *inexsuperabilem* T. Torrent. tres. *inexpugnabilem* quidam.—178 *tridea-*

NOTÆ

174 *Uncis*] Uncus, fustis erat ab uno latere incurvus ac sese retorquens; quo instrumento puniebantur damnati. Cic. pro C. Rabirio: 'Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore nostri honores non vindicabunt.' Plinius putat dici a verbo Græco ὀγκοῦσθαι, intumescere, unde ὄγκινον, quod ubi incurvatur, quodammodo intumescere atque extuberare videatur.

177 *Callum*] Ita Cic. 'Quorum animis diuturna cogitatio callum vetustatis obduxerat.' Metaphora petita a cute illa quæ pedibus labore viæ, aut alio opere, in manibus, parteve alia corporis densior facta vocatur callus.

179 *Pulvinar*] Lectus qui in templis æterni consuevit numini dicatus; aliquando pro templis ac pro ipsis sacrificiis ponitur. Cic. Cat. 3. 'Quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est.' Hor. Od. I. 37. 'Ornare pulvinar Deorum.' Solebant enim Romani vel devictis hostibus, vel quovis alio modo Republica bene gesta, ad omnia pulvinaria Deorum supplicationem decernere. Habebant autem singuli Dii suos lectos et pulvinos, quibus imponebantur. Quam superstitionem Romanorum insectatur Arnob. lib. VII. adv. Gent. his verbis: 'Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: habent enim Dii lectos; atque, ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio.'

His Martyr auditis, ait:
Quem tu, maligne, mysticis
Minitaris ignem literis;
Flagrabis ipse hoc justius.
Romphæa nam cœlestium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorrheorum criminum:
Sodomita nec latet cinis,
Testis perennis funeris.
Exemplar hoc, serpens, tuum est:
Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen et mixtum pice,

enim erat Vincentii constantia, ut patientiam nihil posset frangere, atque illum impellere ad manu tantum tangenda altaria. Sed hæc audiens diaconus; tu ipse, inquit, perdite, concremaberis igni, quem sanctis libris minitas. Deus enim bibliorum ultor linguam tuam hujusce blasphemiæ ream suo fulmine aduret. Gomorrhæ deflagratio criminum vindicem Deum fuisse te edocet; Sodomæ cinis haud latet, aspice, divinæ iræ testis est perennis. Tyranne, his similis es, mox etiam in Inferis



tibus Eg.—187 *Minaris* Weitz. W.—188 *Romfea* H. *Rhomphæa* A.—195 *So-*

NOTÆ

189 *Romphæa*] Cur ita ensis vocetur, dixi superius. Ni fallor hoc loco alludit poëta ad gladium utraque parte acutum, quem de ore Dei exeuntem vidisse testatur Joannes in Apocal. cap. I. de Gomor. et de Sodom. inf.-

196 *Testis perennis funeris*] Memini etiam me legere apud Tertullian. Apolog. c. 40. arbores, quæ illic supersunt, spectantium quidem oculis poma promittere, sed ea poma carpentium digitis contacta solvi in cineres: 'Cum regiones ad fines ejus Sodoma et Gomorra igneus imber excussit. Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum, poma conantur oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt.'

198 *Sulphuris*] Sulphur in terræ generibus ponitur a Plinio: ejus genera quatuor sunt; inter quæ vivum, quod Græci ἄπυρον vocant, nascitur solidum. Eo solo ex omnibus generibus medici utuntur.

199 *Bitumen*] Limus est, cujus natura vicina sulphuri. Sudat autem illud Asphaltites lacus Judeæ; ut dicam in Psychom.

Pice] Pix, teste Ruell. nihil aliud est, quam fluxus combustæ in tæda sua resinæ, de pinu fere omnis. Hæc omnia tam insuavem tetrumque odorem expirant, tam crassum ejectant

Imo implicabunt Tartaro.
His persecutor saucius
Pallet, rubescit, æstuat,
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,
Decernit extrema omnium:
Igni, grabato, et laminis
Exerceatur quæstio.
Hæc ille se se ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsosque pernix gaudio
Pœnæ ministros prævenit.
Ventum ad palæstram gloriæ;

et sulphuris fuliginem et bitumen pice mistum patieris. Ducianus tanta exprobratione percitus, pallet, rubescit, æstuat, torve aspectat, spumas agit in ora. Deinde, diu quid ageret secum reputans, statuit acerbissimam omnium in quæstionem dare Vincentium; atque igne, laminis, eculeo torquere. Tum martyr ultro ac celeriter sese dat in tormenta, gaudioque exultans ipsosmet carnifices prævenit. Venerant

domæ W.—197 *semper* Eg. P. H. superscr.—198 *sulphoris* A.—206 *Discernit* P.—207 *Igni ut grabato* Bodl. *Ignis grabato* F. *Ligno, grabato* Ro. *grabatto et lumminis* Weitz. Eg. H. W. Gif. Ind. Luc. p. 450.—212 *pœne*

NOTÆ

vaporem, tam nigrum, ut merito ad adumbranda inferorum supplicia iis utamur. De Tartaro sup.

202 *Pallet, rubescit, æstuat*] Omnia iræ signa, quæ revocant in mentem illud Ovid. 'Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ: Lumina Gorgoneo sævius angue micant.'

203 *Insana torquens lumina*] Cassiodorus enim eleganter lib. VI. 'Iracundus luminum fervore declaratur.'

207 *Grabato*] Machina in qua cruciabantur rei, ac distendebantur, sic dicta a lecto exiguo in quo antiqui solebant meridiari.

Laminis] Laminæ, quarum mentio apud Cicer. 7. Verrin. 'Quid, cum ignes, candentesque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur.' Ferreæ velut crustæ erant, quæ candefactæ admovebantur noxiorum corpori.

213 *Palæstram*] Quanquam palæstra luctatorum propria videatur, tamen etiam pro Gymnasio ponitur, et admittit cursores, pugiles, jaculatores. Quin etiam palæstra locus erat in quo disputabant antiqui. Vitruv. v. 11. 'Constituuntur, inquit, in tribus porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.' Ut ut est, potest et dici de martyribus, qui sane descendunt in campum, ut virtute ac patientia paganorum errores refutent.

Spes certat et crudelitas:
Luctamen anceps conserunt
Hinc Martyr, illinc carnifex.
  Serrata lectum regula
Dente frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum.
  Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito:
Ceu jam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.
  Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctisque fervens stridulis
Sparsim per artus figitur.
  Arvina posthinc igneum

certaminis in locum. Ibi spes crudelitasque inter se confligunt; et martyr cum tortoribus grande init certamen. Craticula quamplurimis dentibus repleta instar lecti extenditur, magnaque subjicitur candentium carbonum copia. Impavidus diaconus sponte craticulæ corpus imponit; crederes illum jam victoriæ præscium sublime quoddam solium conscendere. Ipsius corpus aspergitur sale, quod excussum subter crepitat scintillatque; quinetiam micæ quædam salis accensæ quasi aculeis pungunt membra cum stridore ac penetrant. Ignita denique cauteria alte defigun-

W.—218 *infrequenti* Weitz.—226 *excussus cinis* G. et Ed. Amst. 1631.—228 *frigitur* C. contra Mss.—230 *chauterem* W.—232 *Immersa* W. su-

NOTÆ

218 *Dente frequenti*] Absque præpositione, *in*, esse legendum putavi; quod *infrequenti*, seu una sit dictio, ut vult Ant. Nebriss. seu cum Giselino distinguamus, illa lectio erit barbara. *Infrequens* enim negat, quod dicit *frequens*. Adde quod metri causa, *in*, nullq modo requiratur. Quis enim ignorat ab optimis poëtis ultimam syllabam, quæ deberet corripi, semper produci, statim atque dictio, quæ sequitur, incipit per duas consonantes aut literam duplicem. Virg. 'Date tela, scandite muros.' Fateor id de liquidis non æque ac de aliis literis intelligendum esse. De Rogo sup.

226 *Excussus salis*] Male, ni fallor, Giselinus *excussus cinis* hoc loco reposuit. De sale loquitur poëta vivis istis carbonibus excusso, qui Vincentium torrebant. Mallem ego non quidem, *excussus salis*, in nominativo, ut vult Nebriss. legere, a nullo enim *salis* in nominativo dictum fuisse reperies; sed *excussum sale*, quo nominativo usus est Ennius lib. IV. Ann. 'Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum.' De Arvin. sup.

Impressa cauterem lavit:
Vis unde roris fumidi
In membra sensim liquitur.
  Hæc inter immotus manet,
Tamquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina;
Nam vincla palmas presserant.
  Sublatus inde fortior
Lugubre in antrum truditur,
Ne liber usus luminis
Animaret altum spiritum.
  Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
  Æterna nox illic latet
Expers diurni sideris:

tur in pinguitudine, quæ liquata per artus guttatim excidit. Dum hæc Vincentius suffert, immotus manet tanquam dolore solutus, atque oculos in cœlum tendit; nam manus arcebant vincula. Tandem e rogo exit ac ducitur nigrum in carcerem: ne, lucem libere aspiciendo, novos sumat animos. Est locus in carcere alios inter tenebrosus, quem saxa testudinis subterraneæ coarctant; illic nox est perpetua, nec unquam



perscr.—238 *Lugubræ* Eg. *traditur* Eg. P.—247 *horrendos* H.—258 *Herta*

NOTÆ

230 *Cauterem lavit*] De verbo Lavo tertiæ conjugationis, jam sup. hymn. S. Eulal. not. 43.

Cauterem] Prudentius secutus est Græcos, qui et in singulari dicunt Καυτὴρ: Latini enim tantum plurali numero utuntur. Καυτὴρ igitur aut cauterium instrumentum est quo ustio perficitur, cum putrida ulcera candenti ferro inuruntur.

235 *Tenditque in altum lumina*] Simile illud Virgil. Æn. II. cum Cassandra Priami filia, capillis passis, rapitur a templo et penetralibus Minervæ: 'Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra: Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.'

241 *Ergastulo*] Locus, in quo a mancipiis deterioribus lapides metallave fodiuntur, dictus ab ἐργάζομαι operor. Præsertim in Hetruria erant ergastula; unde Juven. sat. 8. 'Nempe in Lucanos aut Thusca ergastula mittas.' Accipitur interdum pro ipsis mancipiis, quæ in custodia alligantur. Poëta vero pro diro cæcoque carcere hic posuit. De Barathro sup.

Hic carcer horrendus suos
Habere fertur Inferos.
In hoc barathrum conjicit
Truculentus hostis martyrem ;
Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.
Quin addit et pœnam novam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum jubet
Hirta, impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis sternerent.
Totum cubile spiculis

sol admittitur ! Quid plura ; hic squalidus locus, ut aiunt, Inferorum horrorem adumbrat. In eo Vincentium asservari jubet Dacianus, disjunctisque cruribus ipsius pedes cippo inseri. Addit et his prætor solers in excogitandis tormentis novum supplicium, nulli tyranno cognitum, nec in annalibus acti temporis compertum ; nempe hujus imperio tergo supini martyris sternuntur asperæ, quod earum anguli obtusi non essent, aculeatæ, atque inæquabiles testarum particulæ. Quare, quoque



Weitz. Eg.—260 *jacenti* quidam. *sternere* W. superscr. Ro. G. *sternier* Heins.

NOTÆ

251 *Ligno*] Nempe cippo, seu instrumento ligneo quo pedes includebantur, vel collum ; quod tormenti genus et quæstionis *ξύλον* vocarunt Græci. Lucian. in Toxari de Antiphilo in carcerem conjecto loquens hæc ait : *οὐδὲ ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα.* ‘ Neque crura protendere sineretur cippo inclusa.’

252 *Divaricatis cruribus*] De hoc genere compedum Euseb. VI. 32. ‘Multis diebus pedes in compedes ligneos intrusi, distractione quadam ad quartum foramen distenti fuerunt.’ Et VIII. 11. ‘Post verbera in compedibus ligneis positi erant, et pedes alter ab altero ad quartum foramen distenti districtique adeo, ut necessario supini jacerent.’ Quod genus torquendi Ruffinus v. 2. non improprie dixit ‘ nervum.’

256 *Fando*] Gerundia enim modo passive significant : ut apud Virg. Æn. II. 81. ‘ Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen :’ modo active : ut apud Virg. ‘ Quis talia fando.’

259 *Informia Tergo jacentis sternerent*] Forte *jacentis sternier ;* vel, ut nonnulli legunt, *jacenti sternere.*

Armant dolores anxii,
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obvio.
Hæc ille versutus vafra
Meditatus arte struxerat:
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hic VINCENTIUS
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde, fragmina
Jam testularum mollibus
Vestire semet floribus,
Redolente nectar carcere.

se vertat, tali collocatus in cubili acerbos dolores tolerat; nam obvii aculei lacerant latera, ita ut somnum capere nequeat. Is crudelis tyrannus diabolicam artem advocans hoc tormentum struxerat. Christus vero cautos dæmonis frangit dolos: siquidem fugantur tenebræ, ac luce carcer completur. Cava, in quibus crura continebantur, comminuuntur, omnisque lignea machina dissilit. Tum martyr agnoscit spem ipsum non fefellisse, agnoscit suos labores compensari, Christumque ipsum tam præclaram lucem dispergere. Deinde testarum frusta cernit sponte mutari in blandos flores, carceremque molli odore repleri. Denique plures adsunt Angeli, qui cum



in not.—263 *subtus* W. superscr.—266 *Meditator* Weitz.—267 *Beelzibulis* Weitz. Eg. H.—268 *Comenta* Weitz. H.—270 *fulgorat* Weitz. H. W. Gif.

NOTÆ

267 *Belzebulis*] Beelzebub princeps est dæmoniorum, ut testatur evangelium: illud nomen nihil aliud significat, quam muscarum dominum. Ita autem dictus fuit, quia idolum erat Accaronitarum, cujus in templo propter victimarum sanguinem multæ volitabant muscæ.

272 *Ruptis cavernis*] Cippi scilicet, qui duobus constat lignis incastratis, ita ut sint cavi, quibus vinctorum crura detinentur. Veterem lectionem, *ruptis catenis*, retinendam esse censet Giselinus; atque ita explicat: 'Ruptis vinculis ferreis, quibus ligna ἡμικυκλικῶς certis locis excavata committebantur, arcteque vinciebantur, duæ stipitis partes dissiliunt, ac Vincentii crura liberantur.' De nectare sup.

Quin et frequentes Angeli
Stant, ac loquuntur comminus,
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum :
Exsurge, Martyr inclyte,
Exsurge securus tui :
Exsurge, et almis cœtibus
Noster sodalis addere.
Decursa jam satis tibi
Pœnæ minacis munia,
Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta est passio.
O miles invictissime,
Fortissimorum fortior,
Jam te ipsa sæva et aspera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Christus Deus
Compensat ævo intermino,
Propriæque collegam Crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vasculum

ipso loquuntur; quos inter unus splendidissimus sic compellat : Surge, inclyte Vincenti, nihil time, veni Sanctorum in numerum : jam plene cumulateque tuo sanguine munus tuum explevisti, atque clarum martyrium passus nihil tibi restat ultra perferendum. O miles invictissime, o omnium generosissimum pectus ; victor triumphas de ipsis diris suppliciis ac tristibus. Quare Christus ipse, qui Deus est, quique semper præsens affuit, immortalitate te remunerat, manuque liberali coronat, quod ipsius crucis fueris particeps. Depone igitur hoc fragile corpus, carne lutea vesti-

Ind. Lucret. p. 350.—279 *Vestiri* W.—284 *hic* Eg. H.—308 *proditor* H.—

NOTÆ

283 *Quorum unus ore augustior*] Angeli enim omnes, quocumque censentur ordine, mittuntur a Deo, et mandata sibi ministeria capessunt.

294 *Fortissimorum fortior*] De illa loquendi formula, Hymn. XII. Cathem. vs. 78. not.

298 *Intermino*] Interminus seu interminatus, i. e. non habens terminum : quo adjectivo usus est Sidon. ad Fontei. 'Dominis Simplicio et Apollinari intermina intercessione vos comperi.' Hanc tamen vocem apud quempiam veterum non facile invenies.

Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur;
Et liber in Cœlum veni.
  Hæc ille. Sed clausas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
  Hoc cum stuperet territus
Obsessor atri liminis,
Quem cura pernox manserat
Servare feralem domum:
  Psallentis audit insuper
Prædulce carmen Martyris,
Cui vocis instar æmulæ
Conclave reddit concavum.
  Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per arctas cardinum
Intrare juncturas potest.
  Vernare multis floribus

tum, et cujus partes interitu dividuntur, depone, inquam, ac corpore expeditus cælum ascende. Hæc ait Angelus. Cælestis vero lux, qua carcer complebatur, clausam pervadit portam, ac tenuis nitor per rimas proditur. Quo miraculo ad limina custos attonitus hæret, hujus enim per noctem munus erat servandi carceris: adde quod etiam vocem psallentis martyris suavem canoramque audiat, quam cavus fornix ita repulsabat, ut echus auxilio aliquem respondere credidisses. Nunc, quantum ipsi licet per arctas januæ rimas conjicere oculos in carcerem, pavens introspicit, videtque pavimentum ac testas multis floribus vernare, videt ipsum Vincen-

NOTÆ

311 *Manserat*] Maneo cum accusativo constructum, pro imminere, seu pro expectare sumitur. Virg. Æn. XII. 'Quitecunque manent isto certamine casus.' Et Plaut. Menæch. 'Hic me mane.'

312 *Feralem*] Nempe funestam domum, ut 'arma feralia' dixit Lucan. et 'carmen ferale' Virgil. Illud autem adjectivum formatur a feralia, feraliorum. Veteres enim ita nominarunt Diis manibus sacratam diem, a ferendis epulis in tumulum ad cœnam, quam et ipsam feralem nuncupabant.

316 *Conclave*] Pro loco secretiori in interioribus tectis assumitur quoque a Ter. in Eun. 'Dum apparatur, Virgo in conclavi sedet.' Et a Plaut. in Aulul. 'Et conclavium mihi pervium facitis.'

321 *Vernare*] Splendere. Plin. VIII. 27. 'Anguis, hyberno situ membrana corporis obducta, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat.'

Stramenta testarum videt,
Ipsumque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo:
Flet victus, et volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemtus, inquit, carceri,
Paulum benignis fotibus
Recreetur, ut pastum novum
Pœnis refectus præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem linteam

tium ruptis catenis ambulare, canereque. Illud prodigium Daciani ad aures pervenit, tum victus lacrymatur, atque oppressus dolore iram suam, curas, dedecus animo repræsentat. Ac paulo post laxetur, inquit, carcere diaconus, cibaria ipsi præbete, omnibusque fovete fomentis, ut his ex vulneribus recreatus deintegro suppliciis coërceam. Interea tota ex civitate accurrunt Christiani, curant ut molliori lecto incumbat, ipsius cruda siccant vulnera. Alter ungularum duplicem scissuram osculatur; alter pie lambit purpureum corporis cruorem. Quamplurimi stillante



329 *carcere* Weitz.—341 *lineam* Vulg.—357 *hujusmodi* Weitz.—362 *elutam*

NOTÆ

335 *Præfultum*] Durum et asperum, quomodo solent esse distenti et farti tori.

338 *Sulcos pererrat osculis*] Christiani osculabantur martyrum vulnera, ut colligere est ex Optat. lib. I. contra Parmen. ex Constantini magni vita, qui labra Sanctorum martyrum cicatricibus admovit, ex Theodoret. Hist. I. 11. ubi refert datum fuisse crimini a Cæciliano diacono Carthaginensi Lucillæ fœminæ apud Optatum, quod os importuno tempore martyris non vindicati, id est recepti, ori admovisset.

341 *Vestem lineam* [*linteam*] Ita restitue pro *lineam*. ut Hymno Eulaliæ, ' Membra tegit simul Eulaliæ pallioli vice linteoli.'

Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.
Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repente Christum credidit.
Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.
At vero postquam lectuli
Martyr quietem contigit;
Æger morarum tædio,
Et mortis incensus siti:
Si mors habenda ejusmodi est,
Quæ corporali ergastulo
Mentem resolvit liberam,
Et reddit auctori Deo:

sanguine sudaria sua tingunt, sacrasque has reliquias domi asservant suis nepotibus. Quid plura? Ipse carceris janitor ergastulariusque, qui obseratis vectibus cæcum carcerem cælesti lumine refulgere viderat, repente, ut traditum est memoriæ, Christum confessus est. Vincentius vero vix brevem somnum ceperat; ipsi dolet quod tam diu vivat, ac mortem appetit, oratque, modo sit omnibus definita mors, et post illum animi a corpore discessum mens sit libera, atque evolet ad Deum suum Creato-

NOTÆ

345 *Manceps carceris*] Anton. Nebrissensis hæc verba reddit: 'qui ministerio carceris mancipatus erat.' Iso vero magister: 'Custos, manu capiens; manceps, qui emancipat et qui mancipatur. Servus inde emancipatus.' Sed, pace illorum dicam, hæc loquendi formula dura videtur. Adde quod absque ulla ratione velint ergastularium illum mancipatum fuisse. Mallem ergo mancipem carceris sumi a Poëta pro eo, qui præest carceri. Quo sensu Budæus putat Plinium x. 43. dixisse mancipem Sutrinæ. 'Hunc sive æmulatione vicinitatis manceps proximæ sutrinæ, [i. e. inquit Budæus, magister officinæ,] sive iracundia subita, ut voluit videri, excrementis ejus imposita calceis macula, exanimavit.' Ita 'Manceps Thermarum,' 'manceps salinarum' in cod. Theod.

358 *Corporali ergastulo*] Ergastulum pœnalis locus, teste Nonio, in quo vincti operantur, ab *ἐργάζεσθαι*, quod est, operor. Quam belle id conveniat corpori, quis non videt? *Corporali*, corporeo scilicet, et carneo. Quod vocabulum barbarum est et insolens.

Mentem piatam sanguine,
Mortis lavacris elutam,
Quæ semet ac vitam suam
Christo immolandam præbuit.
Ergo, ut recline mollibus
Rejecit aulæis caput,
Victor, relictis artubus,
Cœlum capessit spiritus:
Cui recta celso tramite
Reseratur ad Patrem via,
Quam fratre cæsus impio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
Hinc inde sanctorum chori,
Parique missum carcere
Baptista Joannes vocat.
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita

rem, modo purgata sit sanguine; modo, cum semet vitamque suam Christi amore ultro obtulerit suppliciis, jam secura sit et Deo grata. Mollibus igitur in pulvinis reclinato capite, anima exit e corpore, cœlumque victrix petit; quam cœli viam Abel innocens a suo fratre impio cæsus olim aperuerat triveratque. Hinc atque hinc beatorum multitudo euntem comitatur Vincentium; ac Joannes Baptista, qui etiam inclusus fuerat cæcum in carcerem, illum ad se vocat. Interim vario impotentique

Amb. T. Alt. Bodl. Ro. Eg. P. *inclytam* Vulg. *erutam* Weitz. H. W. Vat. un. in post. a m. sec. ad verbum *lavacris* superscr. *periclis*.—375 *missus* Weitz. et

NOTÆ

362 *Lavacris elutam*] An legendum *lavacris inclytam*, ut Aldo placet? Fortasse *erutam*, ut habet Weitzius, ne leges metri violentur. Sed de his talibus parum solicitum fuisse Prudentium constat.

366 *Aulæis*] Pro culcitris pulvillisque posuit, aut lectulis lana vel pluma plenis, quibus utimur in sedendo. Aulæa enim ornamenta sunt, quibus parietes teguntur, dicta ab aula Attali Pergami regis, qui populum Romanum hæredem reliquit, primusque invenit aurum intexere.

372 *Abel*] Occisus a Caino: hi primi mortalium ab Adamo et Eva orti sunt; ille agricultura, hic pastione pecorum vitam exercuit, qui et Deo propter integritatem fuit acceptior. Ob id furore ardens et invidia Cainus innocentem fratrem peremit. De sancto Joan. Bapt. Hymn. VII. Cathem. vs. 56. not.

Fellis venena, et lividum
Cor efferata exusserant.
Sævire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Evasit, exultans, ait,
Rebellis, et palmam tulit?
Sed restat illud ultimum
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadaver tradere;
Canibusve carpendum dare.
Jam nunc et ossa extinxero,
Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque fingat Martyris.
Sic frendit, et corpus sacrum

motu tyranni miscetur pectus, et ipsius cor malevolum magis ac magis ira exæstuat. Similis est inermi draconi, cujus dentes aliquis fregit. Tum exclamat: Quid? lætitia exultans obiit Vincentius, et is contumax ex me egit triumphum. At possum adhuc illum, licet sit mortuus, insectari et plectere: illius cadaver tradam feris, canibusve addicam. Ex ossibus nihil supererit, ne ea condantur in sepulcro, quod omnes Christiani venerarentur, ne templum ponatur martyri. Dixit; et frendens

al.—392 *figat* Weitz. Delph.—393 *frendet* W. superscr.—397 *famis* Amb. T.

NOTÆ

390 *Ne sit sepulcrum funeris*] Omnia Martyrum acta, historiæ ecclesiasticæ, Scriptores quam plurimi, ac præcipue Eusebius hujusce rei fidem faciunt. Eadem sane legimus de Clemente Romano Pontifice. Aufidianus Præses a Trajano missus Clementem in medium mare duci jussit, et anchora collo suspensa in profundum dejici, ne, ut ipse fassus est, Christiani tollerent corpus, et consueto more venerarentur.

391 *Plebs gregalis*] Plebs scilicet ejusdem gregis. Quod de hominibus in deteriorem tantum partem dicitur. Cic. pro Archia: 'Nec Clodius, nec quisquam de gregalibus ejus, aut consiliariis.'

392 *Titulumque fingat martyris*] Haud intellexit hunc locum Anton. Nebriss. vult 'titulum martyris' pro epitaphio accipi. Poëtæ verba, ut recte notat Weitzius, ex ipsomet Prudentio percipiamus. Hymn. XII. 'Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis.' Ubi sermonem esse de sepulcro quis neget? Titulus autem, quod in loco, ubi erat basilica erigenda, crux poneretur in titulum, pro ipsa basilica sumitur. Nonne adhuc Romæ obtinuit vetus loquendi usus, ut Ecclesiæ, quibus præficiuntur Cardinales, tituli dicantur? Vide Baron. ann. 112.

Profanus (ah dirum nefas!)
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
  Sed nulla dirarum fames
Aut bestiarum aut alitum
Audet tropæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.
  Quin si qua clangens improbe
Circumvolarat eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
  Nam corvus, Heliæ datus
Olim ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulo,
Et irremotus excubat.
  Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosque pennis verberans,
Exegit immanem lupum.

prætor nudum, ah dirum nefas, carices inter exponit corpus absque ulla Sindone. Frustra tamen: nulla enim avis, nulla fera bellua audet suam explere famem, et immundos morsus huic glorioso cadaveri inferre. Quod si clangens improbe aquila eminus circumvolat, in illam maximo impetu ruit corvus et fugat. Olim hæc avis Heliæ data fuerat a Deo, ut ipsi cibum suppeditaret. Jam prope excubans Vincentii corpus tuetur tam sedulo, ut etiam abegerit e dumeto proximo immanem lupum, tum alarum strepitu illum terrens, tum pennis oculos verberans. An aliquis

—400 *tractu* H.—402 *Circumvolaret* Weitz. Vat. plerique.—407 *sedulæ* Eg.

NOTÆ

398 *Carices*] Carex planta est foliis arundineis, longis, acuminatis, quorum ex medio caules assurgunt tenues, qui desinunt in paniculas: cathedris texendis junci instar apta dicitur.

401 *Si qua clangens*] Nempe si aquila aliqua, nam clangere proprie aquilarum est. Tit. Liv. ab urbe lib. I. 'Aquila magno clangore volitans.'

403 *Trucis volucris*] Corvi scilicet, qui, quanquam a natura vorax sit, tamen cadaver Vincentii non tangit, quinetiam aggreditur fugatque et aquilas et lupum, ne illud fœdent: in quo maxime elucet virtus Dei.

405 *Heliæ datus*] De Helia, qui ad torrentem Carith moratus est annonam suppeditante corvo, dixi satis Hymn. VII. Cathem. vs. 26. not.

409 *Frutetis*] Frutetum, locus fruticibus consitus. Frutex autem ad justam magnitudinem arboris non assurgit, et statura similis est multis herbis, sed non demoritur, neque arescit ut herba, verum perennis est.

Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam,
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans,
Levi volatu exterritus,
Prædamque visam fugerat
Custodis imbellis min is.
Quis audienti talia,
Daciane, tunc sensus tibi?
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor,
Cum te peremti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis et impar ossibus,
Vacuisque jam membris minor?
Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum
Determinabit exitus?
Nullusne te franget modus?
Nullus: nec unquam desinam.
Nam, si ferina immanitas

ex carnificibus unquam putasset rapacem lupum, qui cum tauris confligit, corvo cessurum. Ita tamen; levi volatu exterritus abiit iracunde, atque ob minas debilis custodis objectam non tetigit prædam. Dic mihi, o Daciane, cum hoc audiebas miraculum, quid tibi erat in animo, quam gravi dolore urgebaris, quantisque stimulis rabies tua accensa erat! Num te defuncti corporis virtute victum fuisse, te ipsis ossibus imparem, te infirmiorem cadavere tandem intelligebas? Nonne aliquando, pertinax prætor, tuam pones iram, missamque facies? Nihilne eam poterit frangere? nihil, inquit, tyrannus; nec unquam desinam Vincentium persequi. Nam, si

sedule H. superscr.—432 *te refranget* Amb. *te frangit* Weitz. *refringet* Heins.

NOTÆ

415 *Tauris congredi*] I. e. cum tauris. Ut Catullus dixit in Carmine Nupt. vs. 64. 'Noli pugnare duobus.' Et Virg. Æn. I. 478. 'Atque impar congressus Achilli.'

421 *Quis audienti talia, tunc sensus tibi*] Illud desumtum ex Virgilio, quem æmulari passim Prudentius amat: 'Quis tibi nunc, Dido, cernenti talia sensus?'

Mansuescit, et clementia
Corvos voraces mitigat,
Mergam cadaver fluctibus:
Insana nunquam naufragis
Ignoscit unda, et spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur flatibus,
Squamosa pascens agmina:
Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter recessus scrupeos
Discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum, strenue
Cumbam peritus pellere,
Remo, rudente, et carbaso,

rabidæ feræ mansuescunt, si mulcentur corvi voraces, illius corpus mergam in undis, quæ injecta quæque absorbent; mare nescit parcere. Itaque aut semper ventorum erit ludibrium, iisque modo huc, modo illuc pulsabitur pascens avidos pisces; aut sub asperis rupibus scruposis petetur saxis, quorum inter fragosos recessus viscera dilacerabuntur. Quis jam mortales inter, quanquam strenue navigaret et remis et



in not.—441 *mobile* H.—443 *Austris feretur flatibus* Edd. quædam. *fluctibus* T. et al. *Austris f. flantibus* vel *Austri f. flatibus* C.—445 *suffragosis* W.—

NOTÆ

442 *Ludibria*] Ludere etiam apud Virgilium, pro moveri in aqua, reperies Georg. I. 'Aut summa nantes in aqua colludere plumas.'

443 *Vagis feretur flatibus*] *Fluctibus* correctum in Thuaneo. Quod et alios complures occupavit. In editis nonnullis, *Austris feretur flatibus.*

444 *Squamosa*] Quod corium piscis serpentisque squamis tegitur.

446 *Murices*] Saxa acuta, aspera, ac prominentia: sic dicta a murice ostreo, unde purpureus liquor exprimitur; illius enim piscis conchylium acutum est et fastigiatum. Virg. 'Et acuto in murice remi Obnixi crepuere.'

447 *Scrupeos*] A scrupis, lapillis illis exiguis, qui pedes ambulantium offendunt: unde aspera saxa et difficilia attrectatu dicuntur scrupi. Virg. Æn. VI. 'Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu Scrupea.'

450 *Cumbam*] I. e. cymbam: eadem licentia usus est alibi mutando ypsilon in u, nempe in murrha pro myrrha. De Carbaso sup.

Secare qui pontum queas,
Rapias palustri e cespite
Corpus, quod intactum jacet;
Levique vectum lembulo
Amplum per æquor auferas.
Sed complicatum sparteus
Claudat cadaver culeus,
Quem fune connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
Rorante præpes palmula,
Donec relictum longior
Abscondat aspectus solum.
Hæc jussa quidam militum,
(Eumorphio nomen fuit)
Violentus, audax, barbarus,
Furore fervens arripit.

velis, mare velit secare, ut corpus integrum incorruptumque jacens auferat ex herboso loco, et deinde illud navicula transportans ingens mare decurrat. Attamen cadaver spartea insuatur fiscina, cui deinde lapis suspendatur, ut præceps feratur in profundum maris. Tu vero, satelles, navem conscende, ac levibus remis impelle quamprimum, donec terra nusquam appareat. Eumorphio unus e militibus, violentus, audax, barbarus, furore fervens hæc mandata exequitur. Nam colligit fiscum,



449 *Et quis* Weitz.—453 *e* deest W.—459 *conexus* Weitz. W. H.—462 *præ-*

NOTÆ

455 *Lembulo*] Naviculæ exiguæ genus, sed velocitatis miræ; cujusmodi ante classem explorandi gratia solent præmitti. Idem dicendum est de Phaselo, de quo inf. vs. 498. not.

457 *Sparteus culeus*] Fiscinam appellavit culeum a similitudine. Culeus enim ex lino, vel cannabe, vel corio factus est, ab occulendo sic dictus. Parricidæ apud antiquos sanguineis virgis verberati in culeo cum cane, simia, gallo, et serpente insuti in mare injiciebantur ex lege Pompeia. Unde Juven. Sat. VIII. 'Quis tam Perditus ut dubitet Senecam præferre Neroni? Cujus supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.' Sparti autem non unum genus est. Nostri tamen putant idem esse ac genistam, quod ita appellarunt quia facile flectitur, vinculique usum præstat, necnon quia genibus medetur dolentibus.

462 *Rorante palmula*] Servius in illud Virg. Æn. v. 'Littus ama, et lævas stringat sine palmula cautes.' Palmula, inquit, extrema remi pars est, in modum humanæ palmæ protensa. Catul. in Phas. vs. 4. 'Sive palmulis Opus foret volare, sive linteo.'

Funale textum conserit,
Suto quod implet corpore,
Emensus et multum freti
Inter procellas excutit.
O præpotens virtus Dei!
Virtus creatrix omnium!
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo straverat,
Ut terga calcans æquoris
Siccis mearet passibus,
Plantas nec undis tingeret
Vasti viator gurgitis.
Hæc ipsa virtus jusserat
Rubrum salum dehiscere,
Patente dum fundo aridum
Secura plebs iter legit.
Nec non et ipsa nunc jubet
Servire sancto corpori
Pontum, quietis lapsibus
Ad curva pronum littora.
Saxum molaris ponderis,
Ut spuma candens, innatat:
Tantique custos pignoris
Fiscella fertur fluctibus.

funibus circumdatum, quem corpore intus clauso implet: tum vela dat in altum mare, corpusque in mare dejicit. Sed Deus omnipotens, rerum omnium opifex, qui olim iratum mare, dum Christus planta fluctus quatiebat, placaverat, æquaratque ut Petro illud vastum mare pedibus peragranti, ac calcanti æquor, aqua pervium iter præberet, nec pressa cederet vestigiis; quique jusserat Rubrum Mare dividi, ut Israëlitas acciperet in vasto sinu, ac siccum fundum redderet et calcabile. Is, inquam, Deus nunc jubet mare cursum declivem habere ad curva littora, necnon placidis fluctibus sanctum illud cadaver ferri. Saxum igitur æque ac mola ponderosum spuma ipsa candenti facilius innatat; et fiscina custos tanti pignoris in alto fluitat.



cepe Weitz. et al.—470 *Sancto* Vat. un.—483 *arido* H. superscr.—484 *Secunda* T. *iter legit* T. Heins. G. *iter gerit* Eg. P. Vat. tres. *iter terit* H. superscr.

NOTÆ

482 *Rubrum salum*] De hoc miraculo fusius locutus est Poëta in hymno ad incensum cerei paschalis.

Cernunt stupentes navitæ
Vectam remenso marmore
Labi retrorsum leniter,
Æstu secundo et flamine.
Certant et ipsi concito
Pontum phaselo scindere:
Longe sed artus prævolant
Telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
Humus quieta suscipit,
Quam pulsa summis nisibus
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Secessus ille, qui sacra

Navitæ pelago iterum trajecto mirantur quod aquis fiscina vehatur, leniterque et maritimo æstu et vento pulsa littus petat. Denuo celeri phaselo secando mare conantur cadaver consequi: at jam longe ante fluctus illud appulerant ad mollem telluris sinum; atque priusquam cymba summis nisibus pulsa portum teneret, humo tectum erat. O felix amœni littoris recessus ille, qui tam sancta ossa blando sinu



Vat. quidam. *iter terat* Torrent. un. *iter gerat* Ro. *incesserit* A. S.—506 *Reces-*

NOTÆ

494 *Remenso marmore*] Eodem sensu Virg. Æn. II. 'Pelagoque remenso Improvisi aderunt.' Mare vero vocatur marmor quia rutilat, a verbo Græco μαρμαίρω resplendeo.

496 *Æstu secundo*] Æstus pro quocumque marino impetu et commotione sumitur: præcipue autem pro illa aquarum copia quas mare, cum crescit, impellit ad littus. Plaut. in Asin. 'Quo magis te in altum capessis, æstus te in portum refert.' Sententias philosophorum innumerabiles fuisse de æstu maris nemo ignorat: quare ne longior sim, id unum dico satis superque esse homini, modo sciat mare bis inter duos exortus suas undas ad littus impellere, bisque illas undas ad mare redire. Licet enim omnia, quæ hac de re scripsere physici, memoria teneret, profecto non magis hujusce rei causam cognosceret. Tamen mihi liceat sententiam afferre peritissimi viri et mathematicorum facile principis. Is igitur vult in profundo maris fieri eodem modo quo in corporibus febriculosorum, fermentationem cujusdam materiæ, qua fermentatione inflatur mare, ut massa, dum fermentescit. Addit æstus periodos non esse magis supra captum intelligentiamque nostram, quam periodos febris quartanæ tertianæve.

498 *Phaselo*] Phaselus, brevis navicula, velox, et oblonga. Unde Catull. 'Phaselus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse navium celerrimus.'

Fovens arenis viscera
Vicem sepulcri præbuit!
Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem:
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reservat posteræ.
Sed mox, subactis hostibus,
Jam pace justis reddita,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,

complexus est, ipsisque reddidit vicem sepulcri, usquedum Christiani lacrymis conspergere tumulum potuerint, curaque pia adornare, atque illud depositum usque in diem judicii asservare. At vix infidelium corruit imperium; vix Christiani in pace fuere: Vincentio exstructa est ara, tanquam locus quietis debitus. Is enim martyr

NOTÆ

515 *Altar*] Vincentius viro cuidam in somnis suum corpus ex alto mari in terram expositum esse significavit. Quinetiam locum, in quo positum erat, eidem patefecit. Quoniam vero is præsidem timebat, ad martyris inquirendum cadaver segnem se præbuit. Quare martyr in somnis apparuit fœminæ viduæ: illam cum similiter admonuisset, eidem signa quædam ejus loci patefecit, in quo sanctum corpus jaceret, quod videlicet lateret sub arena, quam lenis et tranquilla unda sic infuderat, quasi arena ipsa Vincentii sepulturæ deserviret. Mox anus illa perlustravit littus, inquirens signa illa, quæ in somnis ei patefacta fuerant; cumque invenit, sancte ac religiose condidit. Sumtuosis enim exequiis adhibitis, sacræ illæ reliquiæ Deo ipsi dicatæ sunt in illius templi ara, quod templum sancti Vincentii nomine appellatum fuit. Ita Surius tom. I. p. 511. Altar autem pro altare hic posuit ut supra.

517 *Sacrario*] Apud scriptores Christianos sacrarium varia significat. Quamplurimi volunt idem sonare ac Pastophorium, secretarium, pars illa scilicet templi, ubi sacra reponuntur, ubi sunt sancta sanctorum. Alii generaliter pro templo sumunt. Quidam pro sacristia. Gregor. Magnus in Sacrament. 'Et expectant Pontificem, vel qui vicem illius tenuerit, qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum.' Denique nonnulli 'Sacrarium' interpretantur, ubi est altare. Ita Synodus Nicæna, et auctor vitæ S. Desiderii Episc. Cadurcens. cap. 13. 'Si vasa nitentia et clara, si sacrarium mundum, si lucernæ accensæ.' Primo sensu accepit Prudentius.

518 *Imamque ad aram condita*] Serius intra templorum ambitum sepulta fuere cadavera fidelium. Id tantum martyribus, aliisque quos Ecclesia publico cultu venerabatur, fuit concessum. Reliqui vero Christiani in cœmeteriis aut atriis templi condebantur. Imperatores tamen, atque

Cœlestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.
Sic corpus; ast ipsum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Macchabæis fratribus,
Sectoque Esaiæ proximum.
Simplex sed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præstitit
Mortis supremus exitus.

jacet in templo; prope maximum altare sepultus est, ac subtus extensus adhuc integer auram communem haurire videtur. His honoribus Vincentii corpus decoratur. Animus vero cælum ascendit, gloriæque Macchabæorum fratrum, sectique Isaiæ socius fit et particeps: qui semel mortem obiere, quique tormenta quidem pertulerunt, sed ita ut confestim mors ipsis pacem præstiterit. Et sane? An qui serra Isaiam

sus Vulg.—509 *Tum* W.—520 *subter* Vulg.—524 *Secto Isaiæ* Vulg.—533 *Nam*

NOTÆ

Episcopi in vestibulo sepeliebantur. Quare Chrysost. hom. 26. in II. Corinth. 'Constantius Augustus Constantinum Magnum ingenti honore se affecturum existimavit, si in vestibulis collocaret Piscatoris; quod enim in Regis janitores sunt Regibus, id in sepulcro Reges sunt Piscatoribus, et præclare secum agi putant, si janua ipsis assignetur vestibularis.'

519 *Auram*] Non quod spirent viventis ossa; sed quod integra maneant conservata divino munere.

523 *Macchabæis fratribus*] Non hic Prudentius loquitur de filiis Mathathiæ de stirpe Joarib sacerdotis, qui occiso regio satellite, quod ad profanos ritus populum adigebat, ex Modin oppido profugit, et collecta Judæorum manu, Antiochi regis minas contemsit, quique moriens anno urbis conditæ 587. filios quos habebat quinque fortissimos viros ad tuendam libertatem animavit, quorum princeps erat Judas cognomento Macchabæus: sed de septem his fratribus, qui ob legem Dei tuendam jussu Antiochi Epiphanis indigna passi sunt supplicia anno ante Christum 167. necnon illorum mater. Vocantur autem abusive Macchabæi, quia cap. 7. lib. II. Macchabæorum illorum mors describitur his verbis: 'Contigit autem septem fratres una cum matre apprehensos compelli a rege, edere contra fas carnes porcinas, flagris cruciatos.'

524 *Secto Isaiæ*] Isaias filius Amos, non Amos prophetæ, uti putavit sanctus Epiphanius; is enim rusticus erat; Isaias autem nobili genere ortus in Jerusalem; sed Amos alterius, qui ab Hebræis creditur frater Amasiæ regis Juda, qui fuit pater Oziæ seu Azariæ regis, cujus temporibus floruit Isaias: deinde sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit.

526 *Corona pœnarum*] 'Nec vereamur occidi,' inquit Cyprian. lib. IV. ep. 6. 'quos constat, quando occidimur, coronari.'

Quid tale sector ausus est?
Truncata numquid corporis
Segmenta post serram feris
Objecit, aut undis dedit?
Num Macchabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptamve pellem verticis
Avibus cruentis obtulit?
Tu solus, o bis inclyte,
Solus brabei duplicis
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.
In morte victor aspera,
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adesto nunc, et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.

secuit, truncatas partes corporis hoc peracto supplicio feris objecit, aut projecit in mare? An tyrannus voracibus obtulit avibus Macchabæum martyrem, postquam illi linguam evulsit ac capitis pellem detraxit. Tu solus, o bis inclyte Vincenti, duplici martyrii palma donatus es. Tu solus duplicem in capite habuisti coronam. Nam vivus de ipsa dura morte triumphasti; mortuus autem una cadaveris virtute pariter debellasti Dacianum atque prostravisti. O martyr, qui semper a Deo nostrorum peccatorum veniam impetras, nunc adesto, et supplices audi precantum voces. Id a



A. F.—535 *Raptam* W. superscr.—538 *brabii* Weitz. *bravii* Vat. quatuor.—

NOTÆ

534 *Linguam*] 'Iratus rex jussit sartagines, et ollas æneas succendi; quibus statim succensis, jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, et cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præcidi, ceteris ejus fratribus et matre inspicientibus.' Ita lib. II. Macchabæorum cap. VII.

538 *Brabei duplicis*] 'Brabeum,' corrupte 'bravium;' Victoriæ præmium, dictum quasi ῥαβδεῖον, a ῥάβδος, 'virga' seu 'sceptrum,' quia corona donabantur victores, et virga palmea designabantur.

540 *Laureas*] Coronas ex lauro factas, insigne triumphorum; eæ enim in triumphis adhibebantur. Cic. de Prov. Consul. 'Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret.'

Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui;
Per vincola, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem:
Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per, quem trementes posteri
Exosculamur, lectulum:
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solennem diem
Veneramur ore et pectore:
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
Paulisper huc illabere,
Christi favorem deferens:
Sensus gravati ut sentiant
Levamen indulgentiæ.
Sic nulla jam restet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus,
Virtute perfunctam pari.

te petimus per temetipsum, per illum carcerem, qui tuam multiplicavit gloriam, per vincula, per flammas ungulasque, per cippum, per testarum frusta tui triumphi decus et ornamentum, denique per sepulcrum, quod nos summa observantia exosculamur. Votis nostris annue, ut Christus placatus nos audiat benigne, nostraque peccata condonet. Quod si hoc tuum solenne festum rite et ore et corde celebramus, si flexis genibus juxta corpus conditum oramus, huc descende paulisper, tuoque patrocinio ita in nos Deus sua beneficia congerat, ut corpus ipsum gravatum sentiat veniæ gratificationem. Cito igitur veni, ac tua nobilis anima ad vitam carnem

555 *Per, quem* A. S. Bodl. *Et quem* Weitz. Vat. quatuor.—563 *gaudia* Weitz. —565 *huc tu illabere* S. F.—569 *restat* Weitz.

NOTÆ

549 *Per te*] Locutio poëtis familiaris. Virg. Æn. II. 'Per Superos et conscia numina veri, Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam Intemerata fides, oro; miserere laborum Tantorum, miserere animi non digna ferentis.'

Ut quæ laborum particeps
Commune discrimen tulit,
Sit et cohæres gloriæ
Cunctis in ævum sæculis.

Suam revocet, quæ virtute simili claruit, ut ea, cum laborum particeps eadem passa fuerit, sempiternis sæculorum ætatibus gloriæ sit etiam cohæres.

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Beati Fructuosi Episcopi Tarraconensis, sociorumque ejus Augurii et Eulogii Diaconorum Acta refert Bollandus ad diem 21. mensis Januarii, quæ, cum antiquis Codicibus collata, atque ex Sancto Augustino et Prudentio nostro confirmata, tanquam authentica recepit ac laudavit doctissimus Ruinartius. Habuit Sanctus Augustinus in eorundem Sanctorum natali Sermonem 273. novæ Editionis, alias de diversis, in quo testatur eorum festum apud Hipponem-Regium celebratum fuisse die 21. Januarii, qua quidem die tum in novis tum in veteribus Martyrologiis ipsorum memoria recolitur. Passi sunt autem apud Tarraconem celebrem olim Hispaniæ citerioris Metropolim in hodierna Catalonia, Imperatoribus Valeriano et Gallieno, sub Coss. Æmiliano et Basso an. Ch. CCLIX. die prædicta. Horum Sanctorum Martyrum corpora in Italiam postmodum translata fuisse observat Joan. Bollandus ex Marianæ Historia IV. 10. et asservari in Monasterio Ordinis Benedictini non longe ab urbe Genua, Ligurum Metropoli, distante, quod alii negant.

VI. IN HONOREM MARTYRUM FRUCTUOSI EPISCOPI TARRACONENSIS, ET AUGURII ET EULOGII DIACONORUM.

Exhibet hic Hymnus historiam Passionis horum trium Martyrum, qui comprehensi ac in carcerem trusi, flammis postmodum injecti, exustis vinculis, et manibus in modum crucis expansis, Martyrium compleverunt.

Felix Tarraco, Fructuose, vestris
Attollit caput ignibus coruscum,

O inclyte Fructuose, tuo martyrio nobilis est claraque Tarraco, tuorumque diacono-

Levitis geminis procul relucens.
  Hispanos Deus aspicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Hiberam
Trino Martyre Trinitas coronat.
  Ardens AUGURIUS capessit æthram,
Nec non EULOGIUS simul superbum
Christi lucidus ad sedile tendit.
  Dux et prævius et magister illis
Ad tantum decus ex Episcopali
Clarus nomine FRUCTUOSUS ibat:
  Accitus quia præsidis repente
Jussu venerat ad forum Sacerdos
Levitis comitantibus duobus.
  Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat:

rum morte procul emicat. Immortalis Deus Hispanos suis ornat beneficii gentem Hispanicam, nempe Tarraconem, tribus martyribus decorat. Augu ruscus ex flammis in cœlum evolat; altumque Christi tribunal pariter petit Eulogius. Quibus Fructuosus episcopali munere præbuerat se ducem, sign magistrumque ad martyrium patienter tolerandum. Ille enim, cum derepent liani jussu accersitus fuisset, ad forum venerat duobis his tantum Levitis co Quos, ut vidit Præses, jussit in vincula conjici. Carnifex pastus sanguine

† *Angorii* Amb. *Ancorii* Bodl.—1 *ventris* Eg.—2 *coruscam* Eg.—8 *bum* Heins. T. Eg. Vat. plerique, Weitz. P. H. B. sed *supernum* a m *supernum* Vat. un. Edd. quædam.—13 *Ascitus* Weitz.—16 *et carcere*

NOTÆ

1 *Fructuose*] Fructuosus, Augurius, Eulogius fuere Tarraconenses. Ii Gallieni imperatoris temporibus, anno Christi 262; jussu Æmiliani præsidis primo in carcerem trusi sunt, deinde flammis injecti, sed exustis vinculis manibus in modum crucis expansis, orantes martyrium compleverunt, 12. Kal. Feb. De Tarracone sup.

2 *Levitis geminis*] Quia, ut jam diximus, Augurius Eulogiusque erant Fructuosi diaconi. Levitæ autem dicuntur a tribu Levi ad sacerdotium evecta.

4 *Hispanos*] Hispaniæ incola regio notissima est, Galliæ co Pyrenæisque montibus ab ea rata; ab Ibero amne, vel ab populis primum Iberia dicta; Hispania ab Hispano filio H qui ab Hercule Oro post Ger cædem his in locis relictus Hi condidit.

8 *Superbum ad sedile*] Non num, sed *superbum*, cum scripti tisque plerisque, Virgiliano apud quem 'fores,' et, 'sedes sup Æn. II. 'Non ego Myrmidonu des Dolopumve superbas aspic

Gaudet currere FRUCTUOSUS ultro,
Ac, ne quis socios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Inceditque fidem calore Christi.
Mecum state, viri: vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros:
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est:
Carcer provehit ad superna cœli:
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt specum reorum,
Exercent ibi mysticum lavacrum,
Et purgamen aquæ stupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis:
Fratres tergeminos tremunt catastæ.

in carcerem. Ultro sequitur Fructuosus; ac ne socii aliquo timore percellantur per viam, tanquam præceptor vehemens, Christi amore firmat renovatque illorum fidem. Mecum, inquit, state viri: tyrannus in nos supplicia constituit; mortem contemnite, merces parata est. Christiani carceribus coronam merent, ascendunt in cœlum, Deo conciliantur. Vix ea dixit: traduntur in publicam custodiam; ubi baptisma conferunt, animasque a peccatis purgant, ita ut dæmones obstupescant. Sex diebus elapsis, quibus compedibus detenti fuerant, stant ad tribunal immitis tyranni, ac trium illorum martyrum aspectus omnia terret tormenta. Tum Æmilianus atrox, turbidus,



—24 *Nec* Eg. H. P.—30 *Et purgamen aquæ* Bodl. Nom. H. Alt. T. Vat. quatuor. *Et purgamina quæ* Weitz. et al. *Expurgamen aquæ* Eg. P.—39

NOTÆ

18 *Carnifex trahebat*] Aurelium, Festucium, Helfum, et Polentium apparitores miserat Æmilianus, ut manus in Fructuosum ipsiusque diaconos injicerent. Qui, ut testatur Martyrologium Hispan. mandata fecerunt, ac circa secundam noctis vigiliam eos duxerunt in carcerem.

30 *Purgamen aquæ*] De baptismate ac de pœnitentiæ sacramento loquitur Poëta, quæ a vitiis purgant animas, quæque contulit Fructuosus nonnullis: illius enim acta referunt sanctum illum episcopum in carcere Rogatianum baptizasse.

33 *Fratres tergeminos*] Tergemini dicuntur tres qui ex uno utero uno die editi sunt. Plin. VII. 3. 'Tergeminos nasci certum est, Horatiorum Curiatiorumque exemplo.' Tamen nullum alium scriptorem reperi, qui eodem partu natos fuisse Fructuosum, Augurium, Eulogiumque diceret. Quare puto a Prudentio vocari tergeminos fratres, quia baptismate ac forte eodem die ecclesia omnium mater illos genuit. De Catasta, machina lignea, sup.

Judex Æmilianus imminebat
Atrox, turbidus, insolens, profanus:
Aras dæmonicas coli jubebat.
Tu, qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos destituant, Jovem relinquant;
Damnes, si sapias, anile dogma.
Jussum est Cæsaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Hæc fanti placidus refert Sacerdos:
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumque Gallieni:

insolens, profanus judex, quique sedens in solio populum dæmonibus thuris honores tribuere jubebat, Fructuosum sic alloquitur: Novam sectam commentitiamque sparsisti, ut leves puellæ sacras sylvas, Deosque sanctos desererent. Si sapis, nunc damna illud anile dogma. Gallienus princeps noster imperat: quos Cæsar adorat Deos, eos adorare debemus. Episcopus placide respondet Æmiliano: Colo Deum æternum, mundi creatorem, ac dominum Gallieni: colo et Christum, quem ex omni

distituant Weitz. H.—40 *Damnas* Amb. *Damna* Bi.—42 *hoc colamus* Weitz.

NOTÆ

34 *Æmilianus*] His temporibus duo Æmiliani vixere. Unus qui anno 254. occiso Gallo, militaribus suffragiis adeptus est imperium, quique tertio postea mense sublatus est; alter, qui in Hispaniis præfecturam gessit anno 260. Valeriano et Gallieno impp. De quo hic loquitur Prudentius.

39 *Lucos*] I. e. templa non adeant. Nam, ut ex Virg. Æn. I. colligitur, 'Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra:' sylvæ fuerunt aut in ipsis urbibus, aut juxta illas, Diis dicatæ, quas lucos appellarunt antiqui, eo quod sine luce essent, quoniam nullæ arbores propter religionem cædebantur; atque in mediis lucis templa erant condita. De Jove sup.

41 *Gallieni*] Filii scilicet Valeriani imperatoris, qui, Æmiliano imperatore sublato, rerum una potiti sunt. Anno 254. uterque vexavit Christianos: sed ipsis tot martyrum neces non impunitæ fuere ac liberæ: Valerianus enim a Sapore Orientali captus, et vilis more mancipii habitus est, ut quoties equum conscenderet, incurvato eo pedem cervicibus ejus imponeret. Gallienus vero luxu nequitiisque perditus lacerari undique tam a barbaris, quam a triginta tyrannis passus est imperium. Denique a Martiano et Cecropio ducibus ad Mediolanum occisus cum fratre Valeriano. Imperavit annos fere septem cum patre, solus octo.

44 *Dierum*] Anton. Nebrissensis legendum esse *deorum* putat; nec male: hunc enim sensum efficeret, 'colo Deum Deorum.'

Et Christum Patre prosatum perenni,
Cujus sum famulus, gregisque pastor.
Subridens ait ille : Jam fuisti.
Nec differt furor aut refrænat iram,
Sævis destinat ignibus cremandos.
Exultant, prohibentque flere vulgum.
Quosdam de populo videt Sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait; recuso potum :
Nondum nona diem resignat hora :
Nunquam conviolabo jus dicatum,

æternitate Pater producit : utriusque sum famulus, pastorque illorum gregis. Præses subridens, Non es, inquit, sed olim fuisti. Tunc, quod frænare iram suam nescit, furore inflammatur, et martyres jubet crepitantibus flammis cremari. Qui martyres magna gestiunt voluptate, rogantque Christianos nullas ipsis dare lacrymas. Fructuosus autem turbam inter nonnullos videt, qui, ut biberet, offerebant potionem, eosque monet se jejunium celebrare, ac non licere cibum sumere. Nondum, inquit, tempus venit solvendi jejunium; nunquam sanctas has leges perfringam, nec mors



omne A.—51 *vulgus* W. superscr.—53 *ferentes* Weitz.—70 *concremata* Heins.

NOTÆ

51 *Flere vulgum*] Nam, ut ipsius vitæ scriptor notavit, magno Fructuosum amore prosequebantur non tantum Christiani, sed etiam Ethnici. Quare cum duceretur ad amphitheatrum, populus dolere cœpit.

53 *Offerentes*] Juxta Hebræorum consuetudinem, qui ut damnatis solatium aliquod impenderent, vinum illis propinabant perquam optimum, vel, ut putarunt aliqui, ut rei vinum bibentes alienationem mentis paterentur, atque ita carerent sensu doloris. Non his diutius immoror; quia Baron. tom. I. ann. Christi 34. quamplurimis hanc sententiam confirmat. Illud tantum Proverbior. afferam : 'Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo, ut bibant, et egestatis suæ obliviscantur, et doloris sui non recordentur amplius.'

54 *Jejunamus*] Duo hic notanda sunt; primo consuevisse majores quarta et sexta feria singulis hebdomadis jejunare, teste Tertulliano c. 14. de jejunio : 'Stationibus, nempe jejuniis, quarta feria dicata est et sexta Sabbati ex consuetudine Ecclesiæ.' Quare eo die jejunabant hi martyres. Deinde variam jejunii fuisse primis temporibus consuetudinem. Semel igitur cibum sumebant, et vespertinis horis. Jejunantibus ne aquam quidem sumere ante prandium licebat : postea vero aquam quidem sumsere, sed abstinuere vino : denique nec vino abstinuere.

55 *Nona hora*] Juxta diei divisionem ex oriente sole ad solis occasum. Nona igitur hora, i. e. tertia post meridiem, ætate Prudentii jejunantes cibum sumebant.

56 *Jus dicatum*] Baronius putat

Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens, sitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat,
Cum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, et fremit voluptas.
Hic flammante pyra, niger minister,
Ardens supplicium parare jussus,

ipsa ad bibendum induceret. Ita Jesus, dum in crucem actus luctabatur cum morte, licet sitiret, ipsique potio daretur, tamen gustare noluit, ac sitim sedare. Interea martyres ad amphitheatrum perveniunt, quod multo ferarum sanguine, qui furore effusus fuerat, adhuc madebat. In quo etiam sæpe cruenta indicta fuerant spectacula, vilesque gladiatores ense percussi ceciderant, frementibus ipsis spectatoribus. Carnifex, cui onus ignis ad supplicium hic parandi imposuerat præses, jam ad ligno-

NOTÆ

Fructuosum in carcere detentum, ipsiusque comites non tantum quarta feria et sexta jejunasse, sed etiam sex diebus. Quia, ut notat Tertullianus, tempore imminentium tentationum ab Episcopis pro arbitrio indicebantur jejunia. Votum igitur illud erat jejunium et sacrum, quod etiam jus dicatum dicitur.

57 *Meum sacrum*] Supra illud jejunium vocarat festum, et victimam; hic sacrum, votum, jus dicatum appellat.

61 *Rotunda cavea*] Amphitheatra forma rotunda et veluti ex duobus theatris construebantur, aut ovali et oblonga, in quibus gladiatorii ludi, et conclusarum ferarum venationes exhibebantur. Area dicebatur cavea, et arena, quod arena spargeretur, ut certantes sine offensione caderent. Quod ex Suetonio liquet. In iis autem multi martyres excarnificati sunt, ut e longinquo conveniens turba spectaret.

64 *Spectacula*] A Græcis ad Romanos mos ille profluxit, apud quos captivi ad mortuorum tumulum primum occisi, deinde, ut crudelitas voluptate quadam misceretur, inter se commissi. Eoque devenit populi Romani furor, ut certis mensibus, si Lipsio credimus, ad 20. aut 30. millia hominum trucidarentur. Dabantur hæc spectacula et a publicis magistratibus et a privatis personis, et cum certaminibus et cum fabulis. Ea profusione ad inopiam multi redacti sunt: quare sub Tiberio S. C. factum fuit, ut nemini id liceret, qui minus quadringentis millibus in censu haberet. A Junio Bruto in patris defuncti honorem, vel ab Appio Claudio et M. Fulvio Consulibus, hi ludi Romæ instituti sunt. Rex vero Theodoricus ne omnino celebrarentur prohibuit. De his in Hamart.

Construxit facibus rogum supremis:
Qui, dum corpora concremata solvit,
Ferventes animas amore lucis
Fracto carceris expediret antro.
Certant officiis pii sodales:
Plantis calceamenta dissolutis
Pronus detrahere studebat unus.
Sed sanctus vetat ora FRUCTUOSUS
Inclinata premi: Facessite, inquit,
Ne nostram gravet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes esolvam;
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur vestri memor ut fiam rogatis?

m struem faces ardentes admovet; flammasque excitat, quibus corpora in cineres ligerentur, ita ut fractis corporis compagibus animæ Dei desiderio tabescentes n libere cœlum peterent. Martyrum vero amici certatim ipsis præstant officia: jue unus tot inter pronus vult calceos de pedibus detrahere. Sed sanctus Episco- s vetat incurvescere; rogatque ut recedat, ne tale obsequium ipsi moriendo exhi- it molestiam. Ipse ego, inquit, me excalceabo, ne, si calceati essent pedes, lentius flammas irruerem. Unde, amabo vos, profunditis lacrymas? unde, ut vestrum



ıdl. T. Amb. *concremanda* Weitz. et al.—72 *expediret* T. W. H. B. *expedirit* eitz.—78 *Nec* Weitz.—83 *ut siem* A.—87 *rubrum* Eg.—91 *mero* A. G.—94

NOTÆ

75 *Pronus unus*] Is Augustalis vo- batur, lectorque erat sancti Fruc- osi.

79 *Pedes resolvam*] Sese excalceat majorem reverentiam: quod et imet antiqui servarunt. Juven. t. 6. 'Observant ubi festa mero de sabbata reges.' In Judæa mpe, ubi sacris operari poterat ne- ›, nec ipse Rex nisi nudis pedibus. nc Berenice nudipes apud Ieroso- nam vota persolvere legitur. Jo- ph. Bell. Judaic. lib. II.

83 *Vestri memor*] Quia ad eum qui- m Felix nomine accesserat, roga- tque ut sui meminisset. Cui Fruc- tuosus, cunctis audientibus, respondit: 'In mente me habere necesse est Ecclesiam Catholicam ab Oriente usque ad Occidentem.'

Ut fiam] Ita omnes pertinaciter. Aldus tamen ut *siem*, ne peccetur in metrum. At cum quinquies primam verbi fio corripuerit, puto nihil mu- tandum esse. Arator in hoc etiam erravit: 'Credite, vera fient, nec spe frustabor inani.' Tertullianus lib. II. contra Marcionem: 'Saxa fiunt, et semper erunt, nisi magna potestas Solverit inducto molli spi- rante rigore.' Ac apud Alcimum A- vitum de laude Virginitat prima in

Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum: velut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram cremationem,
Aut astare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur:
Stabat calce mera: resultat ecce
Cœlo spiritus, et serit loquelam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite, pœna quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit:
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis!
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter, rapidis focos crepantes
Intrant passibus, et minantur ipsis
Flammarum trepidantibus caminis.

sim memor, petitis? Pro certo habeatis me Christum pro omnium salute oraturum. Dixerat: Caligis sese exuit, imitaturque exemplum Moysis, cum in montem ascendit. Non enim ipsi fas fuit ad sacrum rubum accedere, Deumque alloqui, quin prius pedes calceis nudati essent. Fructuosus calceamenta deposuerat. Tum Angelus volat per aëra, auramque verberans emittit hæc verba, quæ omnes astantes territant: Illa supplicia, quæ nunc perferunt martyres, mihi credite, non durant in longum, vitam non labefactant, sed potius restituunt. O fortunati sane ii, quorum animæ, dum igni corrumpuntur corpora, in Dei sedes penetrant. Ignem enim infernum haud formidabunt imposterum. His auditis, martyres celeri pede sese in medias flammas immittunt, quas crepitantes minis insequi videntur. Nam vincula, quibus sanc-

credita T.—102 *crepitantibus* H. B. superscr.—112 *tunc* H.—114 *incohante* A.

NOTÆ

'fieret' producitur: 'Cum stipante choro sanctorum fieret abbas.'

86 *Velut Moyses*] Exod. III. 5. Quod nescio quis exponens: 'Jubetur calceamenta deponere, cum ob reverentiam et humilitatem, tum ad notandam in isto loco mansionem: sicut per indumentum calceorum ex loco profectio significabatur.'

91 *Calce mera*] Sic scripti. Aldus vero *Calce mero*, i. e. nudo. ut 'mero pede' apud Juven. Sat. 6.

99 *Olim fugiet*] Illud adverbium sæpe apud veteres futurum tempus denotat. Virg. Æn. I. 'Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum accipies.'

Nexus denique, qui manus retrorsum
In tergum revocaverant revinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas,
In morem Crucis ad patres levandas:
Solvit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos cum defugeret vaporus ardor,
Orant, ut celer ignis advolaret,
Et finem daret anxiis periclis.
Exorata suos obire tandem
Majestas famulos jubet, caducis
Missos corporibus, sibique reddi.

torum manus ad tergum rejectæ firme retinebantur, adusta decidunt intacta cute et incolumi; nec audent diu impedire manus, quas supplices in morem Crucis ad Deum tendere peroptant martyres. Quare non jam palmas arcent funes, ipsisque licet Deum precari. Crederes cernere tres illos pueros, quos Nabuchodonosor olim in ardentem fornacem mandavit abjici, ibique cantantes audivit stupefactus. His tamen tribus Hebræis, quod nondum esset opportunum tempus, ac vivendo magis proficerent, quod Christus, quam esset martyrio donari gloriosum, nondum monstrasset, ignis pepercit. Isti vero martyres, nam flamma ita spargebatur, ut nocere nequiret, orarunt omnium hujusce vitæ malorum finem, atque Deum obtestati sunt, ne flammas amplius hebetaret. Preoesque audivit Omnipotens. Jussit enim mortalia suorum famulorum corpora igni cito corrumpi, animasque illorum cœlum ascendere.

NOTÆ

109 *Trium*] Nempe Ananiæ, Azariæ, Misaëlis; quos Nabuchodonosor Babylonius vivos in ardentem fornacem mandavit abjici. Unde Hieron. 'Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, circa quorum sanctam cæsariem innoxium lusit incendium.' Vide sup.

115 *Vaporus ardor*] Durum sane et barbarum, pro vapor ardens, i. e. igneus. Adde quod illud vocabulum 'vaporus,' pro vaporifero, apud unum Prudentium occurrat.

120 *Sibique reddi*] Anton. Nebrissensis vult illud referri ad ipsas animas, ita ut 'sibi reddi' nil aliud sit, quam restitui sibi ipsis; 'quia,' inquit, 'dum anima est in corpore, non est sui juris. Ergo cum evadit ex corpore, restituitur sibi ipsi.' Cui assentiri nequeo. Id enim rectius de Deo intelligi mihi videtur. De quo animæ, ut ita loquar, exeunt, cum demerguntur in terram,

Vidit præsidis ex domo satelles
Cœlum Martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin et filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Cœlo vivere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palam videre
Per sudum meruit, parente cæco,
Ut crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris favillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,

Tum unus ex Æmiliani ministris cœlum apertum vidit patere martyribus, hosque sanctos per astra ferri. Quinetiam is de hoc miraculo præsidis filiam monuit, ostenditque quantum ipsius pater scelus commisisset: cum, qui in amphitheatro concremati fuerant, ii Deo jam fruerentur. Quæ virgo, licet pater nihil videret, eos per serenum aërem meruit suis oculis aspicere, ut tota familia Æmiliani scelus horresceret. Jam ergo Christiani martyrum cineres ossaque vino perfusa colligunt,



—120 *Missis* F. G. B.—121 *satellis* Eg.—126 *quo foro* Amb. *quos foro* Heins. in not.—128 *parente cæco* Amb. T. Alt. Heins. H. superscr. *patente cælo* Weitz.

NOTÆ

et ad quem vitæ tempore peracto redeunt. Vide Hymn. 10. Cathem.

121 *Vidit satelles*] Hoc in loco nonnulla mutavit Prudentius. Illius enim in actis legimus Babylonium et Mygdonium vidisse cœlum apertum, necnon ex familia Æmiliani filiam, quæ matri suæ ostendebat Fructuosum ac diaconos in cœlum ascendentes. Nulla autem fit mentio de illo satellite.

126 *Forum peremit*] In foro enim, in amphitheatris, aliisque locis publicis rei verberibus ac morte mulctabantur.

127 *Virginitas*] Nempe virgo, sive filia præsidis. Quo sensu, meo quidem judicio, Claudian. Carm. XVIII. 320. dixit: 'Trojanam sola Minervam Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.' I. e. Virgines Vestales tantum accedunt ad Minervam.

128 *Per sudum meruit*] Sic Virg. Æn. VIII. 'Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.'

Parente cæco] Modo acta Fructuosi legantur, sane codices peccasse, qui scribunt *patente cælo*, intelligemus facile. Ea sic habent: 'Cumque Æmilianum vocarent dicentes, veni et vide quos hodie damnasti, quemadmodum cœlo et spei suæ restituti sunt; Æmilianus veniens, videre eos non fuit dignus.'

129 *Domus timeret*] 'Felix' enim, ut ait Tibull. 'quicumque dolore Alterius disces posse carere tuo!'

131 *Perfusa mero*] Alludit ad antiquorum morem, qui in funeribus, combusto cadavere, ignem vino extinguebant; ita enim facilius colligebant cineres. Virg. Æn. VI. 'Reliquias vino, et bibulam lavere favillam.' Et Tibul. Eleg. III. 2. 'Et primum annoso spargant collecta

Quæ raptim sibi quisque vindicabat:
Fratrum tantus amor, domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca dividant sepulcris;
Cernuntur niveis stolis amicti,
Mandant restitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem sacrandum.
O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Hiberis.
Exultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

quas reliquias sibi raptim usurpat unusquisque. Cupide enim cupiunt Christiani domum reportare hæc sacra martyrum dona, et gratum pignus sinu ferre. Ne tamen variis in locis reliquias, quæ brevi ad vitam revocabuntur ac vivent in cælo, illi asservent; Fructuosus ejusque socii niveis stolis amicti apparent subito, qui mandant suos cineres restitui, ut uno eodemque sepulcro et permiste condantur. O tres clari Sancti, o tres venerandi Martyres, quibus ornata Tarraco alias omnes provinciæ urbes vincit gloria. Nobis vero, quod tales habeamus patronos, exultandum est: quotquot enim Pyreneis montibus adjacemus vestro tegimur præsidio. Homi-

et al. *parente cælo* W. superscr.—132 *vendicabat* Weitz.—142 *lumen* Amb.—146 *foventur* F. B.—149 *Heres* quidam. *anulla* Heins. Amb. *anila* Nom. *aniula*

NOTÆ

Lyæo Ossa.' Addam etiam veteres, cujus vellent asservari cineres, sic cadaver composuisse in pheretro, ut illius reliquiæ discretæ essent ab reliqua materia; aut lini quodam genere usos fuisse, quod igne splendescebat tantum, non absumebatur: de quo loquens Plin. lib. XIX. hæc ait: 'Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere.'

141 *Mixtim*] Semel atque iterum in sepulcrorum monumentis reperies, 'mixtis cineribus;' quibus colligimus id in usu fuisse apud veteres primævosque Christianos.

143 *Nostræ urbis*] Nam Cæsaraugusta condita erat in Hispania Tarraconensi, cujus caput erat Tarraco.

144 *Cunctis urbibus eminens Hiberis*] Quia apud veteres primum in duas Hispanias, citeriorem et ulteriorem, Hibero fluvio divisas, partita fuit Hispania. Deinde in tres, Bæticam, Lusitaniam, et Tarraconensem, quæ reliquas simul acceptas magnitudine superabat. De Pyrenæis montibus Peristeph. II. 540. not.

Circumstet chorus ex utroque sexu,
Heros, virgo, puer, senex, anulla:
Vestrum psallite rite FRUCTUOSUM.
Laudans AUGURIUM resultet hymnus,
Mixtis EULOGIUM modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camœnas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Cum te, Tarraco, FRUCTUOSUS acri
Solvet supplicio, tegens ab igni.
Fors dignabitur et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos revolvens.

nes igitur mulieresque huc accurrant; heroës, pueri, puellæ, senes, aniculæ rite canant sanctum Fructuosum. Dicant et laudes Augurii, necnon Eulogium pari voce celebrent: æquales sunt, laudentur æqualiter. Personent urbis domus auratæ, littora blandis cantibus impleantur; ipsa denique maria diem hunc festum agant, dulcique fluctuum motu agitationeque carmen pangant. Tempus erit, et illucescet aliquando dies, cum te, o Tarraco, maximæ cladis periculo liberabit Fructuosus, in die judicii ignem vindicem a te removens. Fortasse etiam, modo suaviloquos hos hendecasyllabos meminerit, exorabit meorum peccatorum veniam, et a Christo impetrabit.

Græv. *anicla* Weitz. Cellar. *anula* W. B.—153 *canenas* Weitz. et W. a m. pr. —162 *endecasyllabos* Weitz. W.

NOTÆ

149 *Anulla*] *Anula* in Thuaneo: in alio *anulla*; quomodo et Ambrosianus, ut deriventur ab anu *anula* et *anulla*. *Anicula* usitatius est. In Nomsio *anila*. Hæc Heinsius.

153 *Camœnas*] Hymnos scilicet, ut sit metonymia, cum ponimus Deum præsidem pro re cujus est præses. Ut Bacchus pro vino ponitur, Ceres pro frumento. Unde Camœnæ dicantur Musæ vide Cathem. IX. 3. not.

158 *Tarraco*] Antiquissima urbs, Thulci fluvio irrigata, et maritima.

Fructuosus] A quodam Justino presbytero in Liguriam ossa fuisse asportata Marieta scribit, et Mariana IV. 10. 'Qua causa, et tempore, incertum, sed in Ligures tamen migrarunt, servanturque non procul Genua in Benedict. cœnobio.' Domenec vero vult asservari non procul Barcinone in templo S. Matronæ Montanæ, et in templo Manresæ. Anno Christi 1372. 'Senatores Manresani, magna ante contentione conatuque consumti; demum a Guidone Portuensi Episcopo, summique Pontificis in Aragonia legato a latere, potestate impetrata 30. Augusti, magno apparatu, Manresam SS. Fructuosi, Eulogii, et Augurii ossa deportarunt.'

NOTÆ

162 *Hendecasyllabos*] 'In breviario Isidoriano hymnus iste canitur in festivitate sanctorum martyrum, licet taliter distributus ad omnes horas, ut nulli recitantium fastidium pariat: ibidemque illius conclusio: Æterno genitori gloria, Christo gloria semper, Genito, sit tibi semper compar Spiritui, qui Deus unus polles perpetuis inclyte sæculis. Amen.' Hæc Martyrol. Hispan.

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Beati Quirini Acta ex antiquis Mss. Codd. Boninus Mombritius et Laurentius Surius ediderunt, quæ cum in omnibus, quæ a Prudentio nostro habentur, conveniant, in hoc solum dissentiunt, quod illa Quirinum sub Maximo Præside statuant, Noster vero sub Galerio duce. Baronius quidem nullam hic discrepantiam agnoscit, existimans Galerium Maximinum Cæsarem ab utroque designari, quem Prudentius Galerium, Actorum vero Auctor Maximinum appellaverit. Sed eadem obstant Acta, ut observavit Ruinartius. Maximus namque in ipsis memoratus Cæsar non fuit; quippe qui jus gladii non habuisse videtur; siquidem B. Quirinum fustibus cæsum, ad Amantium Pannoniæ Præsidem misit, a quo B. Antistes capitalem sententiam accipere posset. Haud tamen eidem Ruinartio assentimur scribenti potuisse fieri ut hic Præses et Galerius Maximus appellaretur, nec tamen Cæsar esset; nam certe hæc Prudentii verba de Galerio prolata, 'Illyricos sinus urgebat ditionibus,' imperium et potestatem designant, qua ex Actis ejusmodi Præses carebat. P. Chamillardus ad Maximinum Dazam recursum habuit, quia in Actis Maximinus appellatur qui Quirinum damnaverit. Sed enim Daza ille nullo Præsidatu insignis erat, cum Cæsar, quod omnes mirabantur, fieret; neque post Illyrium rexit, sed Orientem. Lactant. Mort. Persec. c. xix. Eutrop. x. c. ii. Zosimus xi. c. viii. Itaque hoc potius pacto concilianda ista videntur, ut Poëta Galerium Maximianum Imperatorem designet; Acta vero Præsidem quendam minorem, nomine Maximinum. Ceterum S. Quirini M. præter Eusebium in Chronico, ac Martyrologia, in quibus ejus memoria recolitur die iv. Junii, meminit etiam Fortunatus lib. viii. carm. 4. ejusque mortem anno cccix. consignat Ruinartius. B. Martyris Corpus bar-

baris Pannoniam devastantibus Romam allatum est, atque in Ecclesia B. Sebastiani ad Catacumbas depositum, unde postea in Germaniam translatum fuit, et in celebri Monasterio reconditum, ut narrat Rudolphus Scholasticus in Vita B. Rabani Moguntiacen. Episcopi sæc. IV. Benedictini P. II. p. 12.

VII. IN HONOREM QUIRINI MARTYRIS EPISCOPI ECCLESIÆ SISCIANÆ.

Argumenti loco erunt verba Eusebii in Chronico.

Quirinus Episcopus Siscianus pro Christo gloriose interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata e ponte præcipitatus in fluvium diutissime supernatavit, et cum spectantibus collocutus, ne suo terrerentur exemplo, vix orans, ut mergeretur, obtinuit.

INSIGNEM meriti virum
QUIRINUM, placitum Deo,
Urbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi Martyrem
Complexu patrio fovent.

Siscia intra suos muros patrio sinu fovet ossa Quirini insignis meriti viri, qui Deo placuit, quique suo patriam ornavit martyrio. Hic, ut fama est, dum Galerius



1 *Meriti* A. Heins. Vatt. potior. H. *meritis* Weitz.—2 *placidum* W.—3 *Sis-*

NOTÆ

2 *Quirinum*] Quirinus episcopus Siscianus pro fide Christi in flumen præcipitatus est molari saxo ad collum ligato: sed lapide supernatante, cum circumstantes Christianos, ne ejus terrerentur supplicio, neve titubarent in fide, diu fuisset hortatus, ipse ut martyrii gloriam assequeretur, precibus a Deo ut mergeretur obtinuit. Pridie nonas Junii. ann. 308. Constantin. imperat. 3.

3 *Sisciæ*] Siscia urbs olim episcopalis Pannoniæ superioris ad Colapis fluvii cum Sao confluentiam; nunc pagus ex adverso Zagabriæ urbis, quæ illi suffecta est. In hac civitate Tiberius cum Messalino expeditione Dalmatica hybernarunt, teste Dione Cassio, quem locum vir longe doctissimus immerito nuper sollicitavit. Huc et trahendus nummus aureus Constantini junioris, FL. CL. Constantinus P. F. AUG. ab altera parte, SIS. Ad idem oppidum victus a Theodosio Augusto Maximus tyrannus, ac postea Aquileiæ obsessus capitis supplicio affectus est.

5 *Complexu patrio fovent*] Corpus ipsius, teste Mombrit. tom. II. in basilicam ad Scarabetenensem portam est depositum. At paulo post, cum barbari Pannonias devastarent, Romam translatum est, atque reconditum ad Catacumbas. Denique per Angilbertum Mediolanensem episcopum Mediolanum fuit delatum.

Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Urgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illustrasse per exitum.
Non illum gladii rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluvialibus
Gurges, dum rapit, abluit.

præerat Illyrico, Catholicam fidem proprio sanguine auxit amplificavitque. Is non ferro occisus est, non flammis crematus, non objectus feris; sed in flumen dejectus

ciæ Eg. Ro. Bodl. A. Torrent. duo. *Sueciæ* Weitz. W.—32 *Ductorem* Ro.—

NOTÆ

6 *Galerio duce*] Ne locus iste faciat negotium iis, qui legent acta sancti Quirini scripta apud Mombrit. tom. II. quibus ediscimus hunc martyrem passum fuisse in persecutione Diocletiani sub Maximino præside, nonnulla a me enodanda sunt. Anno igitur 304. quo Diocletianus et Maximianus deposuere purpuram, Constantius Chlorus cum Galerio Maximiano Armentario Romanorum orbem partitus est, ita ut huic Illyricum, Asia, Oriensque cederet, Constantio Gallia, Italia, Africa, qui postea Italiam et Africam collegæ remisit. Itaque Maximianus Severum Italiæ, Galerium vero, qui et Maximinus appellabatur, Orienti præposuit. Is Galerius Maximinus, de quo nunc agitur, sorore Armentarii genitus, Christianorum carnifex fuit. At tandem cum contra Constantinum et Licinium stolide bellum suscepisset, in Illyriis ab Licinio victus in Asiam aufugit, et apud Tarsum Ciliciæ horrenda morte consumtus est anno 313. 2. Quia anno ipso labente Diocletiani 18. sive ut Eusebius putat 19. nempe anno 32. gravis et quanta hactenus non fuerat, in Christianos exorta persecutio est, quæ usque ad annum 313. duravit, licet Diocletianus jam a decem ferme annis Salonas in hortos secessisset, anno scilicet 304. Diocletiana persecutio, id est, a Diocletiano suscepta, appellata est.

7 *Illyricos sinus*] Illyricum mari Hadriatico ad meridiem expositum est, a Septemtrionibus Pannoniæ conterminum, Savo fluvio separante, inter Histriam ad occasum et Macedoniam ad ortum. Sed apud recentiores in duas tantum regiones dividitur, Liburniam ad occasum, et Dalmatiam ad ortum.

11 *Non illum gladii rigor*] Mombrit. tom. II. multis de rebus cum Prudentio, Baronio, aliisque dissentit. Modo enim ipsi credamus, Galerius Maximinus Quirinum fustibus cædi jussit, cæco asservavit in carcere, ac post triduum misit ad Amantium primæ Pannoniæ præsidem, cujus imperio in flumen mersus est.

Nil refert, vitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tinguat passio Martyrem:
Æque gloria provenit
Fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidissimo
Amnis vertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Suspectant eminus e solo
Doctorem pavidi greges:
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed QUIRINUS, ut eminens
Os circumtulit, heu, suo

atque aquis extinctus. At parvi refert utrum martyr profluente finierit vitam, an sanguinis flumine. Utrobique par laus reperitur, par gloria. Quirini igitur ecclesiæ Siscianæ episcopi collo molam suspendunt carnifices, qui deinde de ponte arduo altoque eum mittunt præcipitem. Sacrum corpus cadendo fluvius excipit placidissima superficie, ac, mirum sane, molaris ille lapis aquis innatat, nec sanctus immergitur. Pavidi Christiani, (nam frequens populus multitudoque hominum curvatas ripas occupaverat,) eminus e terra spectant Quirinum, qui mutuo caput eminens ad



37 *suo Exemplo* Weitz. Heins. Scalig. animadv. in Chron. Euseb. *suos Extemplo*

NOTÆ

23 *Fluvio*] Nempe in Sybarin mersus est Quirinus: de quo Ovid. Met. xv. 315. 'Crathis et huic Sybaris nostris conterminus oris Electro similes faciunt auroque capillos.' Et Plin. xxxi. 11. 'In Thuriis Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus.' De natatibus Cathem. v. 143. not.

32 *Doctorem*] *Ductorem* in Rottendorphio. Utrumque recte de episcopo dicitur.

34 *Sinuamina*] Neminem, nisi fallor, reperies, qui hoc vocabulo usus fuerit.

37 *Suo exemplo*] Nam in Chronico, 'ne suo terrerentur exemplo.' Sca-

Exemplo trepidos videt,
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mitificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis,
Nec substrata profunditas
Saxoque et laqueo et viro
Audet sponte dehiscere.
Sensit Martyr Episcopus,
Jam partam sibi præripi
Palmam mortis et exitus,
Ascensumque negarier
Æterni ad solium Patris.
Jesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut nova,
Calcare fremitum maris,

gregem flectit. Verum, eheu omnes timere, ne pariter pastoris exemplo mittantur ad mortem, animadvertit. Tum sui immemor periculi mortisque imminentis afflictos animos erigit, verbisque gravibus hortatur ut abjiciant timorem, suamque fidem constanter servent, denique pro certo putent Deum hominum labores compensare. Dum hæc loquitur, fluminis superficies illum vehit sustinetque, ita ut subjecta unda, licet mola, fune, ac corpore prematur, hiare non audeat. Quirinus sentit e manibus jam partam victoriam eripi palmamque martyrii, sentit et, quod ipsi aqua parcat, cœlum nondum ascendere. Quare Christum alloquitur: O Jesu, id tibi nec novum est nec inusitatum maria pedibus ambulare, et aquarum cursum sistere.

Ed, Amst. 1631. *suos Exemplo* T. W. B. *tuos Exemplo* A. Amb.—42 *mitificis*

NOTÆ

liger quoque ad eundem Chronici Eusebiani locum, 'heu suo exemplo trepidos.' Ne legas ergo cum multis, *heu suos Extemplo trepidos videt.*

42 *Mitificis* [*Mirificis*] *Mitificis* probe scripti, et in his Ambrosianus. Sic Silius Italicus lib. XII. 'Exequiæ tantum famam nomenque volentem Mitificæ mentis tenuerunt funere læto.'

59 *Calcare fremitum*] Scripti non agnoscunt τὸ *et*: bene. Sic mille lo-

Prona et flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum,
Cum vestigia tingueret
Mortali trepidus pede;
Dextræ subsidio tuæ
Subjecisse salum solo.
Jordanem quoque novimus
Tortis vorticibus vagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis, Domine; ut modo
Suspendor, leve prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Jam plenus titulus tui est
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet stupor:

Scio Petrum Apostolum olim pedibus calcasse pelagum, cum ipsi potentem manum porrexisti; nam, quod prius dubitasset, paululum aqua aspersus fuerat. Scio Jordanem, qui, quod sinuosus fluat, quamplurimas alluit regiones, refugas in caput suas aquas egisse, quæ rapide dilabebantur. Scio denique una tua virtute me mire flumini innatare, nec imum petere, licet mola rapiat præcipitem. Sed jam abunde gloria tua manifesta est, tuaque potestas: jam tui inimici hoc stupent miraculo.

Heins. Amb. et al. *mirificis* Vulg.—73 *Suspendar* Weitz.—77 *Jam vis* Bodl. —78 *Qua gentilis hebet* Weitz. Vat. un.

NOTÆ

cis Noster. Paulo ante, ‘Nil ipse proprii memor.’

61 *Scimus*] Quomodo Christus super aquas ambulans Petrum mergentem erexerit, narrat sanctus Matthæus cap. XIV. Ipse vero Prudentius fusius describit in hymno ad incensum cerei Paschalis quo miraculo Jordanis refugas in caput suas aquas egerit.

63 *Dextræ subsidio tuæ*] Quare Ambrosius de interpellat. I. 5. ‘Ipse est dominus, qui cœlum solus extendit: qui ambulat tanquam in pavimento super mare: cum Petrus vidit eum ambulantem, et dixit: Domine, jube me venire super aquas. Et jussit Dominus. Sed ille titubavit; et nisi Dominus ei porrexisset dexteram, dimersus fluctibus occidisset. Titubavit caro; salvavit dextera. Fides ergo ambulavit in Apostolo, non caro. Denique fides titubavit, et caro sentire cœpit naufragium.’

Absolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras.
  Quid possis, probat amnicus,
Qui vectat silicem, liquor,
Hoc jam quod superest cedo,
Quo nil est pretiosius
Pro te, Christe Deus, mori.
  Orantem simul halitus
Et vox deserit et calor:
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum,
Corpus suscipiunt aquæ.

Concede igitur, o bone Jesu, ut anima quamprimum voti sui compos sit, atque e vita exeat. Is amnis, cum tam ingenti lapidi non cedat, quid possis demonstrat. Da id, quod superest, nempe mori pro te. Nihil, o Christe, magis est desiderabile. Deum adhuc orabat; verum halitus ipsi defuit, et vox, et calor. Tum anima tenet cœlum, et corpus molæ pondere fertur in profundum, atque aquis tegitur.

NOTÆ

83 *Cedo*] Terentius quoque 'Cedo' imperativum posuit in Phormione pro Da. 'Quin tu mihi argentum cedo. Immo uxori tu cedo.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

PARVO huic Hymno loci notam, Calagurri scilicet, ubi Baptisterium hic celebratum situm erat, apposuit Heinsius ex Cod. Oxonio, atque duobus Weitzii Egmondano et Widmanniano. Id non ignoravit Chamillardus; fatetur enim; et tamen contendit quod non alius hic locus designetur, quam carcer Mamertinus Romæ extans, quem fuse describit. Mira sane hominis confidentia. Non enim vetustissimum aliquem Codicem, quem tribus illis opponat, vidit, nec ullam omnino profert rationem, qua Heinsii lectionem destruat, suam confirmet. Sed enim Vaticanus unus, sane præstantissimus, eandem loci notam habet; unde de veritate Heinsianæ lectionis dubitandum non est. Weitzius mutilum hunc Hymnum ob nimiam brevitatem suspicatus est; sed nullum in tot probatissimis Codicibus mutilationis vestigium apparet.

VIII. DE LOCO QUO MARTYRES PASSI ERANT: NUNC BAPTISTERIUM EST CALAGURRI.†

ELECTUS Christo locus est, ubi corda probata
 Provehat ad cœlum sanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum, Domini pro nomine cæsi,
 Martyrium pulchra morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
 Ac veteres maculas diluit amne novo.

Christus sibi locum elegit, ubi et probatos homines in cœlum evehit, et alios purgat salutiferis baptismi aquis. Hic duo inclyti martyres pro Christo cæsi pulchram mortem obierunt. Hic quoque largus fons exsiliit, cujus undis elutæ fuere veteres peccatorum maculæ. Qui ergo cœlum ascendere ardenter appetunt, huc cupidi



† *Calagurra* Eg. W.—1 *locus hic* Weitz. Eg. P.—10 *tunc lætæ* H. su-

NOTÆ

1 *Locus*] Quanquam Heinsius addiderit Calagurri, nitaturque auctoritate codicum Oxonii, Egmondani, et Widmanniani, puto tamen de carcere Mamertino locutum fuisse Poëtam; atque ad id adducor, quod Prudentius ætate provectus, ac dum delectabat se cum Musis, petierit Romam, ut tum in passione Cassiani scribit, tum in Hippolyti martyrio, ac domum reversus multa, quæ Romæ viderat, aut in via, celebrarit carminibus. Restat igitur ut, quantum in me erit, paucis complectar, quæ de illa custodia dixere scriptores. Carcer Mamertinus ad radices Capitolii, supra locum quem hodie forum dicunt, positus est; sic dictus vel a Mamerte, qui (ut docet Varro lib. IV.) idem quod Mars, vel ab aliquo ex Mamertinis. In hunc carcerem jussu Neronis Petrus et Paulus missi sunt anno 66. ibique Processus et Martinianus milites, Apostolorum custodes, a Petro ad fidem conversi, ab eodem sacro baptismate initiati sunt, erumpente divina virtute ex petra fonte, qui usque in hanc diem perseverat. Hi duo milites postea martyrio donati sunt sexto nonas Julii ann. 67. Cum autem ad longum tempus detinerentur Apostoli, atque a Christianis Romæ agentibus atque aliis inviserentur, evangelium prædicarunt, male se habentes curarunt, ac denique baptizarunt alios quadraginta septem, quos Nero pariter morti dedit pridie Idus Martii. Quare nobilitatus carcer tum vinculis sanctorum Apostolorum, tum hoc duplici miraculo, ab omnibus Christianis, religionis ergo, frequenti cœtu invisitur, atque habetur in honore. Nullam jam, nisi me fallat animus, locus iste patietur difficultatem.

3 *Hic duo*] De Apostolis Petro et Paulo, aut de Processo Martinianoque id intelligi potest. Ii tamen via Aurelia occisi fuere, illi juxta obeliscum Neronis in monte, ut infra dicemus.

6 *Veteres maculas diluit amne novo*] Tale illud Fortunati in hymno de Re-

Qui cupit æternum Cœli conscendere regnum,
  Huc veniat sitiens: ecce parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
  Atria, nunc lotæ celsa petunt animæ.
Spiritus ætherio solitus descendere lapsu,
  Ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros aut fonte aut sanguine rores,
  Exundatque suo jugiter uda Deo.
Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque
  Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.
Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi,
  Evectus gladiis alter, et alter aquis.

accurrant: iter apertum est. Ex hoc loco olim martyres jam corona donati cælum petiere, nunc vero animæ baptismale lotæ in Dei sedes penetrant. Qui Spiritus Sanctus tam sæpe e summo cælo delapsus iis coronam imposuerat, is alteris dat veniam. Hæc terra irrigua est aut sacris baptizatorum aquis, aut martyrum sanguine; ac semper ad Dei gloriam imbuta est. Christus, cujus e lateris vulneribus et fluxit sanguinis copia et aqua simul, tenet hunc locum possidetque. Hinc in cælum penetrabitis per Christi vulnera, alteri martyrium tolerando, alteri sese dando aquis baptismi abluendos, uti unusquisque poterit.

perscr.—11 *æterno* quidam.—13 *Hausit* H.—14 *unda* Weitz.—17 *prout quisque* Weitz.—18 *Devectus* A.

NOTÆ

surrectione Domini: 'Candidus egreditur nitidis exercitus undis, Atque vetus vitium purgat in amne novo.'

14 *Uda*] Hactenus, *jugiter unda Deo*. Inconcinnum vero omnino illud, *exundat unda*.

15 *Vulnere utroque*] Jam supra in hymno de miraculis idem cecinerat, utrumque latus perforatum fuisse. 'Hinc cruoris,' inquit, 'fluxit unda, lympha parte ex altera: lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.'

16 *Hinc cruor effusus fluxit*] Ambros. lib. de Benediction. Patriarch. cap. 4. 'Ipse est vitis, ipse uva, vitis ligno adhærens. Uva; quia lancea militis apertum latus emisit aquam et sanguinem. Sic enim dixit Joannes: Quia exivit de eo aqua et sanguis. Aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis redemit.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Præter ea, quæ de S. Cassiano Forocorneliensi habentur apud Mombritium et Surium die 13. Augusti, e Poëta nostro, uti videtur, exscripta, alia quædam ejusdem Acta in Notis ad Martyrologium Rom. invenisse se tradit Card. Baronius, in quibus S. Martyr Episcopus Brixinensis, ita enim legendum, non Brixiensis, fuisse dicitur, qua ex urbe pulsus, cum Imolam venisset, et pueros instrueret, comprehensus, necatus est; sed alias ob causas, tum etiam quod nusquam apud veteres Cassianus Imolensis Episcopis accenseatur, ejusmodi Acta suspecta Ruinartio; nec eorum ullam rationem habuit gravissimus auctor P. Carolus Masini Congr. Orat. de urbe Presbyt. in novissima Sanctor. eorumque gestorum collectione Romæ prima vice lingua Italica vulgata anno 1763. Cum vero Prudentius, præter quem alium neminem habemus, cui fidem tuto accommodare possimus Martyris tempus et annum nullatenus indicet, incertum remaneat oportet. De genere supplicii, ejusque acerbitate plura habet Baronius in Notis ad Martyrol. die 13. Augusti. Ejus corpus Imolæ in Ecclesia Cathedrali sub majori Altare asservatur, ac festum agitur die prædicta. Non multos ante annos Antonius Roschmannus Ænipontanæ Bibliothecæ Custos figmentum de Episcopatu Sabionensi, seu Brixinensi hujus S. Cassiani M. rursus in medium protulit, atque ut suaderet nil intentatum reliquit. Sed omnes ejus conatus elusit irritosque reddidit Hieronymus Tartarotti Epist. egregie scripta, validisque fulta momentis, ac Venetiis edita an. 1750.

IX. PASSIO CASSIANI FOROCORNELIENSIS.

Romam petens Poëta, cum Imolam pervenisset, ubi S. Cassianus colebatur, ejus martyrii historiam in pariete depictam vidit, quam eleganter more suo describit, addens in fine quam validam hujusce Martyris intercessionem expertus ipse fuerit.

Sylla Forum statuit Cornelius: hoc Itali urbem
Vocitant ab ipso conditoris nomine.

Cornelius Sylla condidit forum, cui ipsum conditoris nomen dedere Itali, voca-

Hic mihi cum peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum fore.
Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato CASSIANUS corpore.

runtque illud forum Cornelii. Cum ad Romam, omnium rerum principium culmenque, iter dirigebam; hoc in foro eam spem concepi Christum mihi propitium fore. Nam forte humi jacebam, orabamque ad tumulum, in quo sacrum Cassiani martyris

NOTÆ

Cum, ut hic Hymnus intelligatur, necesse est aliquam veteris scribendi modi notionem habere; omnibus non injucundum fore existimavi, si ea de re dicerem nonnulla. Variæ quidem scribendi fuere consuetudines; veteres enim in cortice, papyro, pergameno corio, aut in frondibus arboreis scripsere primis temporibus: præcipue tamen tabulis ceratis usi sunt, in quibus styli auxilio formarunt literas. Stylus autem erat æneus, cujus pars una erat acuta, ut facilius ceræ partes dividerentur: altera obtusa, ut id, quod acumine seu acie styli exaratum erat, deleretur, et cera rursus complanaretur. Unde Horatius monens ut sua quisque scripta mutet, limet, corrigat, et emendet, hanc loquendi formulam adhibet: 'Sæpe stylum vertas.' Est enim stylum vertere, scriptum mutare, inducta priore scriptura. Et Plaut. Bacchid. 15. 'Atque effer cito stylum, ceram, et tabellas, et linum.'

1 *Forum*] Forum Cornelii, seu Forum Syllæ a Cornelio Sylla dictatore, qui ibi primus forum instituit, ita dictum, oppidum fuit Lingonum, in Gallia Cispadana, nunc in Romandiola, in limite agri Bononiensis et Ducatus Ferrariensis, sub dominio summi Pontificis.

Cornelius Sylla] Satis notus tyrannide qua oppressit Rempublicam: ita ut, teste Cicerone, nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere potuerit. Quæsturam sub Mario adeptus est, bis consul fuit; missus a Mario ad Bocchum regem legatus, Jugurtham vinctum retulit; Mithridatem Asiam crudelissime vastantem compescuit; socialis belli luctus repressit; Cinnæ dominationem fregit; Dictator effectus est; ac denique Republica constituta dictaturam deposuit, et privatus Puteolos concessit; quo in loco pediculari morbo periit.

Itali] Italia regio est Europæ notissima, inter Hadriaticum sinum, et mare Tyrrhenum: atque a Gallia et Germania discreta Alpibus. De Roma vid. Præf. 41. not.

5 *Stratus humi tumulo advolvebar*] Quanta pietate, quanta religione olim Christiani martyrum sepulcra inviserint, complexi fuerint, atque osculati, pluribus ostendi hymn. S. Laurent. vs. 520.

6 *Cassianus*] Is Brixinensis civis erat et episcopus, qui inde pulsus, Romamque veniens, Foro-Cornelii consedit, ibique ludum literarium aperuit. Quidam voluerunt ordinatum fuisse episcopum a Fortunatiano episcopo Aquileiæ: quibus assentiri nequit Baronius, quod Fortunatianus secta fuerit Arianus, ut testatur Hieron. Cassianus mortem obiit anno 362. Idibus Augusti, Juliani Imperat. jussu, qui prohibuerat Christianos docere. De Ephebo Cathem. IX. 43. not.

Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, et omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis:
Unde, pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Æditnus consultus ait: quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studiis puerilibus, et grege multo
Septus, magister literarum sederat.

corpus conditum erat. Lacrymans quoque redibam in memoriam meorum peccatorum, vitæ ærumnarum, omniumque miseriarum. Tum ergo ad cœlum oculos tendo, atque obviam mihi fit imago Cassiani in tabula belle picta. Martyr consumtus erat mille vulneribus, omnia illius corporis membra luxata, in cute undique parva patebant foramina. Denique puerorum multitudo, o aspectus miserabilis, in corpus immittebant suos parvos stylos, quibus olim ceratas tabellas percurrendo scholare pensum annotarant scripserantque. Æditunm quid hoc rei sit interrogo. Ipse mihi respondet; quod vides, o advena, id nec commentitium est, nec sine causa parietibus fixum. Ut rem pinxit pictor, ita in libris inscribitur, atque hac tabula majores nostros veros fuisse agnoscimus. Cassianus itaque scholas habuerat, et sæpe ad illum quamplurimi adolescentes adierant, quos docuerat seu cuncta verba minuto

2 *Vocant* Weitz.—14 *Concessa* T.—15 *præcurrere* A.—17 *Æditimus* B.

NOTÆ

10 *Picta imago martyris*] Ex hoc hymno colligitur Christianos primis temporibus pictas sanctorum imagines ad parietes templorum affixisse, atque invocasse sanctos. Sed de his fusius infra in Hippolyto.

14 *Confossa membra figebant*] Quanquam Heinsius nil immutandum esse censeat, mallem tamen, *concessa*, ut in Thuaneo. Id enim historiæ magis est consentaneum.

15 *Pugillares ceras*] Tabellæ cereæ, dictæ, quod stylo in his pungendo scribatur.

21 *Grege multo*] Constat apud omnes illud nomen pro ipsa hominum multitudine accipi. Ter. in Eun. 'Unum etiam hoc vos oro, ut me in gregem vestrum recipiatis.'

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta et tristia visa
Impube vulgus moverant ira et metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulla disciplina infantiæ est.
Ecce, fidem quatiens tempestas sæva, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu e medio moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset alto tam rebellis spiritu;
Respondent: agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captivum ducite, et ultro
Donetur ipsis verberator parvulis.

literarum ductu repræsentare, seu verba contrahendo punctis quibusdam pusillis magistrum aliquid dictantem sequi. Quod autem aliquando aspera daret præcepta, severosque vultus indueret, suis auditoribus movebat stomachum aut metum afferebat. Omnis enim præceptor odiosus est adolescentibus, qui a nullo accipere disciplinam cuperent. His temporibus nova orta est persecutio, ac tyranni in Christianos graviter sævierunt. Hos inter, qui mortem pro Christo subierunt, Cassianum ludimagistrum, quia intrepide aris thura dare denegasset, seclusit præses. Cumque is quibusnam martyrem suppliciis coërceret reputaret secum, inquirit hujus tam pervicacis hominis rebellisque artem et studium. Ipsi respondent aliqui, olim juventutem formasse ac erudiisse pueros ad recte scribendum. Adducite igitur Cassianum,



Weitz.—25 *tristia jussa* Weitz. A. F. B. sed in B. *visa* superscr.—36 *Strictis*

NOTÆ

23 *Verba notis*] Duobus his versibus duplicem scribendi modum explicat, quorum primus Gallice dicitur, *écrire en abregé:* alter vero, quique apud antiquos usitatus erat, *écrire par chiffres.*

25 *Tristia visa*] *Jussa* scripti plerique. Ambros. tamen *visa*, ut et Nomsius; et facit ad excusationem martyris, tanquam præcepta ejus revera aspera ac tristia non essent, sed discipulis talia viderentur.

27 *Doctor amarus*] Conferas velim hos versus verbis Ambros. Hexaëm. VI. 6. 'Pædagogi parvulis amari videntur; acerbi et molesti, formidabiles verbere; libertatem lasciviendi negant; necessitatem disciplinæ exigunt; pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore constringunt.'

36 *Fictis signis*] Quidem legunt, *strictis signis*, nec male.

Ut libet, illudant, lacerent impune, manusque
  Tinguant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis, volupe est, ut præbeat ipse,
  Doctor severus quos nimis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
  Adest acutis agmen armatum stylis.
Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
  Effundit ardens felle tandem libero.
Conjiciunt alii fragiles inque ora tabellas
  Frangunt : relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
  Rubetque ab ictu curta et humens pagina.

exclamat tyrannus ; et jam vice versa magister in scholasticorum potestatem tradatur. Huic illudant, lacerent impune, libereque istius magistri sanguine manus suas satient, per me licet ; quin etiam id mihi erit voluptati, cum plagosus ille præceptor ludibrio erit et despectui discipulis, quos quondam minis insequebatur. Dixerat, tortores martyris manus post terga vinciunt, rescinduntque vestes. Tum ipsius auditores acutis stylis armati advolant ; atque unusquisque omne odium, quod in sinu servarat, jam ardens tuto et sine metu saturat. Hi lapidibus appetunt, isti illius vultum feriunt tabulis, quarum lignum fissa fronte dissilit. Alii genas cruore perfusas ceratis buxis percutiunt, quo ictu buxa crepant, brevis et humida pa-

Ro. Torrent. tres.—41 *volo sese* Weitz. et al. *volo per se* H. B. W. in marg. —42 *minis* Cellar. T.—43 *Ductor* Amb.—46 *tantum* A.—47 *ore* B. Weitz. —50 *curva tumens* Weitz. *curve tumens* H. *curva et humens* C. *chartæ et umens*

NOTÆ

38 *Donetur ipsis parvulis*] Idem Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, in Catalogo Sanctorum II. 75. de Felice in Pincis refert : 'Felix presbyter, et martyr pronomine dicitur in Pincis, a Subulis, quibus passus perhibetur. Nam Pinca dicitur Subula. Nam cum magister puerorum extiterit, et eis nimium rigidus fuerit, tentus a paganis, cum Christum libere confiteretur, traditus est in manus puerorum, quos docuerat in ecclesia, quem ipsi cum stylis et subulis occiderunt.'

Verberator] Illud vocabulum apud unum Prudentium reperies.

40 *Feriatas manus*] Quietas atque otiosas manus. Nam, quod Cassianus in carcerem conjectus fuerat, vacabant scholæ, nullumque pensum scholare pueri persolvebant. Quo sensu Cicero lib. I. de N. D. 'Deum sic feriatum volumus cessatione torpere.'

41 *Volupe est*] Sic Plautus Ruden. act. IV. 'Benefactum, et volupe est,' i. e. jucundum est, 'hodie me his mulierculis tetulisse auxilium.' Nec a Weitzio immutandum fuit : *Ludum discipulis volo sese ut præbeat ipse.*

46 *Felle*] Pro odio, furore, aliisque animi agitationibus fel ponitur ; quia is humor, ut docent medici, præcipue affert in animis motus et appetitus. Claud. Carm. XVII. 225. 'Cum viscera felle Canduerint, ardet stimu-

Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant,
  Qua parte aratis cera sulcis scribitur:
Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti
  Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, et inde secatur:
  Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
  Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.
Major tortor erat, qui summa pupugerat, infans,
  Quam qui profunda perforarat viscera.
Ille levis, quoniam percussor, morte negata,
  Sævire solis scit dolorum spiculis:
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
  Plus dat medelæ, dum necem prope applicat.

gina rubeat: alii graphia assumunt, et vibrant ferrea acumina, quibus in cera literas exarabant scribebantque. Superiore vero styli parte, qua literas delebant, et rursum complanabant ceram, martyrem fodiunt, secant, lacerant, ipsius mollia diripiunt viscera, cutem rumpunt. Quid plura. Manus ducentæ simul sacrum illud corpus laniant; necnon guttæ sanguinis ducentæ fluunt per vulnera. Puer autem, qui cutis tantum superficiem pungebat, eo, qui intima solvebat viscera, crudeliori supplicio Cassianum mactabat. Is enim, quod vires deficiant, mortem non infert martyri, sed acuto doloris morsu cruciat atque opprimit. E contrario qui in pectus aut in præcordia penetrat, illum solatur: tum enim imminere mortem im-



Amb. *curva tundens* F. *custe tumens* P. *curta et umens* T. Heins.—57 *fixere cruentæ* S. A.—61 *percursor* B.—62 *sole* W. B. H. superscr.—71 *jam millia*

NOTÆ

lis, ferturque nocendi Prodigus, ignarus causæ.'

49 *Buxa*] Hæc buxus, vel hoc buxum, arbor nota, quæ propter materiæ densitatem facile tornatur et excavatur. Unde Apul. I. Apol. 'Cum apud eum multas geometricas formas e buxo vidissem subtiliter et affabre factas.'

Cerata buxa] Unde Ambros. Hexaëm. III. 13. 'Buxus quoque elementorum apicibus utilis exprimendis, levi materia, usum manus puerilis informat. Hinc ait Scriptura: scribe in buxo.'

50 *Curta et humens*] Alii, *Curva tumens:* alii, *curta tumens.* Sed rectius Thuaneus, *curta et humens.*

51 *Acumina ferrea*] Pars enim styli, qua scribebant antiqui, acumen dicebatur. Cic. de Orat. 'Omnia sub acumen styli subeant necesse est.'

54 *Area*] Spatium omne vacuum, planum, atque æquale area dicitur, necnon æquor. 'Quid tam planum,' ait Cic. 'quam mare? ex quo etiam æquor illud vocant poëtæ.'

Este, precor, fortes, et vincite viribus annos:
  Quod defit ævo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener, infirmusque laborat:
  Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam: tute ipse magister
  Istud dedisti ferrum, et armasti manus.
Reddimus ecce tibi tam millia multa notarum,
  Quam stando, flendo, te docente, excepimus.
Non potes irasci quod scribimus: ipse jubebas
  Nunquam quietum dextera ut ferret stylum:
Non petimus toties te præceptore negatas,
  Avare doctor, jam scholarum ferias.
Pangere puncta libet, sulcisque intexere sulcos,
  Flexas catenis impedire virgulas.

pendereque videt. Quare agite, o pueri, erigite animos, vires ætati non respondeant. Si anni desunt, non deest sævitia. Sed, heu, frustra conantur, frustra præceptori debiles manus intentant; ipsorum quippe defatigatur corpus, martyris vero dolores augentur. Jam accipe novum supplicii genus. Unus hos inter scholasticos Cassiano illudens, cur quereris, exclamat, o pædagoge? tu ipse stylos, graphia, et arma dedisti. Tibi mutuo reddimus tot notas, quas tanto labore, tantisque lacrymis tabulæ insculpere a te didicimus in Gymnasio. Quid est quod irascaris, scribimus? Nonne tu nos monuisti nunquam quietum stylum manu tenere? Jam absint induciæ, jam absit scholarum cessatio, quam sæpe, o avare magister, nobis olim petentibus denegasti. Nobis hodie libet puncta apponere, sulcos alte imprimere, flexasque virgulas styli ductu conjungere. Per nos tibi licet inspicere tam

F. *nunc millia* A.—72 *Quæ* A. F.—74 *ferre* P. C. Alt. *fere* Amb.—77 *Pingere*

NOTÆ

77 *Pangere puncta*] Nempe figere, apud Livium lib. VII. 'Lex vetusta est, priscis literis verbisque scripta, ut qui Prætor maximus sit, Idibus Septembris clavum pangat.' Passim quoque, 'pangere plantam,' apud rei rusticæ scriptores.

78 *Catenis virgulas*] Hic locus aut refertur ad notas illas compendiosas, quas Tiro Ciceronis libertus excogitasse perhibetur: unde notarii dicebantur, qui aliquo orante verba singula excipiebant notis designata. Ea velocitas in pretio erat. Mart. XIV. 208. 'Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.' Atque ut ab omnibus id facilius intelligeretur, aliquot verbi *facio* personas illis Tironianis notis designatas ante oculos posuit Domnus Mabillon. Aut ad antiquissimum genus Runicæ scripturæ, quam, a Rynner voce prisca sulcos significante, dictam fuisse putat Olaus Wormius, quæ scriptura postea Gothica appellata est, quoniam Gothi, antequam Ulfilanis literis uterentur, ea utebantur. Venantius

Emendes licet inspectos longo ordine versus,
  Mendosa forte si quid erravit manus.
Exerce imperium: jus est tibi plectere culpam,
  Si quis tuorum te notavit segnius.
Talia ludebant pueri per membra magistri,
  Nec longa fessum pœna solvebat virum.
Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
  Jubet resolvi pectoris ligamina.
Difficilesque moras animæ, ac retinacula vitæ
  Relaxat, artas et latebras expedit.
Sanguis, ab interno venarum fonte patentes
  Vias secutus, deserit præcordia:
Totque foraminibus penetrati corporis exit
  Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc sunt, quæ liquidis expressa coloribus, hospes,
  Miraris: ista est CASSIANI gloria.
Suggere, si quod habes justum vel amabile votum,
  Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.

longo ordine scriptos versus atque emendare, si forte mendosæ nostræ manus aliquid peccaverint. Imperium exerce, tuum est errata corrigere, si tuos inter auditores aliquis segnius notas in te insculpserit. Ita pueri pædagogum suum irridebant: certatimque lacerabant ipsius membra, nec tamen tam longo cruciatu peribat martyr. At Christus Cassiani sortem miseratur, atque ab æthere jubet solvi carnis compages, vincula corporis relaxari, vitæ omnia abrumpi retinacula; jubet denique nihil inferre moram animæ et impedimentum, ut ex his latebris erumpat. Tum sanguis emicat per mille foramina, ac detractus venis corpus relinquit. Vivus et calor corporis anhelans exit per tot crudelia vulnera. Hæc omnia, o advena, pictor suo penicillo pinxit; hæc tabella imaginem Cassiani mortis repræsentat. Jam martyrem invoca, si æquum aliquod honestumque exoptas, si habes aliquid in spe,



Weitz. W. *Pungere* A. *intendere* H.—88 *artus* A. *istas* P.—96 *Tibi si qua spes est* G. *Spes si tibi est qua* F.—98 *reddet* Weitz. *vidit* H.—104 *forte* qui-

NOTÆ

Fortunatus de his loquens hæc ait: 'Barbara fraxineis pingatur Runa tabellis, Quodque papyrus agit, virgula plana valet.' Denique fortasse et hic poëta loquitur de scribendi ratione plane singulari, qua Galli usi sunt usque ad tempora Chlodovei. Ea enim ita effingebatur, ut crederes unumquodque verbum virgula quadam connecti. Domnus Joan. Mabillon ord. S. Bened. vir literatus atque in omnium antiquitatis scripturarum usu maxime versatus librum edidit de re diplomatica cui nihil addi potest, quod illarum scripturarum specimina tabulis 60. comprehensa dederit. Qui plura cupit ediscere, illum adeat consulatque.

Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro:
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri sorte nutantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris successibus utor:
Domum revertor, CASSIANUM prædico.

si gratiam aliquam petis. Mihi crede, ille martyr omnium preces audit benigne, ac, modo justæ sint, iis annuit. Dixerat æditaus. Hoc consilium accipio: complector lacrymisque conspergo tumulum, osculis altare, sepulcrum corpore tepefacio. Tunc percenseo id omne, quod mihi molestum erat et laboriosum, omnes spes meas, omnes postulationes, omnes formidines expono. Refero quomodo dubia sub sorte domo exierim forte incerta futuri boni spe adductus. Audior, Romam peto, prosperos successus dat martyr. Tandem domum reverti, et cecini Cassiani laudes.

dam.—105 *urbe* Ro.

NOTÆ

96 *Spes si qua tibi est*] Solito hiatu. Non male tamen Giselinus legit; *Tibi si qua spes est.*

105 *Urbem adeo*] Heinsio levis est suspicio, *Urbe abeo*, Foro Cornelii, legendum esse. Sed nihil immuto.

Passio Sancti Romani] Hunc hymnum separant codices nonnulli a ceteris hymnis περὶ στεφάνων. Atque in Rottendorphio ultimum hoc poëma est inter hymnos.

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

NONNULLI Codices hunc Hymnum a ceteris sejunctum exhibent, deque eo librum fecerunt Oxonius et Thuaneus, utique ob prolixitatem, qua non alios tantum Hymnos, sed et libros ipsos exsuperat; quin Ambrosianæ Schedæ primos triginta versus nomine præfationis indigitant. Sed hujusmodi incommodum abunde repensant tum mira rerum varietas vivis expressa coloribus, tum multiplex eruditio ac sententiarum gravitas Christiano homine dignissima; ob quæ jure merito a Fabricio ceteris Hymnis prælatus est. S. Romani Martyris, cui Hymnus dicatus, Acta, quæ apud Mombritium habentur, inter Sincera a Ruinartio collecta, locum

habere non potuerunt, proque iis exhibet Auctor, quæ Eusebius Cæsariensis de B. hoc Martyre habet lib. II. De Resurrectione et Ascensione Domini, quibus jungenda monet quæ de S. Romano ab eodem Eusebio traduntur lib. De Martyribus Palæstinæ c. 2. atque ex iis colligit eum Antiochiæ quidem passum an. 303. sed genere Palæstinum fuisse, Cæsariensis Ecclesiæ Diaconum et Exorcistam. Cum autem, quæ ad infantis Martyrium in hoc Hymno celebratum pertinent, in neutro Eusebii loco habeantur, ea ex Prudentio nostro supplet. Atque hoc Eusebii de infante silentium potissima est Baronii ratio, qua in Notis ad Martyrol. Rom. XIV. kal. Decembris probare conatur duos Romanos Martyres extitisse eadem in Civitate, eadem die, atque eodem mortis genere affectos, ex quibus unum Prudentius aliique deinceps Scriptores conflarint. Quæ sententia Ruinartio parum probatur, quem vide. Baronio astipulati sunt Chamillardus et Cellarius, alia tamen ducti ratione, sed plane infirma. Eusebius, aiunt, lib. De Palæst. Martyribus c. 2. Romani Martyrium contigisse scribit cum vicennalia instarent, quo Diocletianum Imperatorem notavit. Prudentius vero Galerium tum temporis imperium rexisse tradit vs. 31. Verum facilis responsio est. Cum anno 303. quo ex citato Eusebii loco Romanus Martyrium passus est, Galerius, licet nondum Imperator et Augustus, Cæsar tamen esset, potuit et Imperator et Augustus nuncupari, quomodo eum ipse Eusebius appellat lib. VIII. Histor. Eccl. ubi agit de persecutione a Diocletiano et Maximiano excitata. Addi etiam et illud potest, ideo a Prudentio Galerium potius, licet nondum Augustum, nominatum fuisse, non Diocletianum, quia ejus persecutionis fax ipse et concitator fuerat. S. Romani Martyris memoriam apud Græcos et Latinos celebrem olim fuisse, præter antiqua quæque et recentiora Menologia et Martyrologia, probant Sanctorum Patrum opuscula, in quibus de eo cum laude meminerunt. Nam hunc celebrat Chrysost. Tom. I. Orat. 43. 44. Euseb. Gallicanus Serm. 50. Tom. V. Biblioth. Patrum, ac Theodoritus Epist. 135. ad Timotheum Episcopum. His adjungendi sunt Hispanici Patres in celebri Muzarabum Missali, ubi sicut et in Martyrologiis et Menæis die XIV. kal. Decembris Romani festum recolitur.

X. PASSIO S. ROMANI MARTYRIS.

B. Romanus, Gentiles in Ecclesiam Christianorum irrumpere volentes conatus impedire, ad Judicem raptus, mira libertate Deos Deorumque sacra irridet et evertit, ac Christianam Religionem libero ore commendat et profitetur. His incensus Præfectus plumbatis, ungulis, fidiculis, aliisque tormentorum generibus fortem virum afficit, nihil de sua constantia remittentem: quæritur deinde puer qui dicat unus an plures Dii colendi sint: unum fassus ille, cæditur ac capite plectitur, spectante matre et hortante, Romanus vero, iterum multumque laniatus, igni immittitur, quem imber illapsus extinguit; tandem lingua exsecta, cum non minus articulate quam antea loqueretur, strangulatus in carcere est.

ROMANE, Christi fortis assertor Dei,
Elinguis oris organum fautor move:
Largire comtum carmen infantissimo:
Fac ut tuarum mira laudum concinam:
Nam scis et ipse, posse mutos eloqui.
Plectrum palati et faucium sævus tibi

O Romane inclyte Christi martyr, mihi fave, fac ut ego mutus et elinguis loqui queam; fac ut ego puerulus imperitusque laudabilia faciam carmina; fac denique ut tuas miras laudes celebrem. Nam tua nosti experientia lingua cassos posse eloqui.

NOTÆ

1 *Romane*] Tam varie de sancto Romano loquuntur scriptores, ut, cui assentiendum sit, non ita facile intelligatur. Eusebius Histor. lib. VIII. cap. 12. vult Romanum Palæstinum genere fuisse, ecclesiæ Cæsariensis diaconum et exorcistam: alii, inter quos Anton. Nebrissensis, Antiochenum monachum, qui sub Diocletiano passus est. At ne multus sim, puto duos Romanos martyres fuisse, qui eodem loco, eodem tempore, idemque martyrii genus tolerarunt. Quod ex ipsis Eusebii, divique Chrysostomi verbis colligi potest. Romanus enim, de quo facit mentionem Eusebius, idcirco martyrium subiit, quia paganos ad idolorum delubra properantes libera voce redarguit. Alter eo quod præfectum in ecclesiam irrumpentem avertere conatus est: adde quod is martyrio donatus fuerit solus, ille una cum puero, cujus mortem nequaquam Eusebius silentio prætermisisset. Quamplurimos vero in errorem induxit Prudentius, qui, ut de Hippolytis fecisse certum est, utrumque permiscuit, unum eundemque esse putavit. Ii igitur duo martyres Romani, tempore Galerii imperatoris, cum Asclepiades præfectus in Christianos sæviret, Antiochiæ post dira tormenta in carcere laqueo strangulati sunt anno Christi 308. quarto-decimo Kalend. Decembris.

4 *Tuarum mira*] Pro laudes tuas. Græcismus. Quæ loquendi formula ab optimis scriptoribus adhibetur.

6 *Plectrum*] Cicero de N.D. 'Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes.' Metaphora sumitur ab instrumento, quo ci-

Tortor revulsit: nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis extingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.
  Hic noster hærens sermo lingua debili
Balbutit, et modis laborat absonis:
Sed si superno rore respergas jecur,
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.
  Evangelista scripsit, ipsum talia
Præcepta Messian dedisse Apostolis:
Nolite verba, cum Sacramentum meum
Erit canendum, providenter quærere:
Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram.

Nam licet crudelis carnifex tibi linguam excidisset, haud tamen os, quo confitebaris Deum, oppressit. Et sane vox veritatis testis nunquam supprimitur, cum etiam ea vitio faucium recisarum obscuratur. Ego quidem, quod lingua debilis sit, traho verba, balbutio, malenatos versus fundo. At, modo me cælesti gratia respergas, divinamque facundiam faucibus infundas, non ultra lingua titubabo. Atque Matthæus literis mandavit Christum ipsum Apostolis illud dedisse præceptum. Vestra, inquit, subita sit et fortuita oratio, non vero culta, cum meum evangelium annuntiabitis: ego vobis, nulla adhibita præparatione, verba suggeram. Fateor igitur me



5 *Mutum* W. superscr.—11 *linguæ* A. F. Eg. B. H.—13 *respersas* Eg.—15 *balabit* Amb.—16 *scribit* Amb. Ro. Torrent. tres.—22 *luculenter* Weitz.—31

NOTÆ

tharœdi fides percutiunt. Unde Plinius dixit: 'Plectra linguæ, palati, et faucium.' Ad quæ loca lingua illisa format voces.

7 *Silentium*] Non puto utrique excisam fuisse linguam, atque ambos elingues locutos fuisse. Sed probabile est unum hoc miraculo religionis Christianæ assertorem fuisse, alterum vero pudore Asclepiadem perculisse, puerum illum, de quo infra, judicem de controversia sumendo.

13 *Superno rore*] Quæ roris similitudo frequens est in sacris literis.

14 *Spiritali lacte*] Nicephorus eodem modo eloquentiam χρυσοῦν γάλα nominat.

17 *Præcepta*] Matth. c. x. 'Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini.'

18 *Sacramentum*] Seu Festo credamus, seu Varroni, lex optime dici potest sacramentum. Erat enim sacramentum litis genus simile sponsionis apud Pontificem, aut, ut vult Festus, id quod jusjurandi sacratione interposita geritur. Nonne apud sacerdotes, cum aquis baptismi abluendos nos damus, Deo promittimus, atque etiam, ut ita loquar, juramus nos in omnibus Christum secuturos?

20 *Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram*] Juvencus lib. II. 'Cum vos prodiderint, verborum ponite curam:

Sum mutus ipse : sed potens facundiæ
Mea lingua Christus luculente disseret :
Ipse explicabit quos supremo spiritu
Dæmon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore pestis pejor in novissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, et dolore sævior,
Quassando pressis immolatur dentibus :
Hastile fixum sed manet profundius :
Nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius urbis forte Romanæ statum
Ductor regebat, ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis :
Edicta late mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisque mallet vivere.
Hæc ille serpens ore dicta regio,

mutum esse ; sed Christus facundus atque elegans mea lingua dicet luculente narrabitque, quos dæmon pejor, quod novissimo furore captus esset, tumultus fecerit, cum Romani morte domabatur. Non enim aliter anguis teli ictu percussus ferrum remordet, quatit, ac dolore sævior factus tenet mordicus. Nec, licet mordendo telum sibi infigat altius, sentit quam mortiferi sibi sint morsus et inutiles. Imperii Romani fræna moderabatur Galerius, qui, si antiquis credimus, immitis erat, atrox, ferus, atque implacabilis. Is edicto vetarat ne omnibus in provinciis ullus imposterum, qui suam tueri vitam vellet, amplius Christum adoraret. Ille ipse diabolus



Calerius Eg. *orbis* F. H. P. W. B. Weitz.—36 *legio* W. B. superscr.—43 *Ec-*

NOTÆ

Sponte fluens dabitur sermonis gratia vobis. Spiritus in vobis, pro vobis digna loquetur.'

21 *Potens facundiæ*] Talia sunt, 'Deus potens maris :' et, 'musa potens lyræ,' apud Horatium.

26 *Sic vulneratus anguis*] Quod si feræ, cum se circumvallatos armatis viderint, majore in eos impetu ruunt, ut vi sibi aperiant iter ; atrociora sane serpens latibulis excussus infundit venena ; 'tela omnia commordet,' teste Seneca lib. IX. controv. 6. 'et ad mortis auctorem per vulnera sua ruit.'

30 *Morsuum pericula*] Bestiarum morientium morsus inprimis esse solent letiferi, ut ait Florus, vel cum alios morsu lædunt, vel cum spicula mordendo sibi infigunt altius. De Galerio hymn. S. Quirini, not. 3.

35 *Quisque*] Durius sane positum est pro quisquis. Ausonius tamen eadem usus est loquela in Sapient. 'Parcit quisque malis, perdere vult bonos :' et in Cupidine cruci affixo, 'Se quisque absolvere gestit, Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.'

Qui mortuorum de sepulcris exiens
Clamat: Quid ante tempus adventu cito
Mea regna solvis? parce, Fili altissimi,
Vel possidere corda porcorum jube.
Præfectus istis imminens negotiis
Asclepiades ire mandat milites
Ecclesiasten usque de sacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis,
Ni disciplinam Nazarenam respuat.
Mox ipse templum cogitans irrumpere,
Et dissipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus præparabat impiis
Altaris aram funditus pessum dare,
Foresque et ipsas in ruinam solvere.

qui olim e mortuorum sepulchris exierat, clamaratque: O Christe, fili Dei altissimi, cur ante tempus e regno meo extrudis me? aut parce, aut per te mihi liceat in corpus suum immundorum ingredi. Ille ipse, inquam, Galerii ore hoc decretum protulerat. Asclepiades vero, qui præfecti munus obibat, persequebatur principis mandata. Jubet igitur milites templum petere, Christianosque ex ipsis aris vi expellere, ipsisque adhibere vincula, nisi fidem suam quamprimum ejurent. Quinetiam profanus prætor, ipsi enim erat animus disturbare ædificium, et sancta sanctorum demoliri, sese accingebat ad armis impiis delendum tabernaculum, et ad fores penitus

---

clesiam tenus ac de s. Eg. P. *Ecclesia tenus atque de* Alt. *Ecclesias tenusque* Amb. T. *Ecclesiatenusque* Weitz. *Ecclesiatenus ac de* H.—49 *arcam* T.—51

NOTÆ

37 *Mortuorum de sepulcris*] Matth. c. VIII. et Marc. hoc, quo pacto gestum est, narrant. De hoc etiam supra diximus hymn. 9. Cathem. vs. 49.

43 *Ecclesiasten usque de sacrariis*] Thuaneus, Ambrosianusque: *Ecclesias tenusque;* Altinius, quem secutus est Fabricius: *Ecclesia tenus atque de sacrariis,* h. e. inquit Fabricius, 'de singulis ecclesiis, excussis earum adytis et penetralibus.' Utrobique mendum. His Heinsius neglectis, licet forte sinceram non retineat scripturam, suo tamen periculo, ut ipsius verbis utar, scribit, *Ecclesiasten,* quia apud Græcos Ἐκκλησιαστὴς tam qui audit concionem, quam qui concionatur.

Sacrariis] De sacrariis multa hymn. S. Vincentii, p. 181. not. 100.

45 *Disciplinam Nazarenam*] Ita vocat per contemtum doctrinam Christi, tanquam loco obscuro, et regione ignobili primum editam. Unde et Nathanaël apud Joannem: 'Numquid de Nazareth potest esse aliquid boni?'

47 *Sancta sanctorum*] Locus erat templi intimus et sacratissimus. Vide Hymn. S. Laurent. et S. Vincent.

49 *Aram*] Apud antiquos ceteris templi partibus aram fuisse ornatam magis, januamque, ex hoc colligimus.

Præcurrit index his repente cognitis
Romanus, acris heros excellentiæ,
Venire in armis perduelles nuntiat,
Animos paventum præstruens hortatibus,
Stent ut parati neve cedant turbini.
Conspirat uno fœderatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, parvulorum, virginum:
Fixa et statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanum ducem,
Flagrare cunctos pervicaci audacia,
Jugulos retectos obstinate opponere,
Quo gloriosa morte fortes oppetant.

perfringendas. Romanus inclytus vir, magnanimusque heros, hæc fama et auditione accipit, ac rem omnem indicat Christianis, nuntiat mox tyrannum una cum militibus affuturum. Animos firmat paventibus, hortatur, rogat ut adhibeant audaciam, ut caveant ne metu cedant tyranno. His cohortationibus excitati Christiani mulierum, virorum, puerorum, puellarumque agmen dirigunt imperterritum. Omnes enim quotquot adsunt certa in sententia, et fidem servare, et sese ultro ferro objicere, unanimes consistunt. Milites repulsi, Christianos Romani impulsu decretum perfringere, ingenti armatos audacia sponte colla offerre, ut pulchræ morti



Præcucurrit H.—52 *sacræ h. e.* A. H. *Heros sacræ Romanus excellentiæ* C.

NOTÆ

53 *Perduelles*] Christiani nominis hostes: more Romano, apud quos perduelles dicti sunt, qui crimen aliquod adversus majestatem principis aut reipublicæ commisissent.

55 *Cedant turbini*] Eadem metaphora S. Augustinus dixit: 'turbinem tribulationum.'

56 *Uno fœderatus spiritu*] Nam, ut ait Cyprian. lib. I. epist. 1. 'Nobis et Ecclesia una est, et mens juncta, et individua concordia.'

61 *Subsellia*] Pulpita sunt in quibus, qui poëtas recitantes audiebant, sedere consueverant, aut qui publicis judiciis disceptandis operam dabant. Cicero pro Cluent. 'Is, quasi non esset ullo modo ferendum, se ex judicio discessisse victum, rem ab subselliis in rostra detulit.' Unde et Martial. lib. I. pro judicibus ipsis accepit: 'Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque.'

65 *Gloriosa morte*] Ammian. Marcell. lib. XXII. 'Pertulere cruciabiles pœnas ad usque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur.'

Oppetant] Oppetere proprie dicitur de iis, qui in acie cadunt. Idem est enim quam ore petere, quia fortiter morientes, ne quod doloris sig-

Præceps jubetur inde ROMANUS rapi,
Solusque, ut incitator et fax omnium,
Pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens, seque vinciri petit,
Flexas et ultro torquet in tergum manus.
Amor coronæ pæne prævenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas, bisulcis exsecandas ungulis.
Irrumpit altum limen, et, præconibus
Stupore mutis, ipse tortorem trahit.
Astanti ob ora sic tyrannus incipit:
Infame monstrum, vilis, intestabilis,
Tu ventilator urbis, et vulgi levis

occumbant, deferunt ad Asclepiadem. Qui imperat Romanum quamprimum adduci, ut is unus tanquam fax seditionis et impulsor vadis sit pro contumaci plebe. Martyr haud repugnat, immo, manibus ad tergum rejectis, petit ut vincula imponantur. Necnon martyrii desiderio flagrans ipsemet lictoris munus exequitur et officium; siquidem nudat corpus, ut bifidis ungulis dilaceretur. Ita e templo egreditur, ac, dum satellites muti sunt stupore, carnificem trahit. Astat in tyranni conspectu, qui tyrannus eum derepente sic alloquitur. O monstrum horrendum, o vile caput, o nequam, seditionis stimulator, concitator multitudinis; audes dictis tuis leves plebis

Romanus acræ T. a m. pr. *R. heros excellentiæ sacræ* F.—67 *Solus ut* H. *Solus*

NOTÆ

num darent, terram ore mordebant. De ungulis sup.

74 *Præconibus*] Præcones jussu magistratus auctionem faciebant, et audientiam indicebant in theatris. Præcones, lictores, satellitesque carnifices erant plerique.

75 *Tortorem trahit*] Gregorius in Hom. ‘Ante armatos reges et præsides deductus, imperterritus stetit: feriente robustior, judicante sublimior.’ Statius vero: ‘Et ad regem, qui deprendere, trahuntur.’ Denique ipse Prudentius alibi: ‘Provocat tortore tortus fortior.’ Quæ omnia magnitudinem martyrum, firmitatemque denotant.

77 *Intestabilis*] Alludit ad illud senatusconsultum, quo decretum fuerat, ut damnatus ob crimen famosum, esset intestabilis, nempe ut diceret ipsi neque testamentum facere licere, neque ad testamentum ab altero adhiberi. Gellius VII. 18. posuit quoque pro detestabili. ‘Eos tamen qui ad Annibalem non rediissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse.’

78 *Vulgi levis*] Hinc Cicero pro Cluent. diserte ait: ‘ut mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur! Sic populus, sua sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, attollitur.’

Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriæ
Illiterata credidit frequentia,
Ut se per ævum consecrandos autument,
Si bella Divis, ceu gigantes, inferant,
Victique flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti, perdite, spectaculum
Cladis cruentæ de necandis civibus,
Quos ut profanos, impiati et sæculi
Reos, necesse est te magistro interfici:
Tu causa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor, æquum est, ut quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti, carnifex

animos turbare ne sese principis edicto subjiciat. Illud autem imperitum vulgus tibi credit ea spe gloriæ adductum se nominis sui memoriam consecraturum, dummodo Gigantum more oppugnent Deos, et victi flammeis montibus obruantur. Tu ergo, o scelerate, tam acerbum parasti spectaculum, nempe tot necandorum civium, quos necesse est ut crudeli morti objiciam, quod tuis præceptis religionis nostræ hostes sint, atque in impura falsaque maneant. Tu mortis causa, tu malorum auctor. Nonne æquum est, ut quod ad tolerandum quamplurimos impulisti, id manu carnifi-

et A.—78 *Tuentilator* Eg.—88 *et* deest P. Eg.—92 *ut carnifex* Weitz.—

NOTÆ

80 *Imperita turba*] Passim Christianis inscitiam objiciunt pagani et infideles. Minuc. Octav. 'Qui de ultima fæce collectis imperitioribus, et mulieribus credulis, plebem profanæ conjurationis instituunt.' Adi Tertull. Apolog.

84 *Ceu Gigantes*] Nullus ignorat, quid de Gigantibus cecinerint poëtæ, quare ne his diutius immorer. Dico Gigantes vastissimorum corporum homines fuisse, Terræ filios, sine patre, pedes serpentinos habentes, qui in tantum furorem venerunt, ut e cœlo Jovem depellere sint conati. Sed Jupiter fulminibus eos interemit, montibusque obruit; Enceladum scilicet Ætna, Typhœum Inarime, Prochyte Mimantem.

88 *Quos ut profanos*] Hujusce criminis sæpe Christiani agebantur rei erantque suspecti. Sueton. Neron. 'Christiani genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.' Tertull. Apolog. 'Sacrilegii et majestatis rei convenimur.'

Impiati] Scelerati, impuri, nondum piati, polluti: ut apud Senec. Hippol. 'Thalami impiati facinore.' Apud Apul. 'Cruore humano aspersum atque impiatum.'

91 *Æquum est*] Phalaris Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, qui a suis ob sævitiam tauro, quo alios prius suffocaverat, inclusus est atque crematus, hancce legem tulit: 'Nec enim lex æquior ulla, Quam necis artifices arte perire sua.'

In te recurrat; proque tantis cædibus,
Quæ mox futuræ, primus exitium luas,
Feras et ipse quod ferendum suaseras.
His ille contra reddit ore libero :
Amplector, o Præfecte, nec me subtraho,
Ut pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta, si me consulis,
Quæcumque vestra jusserit crudelitas.
Intrare servis idolorum ac dæmonum
Sanctam salutis non licet nostræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus :
Confido Sancto in Spiritu, nunquam tibi
Dandum, ut beatum limen attingas pede.
Ni forte noster factus in nostrum gregem
Mereare sumi : quod Pater faxit Deus.
Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus eculeo eminus

cis tu ipse experiaris, ut primus morte afficiaris ; cum in causa sis, cur tot homines mox sint interficiendi, ut denique eadem perferas tormenta, quæ jam aliis, se perferre debere, dicebas. Romanus confidenter respondet : Opto, o Præfecte, nec recuso pro his omnibus Christianis vitam profundere : ac, si a me consilium petis, in me unum constitues supplicium, quodcumque tibi sævitia suggeret. At idolorum dæmonumque cultoribus non licet nostra sacra templa intrare ; iis enim hæc pura orationis domus pollueretur : atque spero nunquam Deum tibi potestatem facturum vel ipsum templi limen pedibus tangendi ; nisi forte Christum colas, atque ita venias Christianorum in numerum, quod ut accidat Deum oro. Quare ira accensus Asclepiades jubet tortores martyrem in eculeum imponere, diripere viscera, omniaque

96 *redduntur e libero* Eg.—99 *consulas* A. F. B.—104 *in Sancto Spiritu* A. W. *in* deest Weitz.—107 *Merearis uni* Eg.—110 *vinculisque* A. G. W. P. *ungu-*

NOTÆ

93 *In te recurrat*] Unde Lucret. lib. v. 'Circumretit enim vis atque injuria quemque: Atque unde exorta est, ad eam plerumque revertit.'

96 *Reddit*] Simile illud Hor. Sat. II. 8. 'Sed illa redde age, quæ deinceps risisti.'

103 *Orandi locus*] Templum enim ab Isaia et a Matthæo dicitur 'domus orationis;' a Prudentio vero mox, 'domus salutis.'

106 *Noster factus*] Sic Virg. Æn. II. 149. 'Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios, Noster eris.'

109 *Eculeo*] Quantum ex veterum non levissimis elici monumentis potest, eculeus catasta fuit lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur, instituta. Tormenti vero genus erat

Pendere, et uncis vinculisque crescere.
  Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
  Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet:

illius membra uncis vinculisque luxare. Lictores vero Prætorem monent Romanum nobili genere natum esse, ac virtute propria civitatis facile principem. Eculeum ergo amovet, ne hominem illustrem nomine puniat supplicio quo punire solebat infimæ conditionis homines. Sed crebris, inquit, ictibus ipsi tundite tergum, et

lisque F. H. B. Weitz.—112 *genitum* Weitz. W. in marg.—116 *terga* A. T. Ait. Ro. Gif. Ind. Luc. p. 449. *tergum* Weitz. W. B.—117 *exuberet* H.—

NOTÆ

hujusmodi. Ubi catastæ huic brachia pedesque rei qui torquendus erat, nervis, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant, tum catasta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo quasi ex cruce quadam miser ille penderet; primum compagem ossium divellebant, deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis, doloris acerbitatem augebant. Sozomenus eculeum appellat 'lignum tortorium.' Prudentius vero 'stipitem noxialem.' Extorquendæ autem de servis veritatis causa eculeum adhibitum fuisse docet Cicero.

110 *Uncis vinculisque crescere*] Supra Hymn. I. hujusce libri: 'Crescit et suspensus ipse vinculis latentibus.' Silius Italicus describens supplicium de famulo Tagi sumtum: 'Per artem Sævitiæ extenti, quantum tormenta jubebant, Creverunt artus.' Qui locus explicat mentem Prudentii. Non ergo; *ungulis crescere*.

111 *Apparitores*] Intelliguntur apparitorum nomine ii qui magistratui apparere solent, ut lictores, præcones, satellites, et stipatores. Sic dicti quod appareant, et præsto sint ad obsequium.

112 *Prosapia*] Quidam enim clari sunt, quod multas majorum suorum ostentant imagines; alii quod Magistratus vel e gente vel e familia sua primi assequuntur. Unde ii Patritii vocabantur, illi vero novi homines.

115 *Plebeia*] Omnes gentes, licet barbaræ, aliter ortu nobiles, aliter plebeios homines, aut potius viles servosque punierunt: ut apud nos plebeius strangulatur, nobilis vero plectitur capite. Romani tamen præcipue illam servarunt consuetudinem. Quinetiam M. Valerius Corvus et M. Porcius, tribunus plebis, tulerunt hanc legem, ne quis Magistratus civem Romanum virgis cæderet necaretve; sed damnato exilium permitteret. Unde Cicero VII. Verrina exclamat: 'O nomen dulce libertatis, o jus eximium nostræ civitatis, o lex Porcia.'

Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert, vilis an sit nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur.
Pulsatus ergo Martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus infit: Absit, ut me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex curiæ:
Generosa Christi secta nobilitat viros.
Si prima nostri quæ sit in cunabulis
Origo textu stemmatis recenseas;

caput pilis plumbeis tumefacite. Cum afficimus supplicio reos, ad uniuscujusque conditionem illud accommodamus. Magni refert an reus nobilis sit, utrum vero plebeius homo, cognoscere: nam tormenta respondent statui ac generi. Statim atque tortores cessarunt martyrem ferire ictibus innumeris, quos inter hymnum cecinerat; sese erigit Romanus, atque hæc loquitur: Apage nobilitatem illam, quæ ex majoribus provenit, aut ex dignitate a senatu concessa: una Christi absoluta imitatio nobilitat homines. Quod si longam avorum seriem evolvendo, quænam prima humanæ naturæ origo fuerit, perpendis diligenter; invenies profecto nos a Deo

126 *nostris quæ sit* Weitz. *quæ sit nostris* W.—136 *perverse ut velis* F. *per-*

NOTÆ

122 *Plumbeos ictus*] Plumbatarum verberibus viliores tantum homines torqueri consuevisse, leges indicant. L. II. de qu. Cod. Theodos. 'Erat autem id genus tormenti quasi flagellum ex funiculis, in quarum summitatibus glandes plumbeæ erant impactæ: quibus terga ac caput damnati hominis verberabantur.'

127 *Stemmatis*] Certum est per stemmata seriem majorum intelligi, quæ poni solebat in atriis. Seneca de Beneficiis III. 28. 'Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.' Quibus verbis facile intelligitur errasse eos, qui putarunt imagines cereas non diversas fuisse a stemmatibus. Ea enim picta erant et penicilli ductu formata; imagines vero cereæ vultus cera expressos offerebant. Quod utrumque insigne comprehendit Juven. initio Sat. VIII. 'Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus Majorum?' En stemma depictum. Nunc sequuntur imagines cereæ vetustate mutilæ, 'Et Curios jam dimidios, humeroque minorem Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem.' Paulus, qui fierent stemmata, docet his verbis: 'Stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior. Ex superiore autem et secundo gradu transversæ lineæ pendent. Hæ lineæ oculorum gratia ramusculis pictis distinguebantur; quibus ramusculis fiebant stemmata in modum coronæ, unde nomen stemmatis deductum a στέφω corono.' Hinc Persius Sat. III. 28. 'Ducere

Dei parentis esse ab ore cœpimus.
Cui quisque servit, ille vere est nobilis:
Patri rebellis, invenitur degener.
Honos deinde stemmati accedit novus,
Et splendor ingens, ut magistratus, venit;
Si confitendi nominis testem probum
Signent inusta ferri et ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclyta.
Cave benignus esse perverse velis,
Nec mi remissus leniter peperceris:
Incumbe membris tortor, ut sim nobilis:
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris matrisque flocci fecero.
Hæc ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætexta et toga,

ortum ducere. Qui ipsius exequitur mandata, is nobilis est; qui vero non peragit, is degenerat. Si martyris alicujus inclyti et ferro et igne ita abolitum fuerit corpus, ut vi dolorum vitam finierit, tum ipsius nobilitati novus accedit honos, ingens veluti novæ dignitatis splendor. Ne ergo, maligne, lene mihi supplicium inhibeas, ne nimis sis indulgens, ne parcas ulla in re. Vos, o carnifices, membra mea laniate, ut sim nobilis. His honoratus, modo queam votis potiri, patris matrisque genus parvi faciam. Et jure. Quid enim putas illa esse magistratuum ornamenta? Nonne fasces cito transeunt, secures, sellæ, prætextæ, togæ, lictores, tribunalia, alia-



versibilis Weitz. H. W. B. sed *perverse velis* W. in marg.—143 *prætextæ togæ* Weitz. H. Gif. Ind. Luc. p. 346. *prætexta togæ* A. Bodl. *prætextæ, toga* F.

NOTÆ

ramum' dixit, pro ducere originem: 'Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis.'

141 *Vestra dignitatum culmina*] Singulatim exponit, cur nobilitas inane sit nomen et contemnendum: primum propter vitæ brevitatem, tum propter tetram servitutem.

143 *Fasces*] Apud Romanos præcipui magistratus erant Consules et Imperatores, quos per fasces, secures, lictoresque intelligit: item imperatores triumphantes, quos per togam prætextam et togam pictam significat. Erant quoque Ædiles curules, quibus sellam tribuit: Prætores quibus tribunal. De Fascibus sup. Perist. Hymn. II. vs. 230.

Sella] Sedes erat eburnea, qua per urbem jus dicentes comportabantur Ædiles.

Prætexta] Genus vestimenti oblongum et talare, quo quatuor hominum genera utebantur, pueri usque ad annum 17. ætatis suæ: omnes magistratus urbani: senatores omnes, cum Deorum festos celebrabant dies: denique triumphantes.

Lictor, tribunal, et trecenta insignia
Quibus tumetis, moxque detumescitis?
Cum Consulatum initis, ut vernæ solent,
(Pudet fateri) farre pullos pascitis:
Aquila ex eburna sumit arrogantiam
Gestator ejus, ac superbit belluæ
Inflatus osse, cui figura est alitis.

que omnia insignia quibus superbitis, licet mox ea non possideatis? Cum consequimini consulatum servorum more, atque me pudet ea dicere, pullos pascitis. Ac triumphantes insolenter gloriamini gestare in manibus aquilam eburneam, atque elephantinum dentem, ex quo surgit aquilæ figura. Quid jam vobis vilius ducam,

—144 *hæc trecenta* Eg. H.—146 *vernes* Coler. ad Val. Max. p. 548.—152 *in-*

NOTÆ

Toga] Inter triumphantis ornamenta vestis numeratur. Plin. VIII. 48. 'Trabeis usos accipio reges, pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ modo toga picta, modo tunica palmata, modo prætexta appellatur: purpurei erat coloris, et cocci probatissimi.'

144 *Lictor*] Dictus est a ligando, quod, ut supra dixi, fasces virgarum ligatos ferebat. Duodecim lictores erant: quem numerum Romulus sumsit vel e numero avium quæ augurio ipsi regnum portenderant, vel ab Hetruscis finitimis, quod ii ex duodecim populis, communiter creato regi singuli populi lictores dederint.

Tribunal] Suggestus erat editior, unde conspici magistratus ab omnibus poterat, in quo sella, jurisdictionis insigne, locata erat, ubi sedens Prætor cognoscebat, et pronuntiabat.

145 *Detumescitis*] Quia magistratus annui erant, ne, ut notat Florus, potestas mora corrumperetur. De Consul. sup. Perist. Hymn. 2. vs. 560.

146 *Vernæ*] Licet verna apud antiquos significet servum natum ex ancilla aut servo, hic tamen sumitur pro quocumque servo.

147 *Farre pullos*] Quia Romani nihil magnum inchoabant, priusquam pullos consulerent, ex tripudiisque captarent auspicia. Pulli cum a farre abstinebant, ominosa erant: quæ cum aliquando contemsisset Flaminius, ab Hannibale victus est.

148 *Aquila*] Triumphantes enim, ut scribit Livius lib. III. 'scipionem eburneum præferebant, extante in summitate aquila ex eadem materia.' De qua Juven. 'Da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno.'

149 *Gestator*] Sane aut errasse Prudentium fateri debemus, aut alium morem fuisse temporibus Livii, alium Prudentii. Ex hoc enim loco colligimus sua ipsa manu triumphantem gestasse scipionem. Livius vero multis in locis asserit prælatum fuisse triumphantibus. Unde qui gestabant, signiferi, vexilliferique dicebantur.

Belluæ] Elephantis, cujus dentes ebur sunt teste Plinio. Cur Romani dicantur togati vid. sup.

Jam si sub aris ad sigillorum pedes
Jaceatis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem projectius?
Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Idææ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum Luperci curritis.
Quem servulorum non rear vilissimum,

si vos inspicio sub aris jacentes ad statuarum bases, necnon querna simulachra adorantes? Non etiam ignoro senatores Cybelis in sacris nudis pedibus præcedere currum, in quo statua ex nigro lapide illam Deam repræsentans, clausaque capsula argentea vehitur, et ita discalceatos præeundo hanc ducere usque ad Almonem fluvium, ut aqua et vasa et lapidem lavent. Quid sentiam de illis Panos festis, quæ dum agunt ipsius sacerdotes, monstrant contemtissimos homines esse? Quis

tra W.—160 *præveniti*s H. *perventuri* T.—165 *actas* A.—170 *velisve* Vulg.—

NOTÆ

151 *Sigillorum pedes*] Ita contra Symmachum de Pallade lib. II. 'Ut humenti desudant mœsta sigillo.'

155 *Matris Idææ*] Cybelis scilicet, quæ et Rhea, et Ops, Saturni uxor, mater Deorum, ac terra ipsa dicitur. Idæa autem ab Ida Phrygiæ monte: nam hæc Dea tota fuit Phrygia, et inde allata Romam. Sed de Cybele plura dicemus inf. vs. 196.

Sacris] Ammian. Marcellin. l. XXVI. 'Ad diem 6. Calend. Apriles, quo Romæ matri Deum pompæ celebrantur annales, et carpentum, quo vehitur simulachrum, Almonis undis ablui perhibetur.'

156 *Lapis nigellus*] Extat adhuc Romæ lapidea illa Cybelis effigies. Quæ hujusce Deæ sacra spectant, tam fuse descripsit, ut nihil addi possit.

160 *Almonis*] Almo fluvius est, vel potius rivus ante portam Capenam, Romæ vicinus. Ovid. Fast. lib. IV. 'Illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacraque lavit aqua.'

162 *Luperci*] Sacerdotes Panos. Grex improbus et impudens per vicos corpore nudo cursitabat, et scutica virgave e pelle hircina pulsabat per lasciviam, ut inquit Livius, mulieres obvias, quæ dextras ultro præbebant, quasi feliciores futuræ puerperæ, si talia verbera non renuissent. Unde Juven. 'Nec prodest agili palmas præbere Luperco.' Et Ovid. 'Excipe fœcundæ patienter vulnera dextræ, Jam socer optatum nomen habebit avi.'

163 *Non rear vilissimum*] Ipsimet pagani, Ovid. Fast. lib. II. Liv. lib. I.

Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?
Miseret tuorum me sacrorum et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
Age explicemus, si placet, mysteria,
Præfecte, vestra: jam necesse est audias,
Nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista, qua tumes, vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta leti comminaris asperi:
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.
Jubes, relictis Patris et Christi sacris,
Ut tecum adorem fœminas mille ac mares,

im mancipiis viliorem non existimet illum, qui per omnes plateas cursitat, et mures pulsat virga per lasciviam? O Roma, quæ totius orbis es caput, me tuorum rorum, senatorum, morumque miseret. Jam vero, o Asclepiades, quam tua punda sint sacra, una, si placet, consideremus. Quos sordidos Deos colas, velis nolisa me accipies hodie. Quanquam torvo vultu me intuearis, infamis sis, atque imtis, quanquam magnas pœnas mortemque ipsam mineris, nihil formido, nec me rret tua illa ira, quam in me evomis. Visne me aliqua re permovere, excogita gumenta, ri nihil proficies. Jubes igitur, Patris æterni et Christi sacris relictis, : tecum quamplurimas mulieres hominesque, Deos Deasque, natos, nepotes, pronepo-



4 *moveri* H. *ullus* Eg.—180 *Et* A. Weitz. *Ac* Vulg. *prosapiem* Bodl. A.

NOTÆ

iven. Sat. II. hæc Panos festa irriat. Cic. quoque M. Antonio hunc scurrum objicit.

170 *Nolis, velisne*] Velis, nolis, veri proverbio dicimus, cum vis ali- i infertur.

Sordium] Ritus gentiles rectius des, quam sacra, nominat: quia me libidinum genus, omne impuitiæ permittebant, indicebantque.

172 *Vultuosus*] Vultuosa frons apud puleium pro tetrica legitur, lib. III. etamorph. 'Longe dissimilis advet, non læta facie, sed vultuosa nte rugis insurgentibus assevera- t.' Quia, ut ait Plin. II. 37. § 51. rons et aliis, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index.'

Supinus] Quoniam supinus recubitus indicium est hominis soluti et otiosi, factum est ut supinum pro molli, delicato, otioso, et negligenti ponant scriptores. Juven. Sat. III. 'Et multum referens de Mæcenate supino.'

175 *Ratione mecum, non furore dimica*] Idem Cyprian. contra Demetrian. 'Quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione si potes vince, vince ratione.'

Deos Deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos;
Ut tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ ; sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus:
Incesta fervent, furta mœchorum calent,
Fallit maritus, odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende, quæso, quas ad aras præcipis
Vervece cæso fumet ut cespes meus?
Delphosne pergam? Sed vetat palæstrici
Corrupta ephebi fama, quem vester Deus

tes, quos homo ex fœmina suscepit, denique tam turpem sobolem stupris conceptam adorare. Quæ soboles medias virgines complectitur, sæpe dolis constuprat, fraudibusque comprimit; quæ vulgo committit incesta, quotidie in adulterio deprehenditur, ita ut viri fidem maritam lædant, mulieres odium habeant in concubinas, Vulcanus lectum, in quo sunt Mars et Venus, catenis cingat. Dic jam, amabo te, quas aras tingam votivo sanguine, colamque ovibus? An Delphos petam? at me amovet infamia palæstritæ Hyacinthi, quem Apollo in palæstra stupravit, quem cinædum



—186 *oras* Eg.—187 *Verbece* Weitz. W. B.—192 *florulentam cucubam* W.

NOTÆ

180 *Stuprorum*] Poëtæ enim volunt Bacchum a Jove ex Semele procreatum fuisse, Herculem ex Alcmena.

181 *Nubunt puellæ*] Hebe scilicet Herculi, Minerva Vulcano, Plutoni Proserpina.

172 *Fraudibus*] Siquidem belluarum imaginem induit Jupiter, avium, serpentum, elementorum, auri, rerumque aliarum, ut stupraret Ledam, Danaën, Æginam, &c.

184 *Fallit maritus*] Compressit et nuptas, ut Alcmenam Corinthiam, Phœnissamque Europam.

Uxor pellicem] Juno enim Callistonem, Semelen, Latonam, Maiam, aliasque complures odit.

185 *Adulteros*] Martem et Venerem, quos Vulcanus catenis ferreis ligavit, et cum ludibrio Diis Deabusque spectandos exposuit.

187 *Vervex*] Mas est inter oves; cui inversi sunt, sive ademti testiculi.

Cespes] Pro ara hic sumitur; e cespite enim, velut in castris subita, sibi aggerebant aras, necnon cespitem interdum Romano ritu aris imponebant antiqui.

188 *Delphos*] Delphi urbs Phocidis in Achaia ad montem Parnassum, celebris propter Apollinis oraculum et templum, a Gallis direpta duce Brenno. Nunc viculus duntaxat in planitie 9. milliaribus distat ab ora sinus Corinthiaci in Boream.

189 *Ephebi fama*] Hyacinthus Amyclides dilectus ab Apolline, cum per jocum in certamen disci venisset, altius jactum pondus non prius despicere potuit, quam capiti sensit injectum. Quo eliso post obitum ejus

Effœminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus:
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus tela et ipsa perdidit.
An ad Cybebes ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus, ob libidinem

missili disco occisum non solum flevit is lascivus Deus, sed etiam in florem mutavit: ab hoc me amovet pastoritia illa vita Apollinis, quam egit dum greges Admeti pascebat; ac denique ipsius segnities, quæ tanta fuit ut Mercurius et boves et sagittas furatus fuerit. An montem piniferum Idam petam; sed me avocat libido Atys

florulentum subcubum B. *florulentam succubam* B. superscr.—196 *Cybebis* Eg.

NOTÆ

cruor in florem ejus nomine inscriptum cessit. Ovid. 'Ipse suos gemitus foliis inscribit, et ai ai Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.' De Ephebo sup. Cath. Hymn. 9. vs. 43.

190 *Gymnadis*] Exercitium dicitur Gymnas, a nomine Græco γυμνὸς nudus, quia nudi luctabantur.

193 *Conductus*] Apollo, ab irato Jove pulsus cœlo, Thessalica armenta regis Admeti pavit, et a Mercurio circumventus non solum boves in agro, sed etiam pharetram amisit. Unde Horat. 'Viduus pharetra Risit Apollo.' Consule Ovid.

196 *Cybebes* [*Cybeles*] Seu mater Idæa de qua sup. sic dicta sive a κύβος et κεφαλὴ; quia rotunda est terra, aut quia in cærimoniis crebro caput rotabant ejus ministri; sive a Cybelo monte Phrygiæ. Vehitur curru, ac trahitur a leonibus. Premebantur autem ejus sacra gravi silentio, ut inscrutabilem terræ profunditatem exprimerent.

Lucum pineum] Quippe in Ida monte, ubi sanctissime colebatur Cybele, pinus abundabat, et ei pineus ibi lucus sacer erat. Virg. 'Pinea sylva mihi multos dilecta per annos.' Arbor autem illa huic Deæ sacra erat, quod, ut ait Arnob. imago est arboris, sub qua sibi Atys virum demessigenitalibus abstulit, aut quod teste Ovidio, Atys in pinum fuit commutatus.

197 *Puer*] Atys scilicet. Quæ de eo a variis scriptoribus Diodoro, Pausania, Eusebio, Arnobio, Ovidio, et Catullo scripta sunt, congerere infiniti et, ni fallor, legentibus non nimium jucundi laboris foret; præsertim cum ea jam omnia alii plerique studiose collegerint. Satis habebo et Catulli et Ovidii fabulas breviter indicare. Atym igitur eximia pulchritudine puerum Deorum mater sibi casto devinxerat amore, ea lege ut pudicitiam integram conservaret, sacrisque præesset. At ille mandatorum immemor cum nympha Sangaritide coivit, quare in furias actus se ipse primum excastravit; deinde cum se interficere vellet, in pinum arborem fuit commutatus. Ita Ovid. Catullus vero aliter cecinit. Cum Atys in nemus Cybelæ sacrum venisset,

Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ:
Per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,

Cybelis sacerdotis, qui turpes in hujusce Deæ amplexus non ivit, quod tristi vulnere sua verenda abscidisset; me avocant sacra Deorum matris, in quibus is spado ploratur. Nec is sum qui magni Jovis intrem templum; ille enim, modo in jus vocetur, legibusque Romanis condemnetur, aut Julia lege pelletur in exilium, aut Scatinia



T. Alt. *Cybelis* Weitz.—200 *Matris* Weitz.—202 *sciteiur* W.—204 *Luet* A.

NOTÆ

magna comitum stipatus manu, furore correptus virilia amputavit sibi. Idem fecere ceteri quoque, qui cum eo venerant; tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati obdormierunt. Expergefactus Atys, cum ad se rediisset, cœpit lamentari conditionem suam, etiamque de repetenda cogitabat patria. At Cybele objecto leone eum ita perterrefecit, ut ab ultimo littore, quo jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit, ubi omne reliquum vitæ spatium exegit. Quos pueri gemitus et dolores ita celebrari annuatim voluit, ut similia postea fierent, et adolescentes Cybeles sacerdotes idem dedecus paterentur; adhibitæ sunt ad ea sacra Cymbalistriæ et Crotalistriæ quæ strepitus excitarent, ne clamor mutilantium sese audiretur.

Gallus] Sacerdotes Cybeles Galli vocantur a Gallo flumine Phrygiæ, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiant, ut se privent virilitatis parte. Licet alii aliam afferant etymologiam, dictos videlicet eos fuisse volunt a Gallo quodam, qui primus hujusce Deæ sacerdos fuit.

200 *Matri sacra*] Forte dedit nobis Prudentius: *Per multa Matris æra plorandus spado.* Apud Silium Italicum lib. XVII. de magna Matre Romam advecta: 'Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulque Certabant rauco resonantia tympana pulsu.' Et apud Martialem: 'Æra Celenæos lugentia Matris amores.' De cymbalis intellige.

202 *Legibus vestris reus*] Digna memoria sunt, quæ luculente Athanasius scribit: 'Si quis actiones eorum, qui Dii prædicantur, in unum colligat, inveniet, eos non tantum mortales fuisse, sed omnium mortalium teterrimos. Ut ex Jovis amoribus et libidine apud poëtas cognoscitur, qui scribunt ab eo Ganymedem rapi, et furta adulteriorum patrari, et eum itidem voluptatibus succumbere, mulierculis ancillari, et illarum gratia versipellem, imagine brutorum, quadrupedum, suam ipsius dignitatem in periculum adducere. Num dignum est, ut is, qui designat talia, quique ejusmodi flagitiis famosus est, quæ ne communes quidem leges Romanorum, in mere hominibus impunita velint, pro numine habeatur? Quis ipsum non vituperet, quis non mulctandum morte judicet?'

203 *Juliæ*] A C. Octav. Augusto

Luat severam vinctus et Scatiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum:
Quem si beate vivere audit Jupiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur

maximam numerabit pecuniam, aut, te ipso judice, in carcerem mittetur. Ne putes me unquam adoraturum Saturnum, sub quo fuit ætas aurea; siquidem is Deus fugit, ut ingenue fateris; atque in Latio latuit timens ne de ipso se vindicaret Jupiter. Quodque majus est, statim atque filius audit patrem suum beate vivere, plectit tanquam inimicos eos, qui Saturnum occultarunt. Quid plura? licetne Deos colere, qui inter se perpetuo rixantur? ita ut, qui Vulcanum invocat, belligeri

F. *victus* Weitz.—206 H. vs. et seqq. ad vs. 454. desunt Amb.—208 *furem* T.—209 *audet* P. superscr.—211 *dissidentium* W.—216 *Dices* Bodl. A.—

NOTÆ

lata est lex Julia coërcendis adulteriis stuprisque. Horat. Od. IV. 5. 'Nullis polluitur casta domus stupris: Mos et lex maculosum edomuit nefas.' Domitianus videtur illam jam veluti obsoletam reduxisse. Juven. 'Leges revocavit amaras Omnibus, atque ipsi Veneri, Martique timendas.' Sed quæ ejus pœna? Relegationem censuit Yvo Villiomarus, Robertus Titius mortem. Hujus legis capita hinc inde dispersa collegit Barnabas Brissonius, quem consulat, qui plura cupit ediscere.

204 *Scatiniam*] Ante Juliam legem de adulterio, mentio etiam fit legis Scatiniæ de pueris impudicis. Apud Juven. Sat. II. 'Quod si vexantur leges ac jura, citari Ante omnes debet Scatinia.' Hanc tulit, ut Paulo Manutio placet, C. Scatinius Aricinus, tribunus plebis, in eos, qui alienam pudicitiam solicitassent, aut suam ipsi prostituissent, quibus pœnam irrogavit decem millia nummorum, Aus. Epig. 89. 'Semivir ipse Scatiniam metuens, non metuit Titiam.' Valerius tamen Maximus VI. 10. testatur C. Scatinium Capitolinum, tribunum plebis, quod filium M. Claudii Marcelli, Ædilis Curulis, de stupro appellasset, damnatum fuisse, id quod etiam Plutarchus in Marcelli vita habet, a quo quidem hanc legem Scatiniam vocatam voluit. Apud te sit judicium. De Jove sup.

206 *Aureorum temporum*] Virg. 'Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuerunt Tempora:' nempe sub Saturno.

207 *Latuisse furtim*] Unde Italiæ pars dicta est Latium, quod in ea Saturnus exul latuerit. Id notum omnibus.

211 *Dissidentum*] Nam ab Homero aliisque poëtis Dii Deæque inducuntur inter se discordes; maxime vero Saturnus et Jupiter, Mars et Vulcanus, Juno et Hercules. De Marte, de Lemnio aut Vulcano sup. Perist. Hymn. 2. vs. 356.

Offensa virtus, si colatur Lemnius:
Junonis iram sentiet, quisque ut Deum
Signo aut sacello consecrarit Herculem.
  Dicis, licenter hæc poëtas fingere.
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quodque describunt, colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
  Cycnus stuprator peccat inter pulpita,

Martis cadat in offensionem; qui statuam templumve ponit Herculi, Junonem iratam habeat. Hæc omnia poëtarum esse commenta respondebis. Quasi vero poëtæ tuam non suscepissent religionem, quosque Deos canunt, non colerent. Quasi vero tu ipse non libenter legeres illa in Deos inventa: omnisque populus, te teste, has fabulas in theatro plausu non comprobaret. Quoties comœdi Jovem mutatum in cycnum et Le-

NOTÆ

214 *Junonis*] Juno Saturni filia sororque Jovis. In Samo insula Icarii maris hæc Dea adolevit, nupsitque Jovi, ideoque templum ejus erat Sami nobilissimum, et simulacrum habitu nubentis, et sacra ritu nuptiarum. Nulla fuit omnium Dearum, quæ magis pellicum multitudine infestata fuerit. Idcirco Numa apud Romanos lege sancivit, ne qua pellex Junonis templum ingrederetur, his verbis: 'Pellex ædem Junonis ne tangito: si tangat, Junoni agnum fœminam crinibus dimissis cædito.' Hinc, quod Hercules e pellice Alcmena natus fuisset, ipsi infensa erat.

215 *Herculem*] Hercules Jovis filius et Alcmenæ, quæ Amphitryonis Thebani uxor erat, Junonis novercæ odio multis laboribus expositus est, unde dictus est Hercules ab Ἥρα Juno, et κλέος gloria. Duodecim præcipuos ejus labores describit Virg. Æn. VIII. 288. 1. Cum esset in cunis immissos a Junone angues duos elisit. 2. Trojam cepit sub Laomedonte. 3. Œchaliam diruit, quod hujusce civitatis rex Eurytus Iolen filiam ipsi promisisset uxorem, et postea denegasset. 4. Subditus Eurystheo, ab eodem ad laboriosissimas expeditiones missus est. 5. Pholum aliosque Centauros sagittis confixit. 6. Taurum agros Cretensium populantem non mactavit quidem, sed ad Eurystheum adduxit. 7. Leonem in sylva Nemea unguibus apprehensum dissecuit, ejusque pellem in vestem sibi assumsit. 8. Diis magno præsidio fuit contra Gigantes. 9. Cerberum eduxit. 10. Cecidit Hydram Lernæam. 11. Prometheum liberavit. 12. Excitata et succensa pyra in Œta monte Thessaliæ, in eam immittit sese, et sic expurgatus omni contage mortali transiit ad Deos.

221 *Cycnus*] Jupiter, Ledæ amore captus, in cycnum mutatus, ea potitus est, quæ ovum dicitur peperisse, ex quo Castor, Pollux, et Helena orti esse finguntur. Ovid. Epist. 8. 'Non ego fluminei referam mendacia cycni: Nec querar in plumis delituisse Jovem.'

Pulpita] Pulpitum locus ante scenam editior, in quo omnis Comœdia recitabatur. Juv. Sat. VI. 'Longa per angustos figamus pulpita vicos.'

Saltat Tonantem tauricornem ludius:
Spectator horum pontifex summus sedes,
Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis.
  Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris
Cum se maritum fingit Alcmenæ Deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam.
Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
  Quid? quod sub ipsis veritas signis patet,

dam adulterantem in scenis imitati sunt, quoties histriones repræsentarunt eundem Deum in taurum conversum, qui Europam rapiebat; dum tu sacris præfectus spectator aderas, ridebas, iis assentiebaris, nec purgabas Jovem de tot sceleribus, quibus ipsius fama inquinabatur? Unde etiam tu, qui censor es religionis, cachinnos tollis, quod introducitur Jupiter, qui mentitur se esse Amphitryonem? Tibi vero nullas movet lacrymas Veneris infortunium, licet obscœno carmine suum Adonin ab apro interfectum lugeat. Jam tabulas consideremus. Nonne fas est veritatem intueri,

222 *comantem* W. B. superscr. *Ludius* T.—224 *Ridensque* T. *deluis* A.—

NOTÆ

222 *Tauricornem*] Jupiter Europæ Agenoris Phœnicum regis filiæ amore captus in taurum se convertit, cujus dorsum post multas blanditias Europa ascendere ausa, in Cretam per mare a Jove est adducta.

Ludius] Pro actore scenico. Ludii enim vocabantur Histriones a Lydis populis Asiæ mollibus, qui facta turpia in theatris exercebant.

223 *Pontifex summus*] Quia totius religionis apud Romanos et rerum divinarum erat arbiter.

225 *Fama polluatur*] Quare Arnobius lib. v. acute id paganis objicit et ingeniose: 'Eadem ubique est Jupiter fabula, neque ullum turpitudinis genus est, in quo ejus non nomen consociatis libidinibus conseratis.'

227 *Alcmenæ*] Alcmena Electrionis erat filia, quam uxorem duxit Amphitryon Alcæi Thebani filius. Jupiter illam adamavit, quare ut illam comprimeret, in Amphitryonem illius maritum conversus cum ea concubuit, ex quo concubitu suscepit Herculem.

228 *Adonin*] Adonis filius Cinyræ, Cypriorum regis, et Myrrhæ fuit: illum Venus in deliciis habuit. Hic in venatione apri dente sub inguine percussus laceratusque prosternitur leto. Venus miserata in florem Adonium, qui est sanguineo colore, eum transformavit.

Scenica] Venus enim in scenis nota.

230 *Cypridis*] Nempe Veneris de qua diximus plura. Cypris autem vocatur a Cypro insula Maris Mediterranei, in sinu Issico, inter Ciliciam et Syriam, Veneris olim cultu celebri. In eam enim volebant antiqui super undis a Zephyro delatam fuisse, statim atque concepta fuit, ibique fuisse ab Horis educandam susceptam.

231 *Signis patet*] Unde Tertullianus: 'Quos homines fuisse negari non potest, ad quod etiam notæ acce-

Formata in ære criminum vestigiis.
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
  Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si Deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tyrinthium:
Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?
  Quid rusticorum monstra detester Deum,

quæ, ut ita loquar, in ære insculpta est æque ac Deorum criminum imagines? Et sane, an semper aquilam Jupiter haberet adjunctam, nisi ea volucris armigera lenonis munus obeundo ipsi catamitum Ganymedem detulisset? An Ceres fluxa etiam veste facem gestaret in manibus, nisi Pluto rapuisset Proserpinam, quam ut quærat, noctes totas pervigilat erratque? An denique Herculem cerneremus lanam nere, nisi ipsi illusisset Omphale? Quid dicam de Diis omnibus sylvestribus mon-

228 *spadonem* W. B. in marg.—236 *prætentit* Eg.—241 *detestor* F. B.—251

NOTÆ

dunt, quæ ne Deos quidem factos, credi permittunt.'

236 *Ceres*] Saturni et Opis filia; captus fuit Jupiter illius desiderio, eamque compressit, ex quo nata est Proserpina, quam rapuit Pluto. Ceres laboriosissime toto orbe quæsivit filiam, facibus ex Ætna Siciliæ monte accensis, quare ad illius imitationem Siculæ mulieres, vel viri per noctem cum accensis facibus vociferantes, Proserpinamque vocantes currebant. Frugum, et cultus terræ magna ex parte repertrix.

239 *Tyrinthium*] Hercules Tyrinthius dictus est a Tyrinthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est atque educatus. Is, qui tot labores susceperat, amori muliebri succubuit, atque inermi Omphalæ, Lydorum regis filiæ, pelle Leonis concessa, et clava deposita inter ipsius pedisseqnas, fœmineo habitu indutus nere non erubuit.

240 *Neæræ*] Neæra communi vocabulo dicitur quævis mulier lasciva et infamis: ut Neæra Ægonis apud Virgilium: apud Athenæum Neæra Autolyci uxor. Hoc loco pro Omphale sumitur, seu pro Iole; eadem enim quæ sub Omphale toleravit, perpessus est sub Iole, Euryti regis Œchaliæ filia. Vide apud Ovid. quid Dejanira, Œnei regis filia, uxorque Herculis, ipsi scripserit.

Fuit ludibrio] Festivum et salsum epigramma mihi liceat hic apponere: 'Frangere quem nulla valuit virtute, labores Quis fuit Herculeos maximus inter? Amor. Lenam non potuit, potuit superare Leænam. Quem fera non valuit vincere, vicit Hera.'

242 *Faunos*] Constat Faunos fuisse capripedes, cornutos, hispidos, rusticos semideos, dictos a fando juxta Varron. quia in sylvestribus locis affari homines et alloqui solebant. Unde putarunt nonnulli sive fuisse

Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles,
Sitas sub alto, more ranarum, lacu;
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,
Sanctum putare? nonne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
At, si quid usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Pronusque adora quicquid in terris sacri est,
Deos Latinos, et Deos Ægyptios,

strosisque, Faunis scilicet, Priapo, fistularum inventore, Naiadibus, Nereidibus, quæ Nymphæ instar ranarum udas paludes incolunt? Profecto res tam viles consecrare mera est stultitia. Tamen, o bone vir, vis ut colam? Si qua tibi sapientia reliqua est, potesne hæc monstra in numero Deorum venerari? Quis enim istas intuens ineptias, quas vinolentæ anus somniarunt, risum teneret? Sin autem omnia cujuscumque religionis figmenta adorare debemus, præbe exemplum: jam tu ipse adora ea, quæ Deorum numero sunt unicuique. Cole et Latinos Deos, et Ægyptios,



si quod usquam Eg. *si quod usquam est* H. P. B.—252 *primum* A.—253

NOTÆ

animalia, sive dæmones, qui pro Diis ab agrestibus tantum hominibus colebantur. Virg. Geor. I. 'Et vos agrestum præsentia numina Fauni.' Ast nihil certi ex illorum origine scripserunt poëtæ. Id unum reperitur Faunum Pici Latinorum regis filium Satyrorum ac Faunorum omnium patrem esse.

Priapos] Priapus Veneris et Bacchi filius; Lampsaci, quæ urbs est ad Hellespontum, natus et inprimis cultus: custos hortorum, quorum in limine statuam ei rudem et quasi informem ponebant.

Fistularum præsides] Quod Pan pastoritiæ rei præses Deus fistulam compegisse dicatur primus ex calamis arundineis, cum Syringem Nympham, quam deperibat, sociarum precibus mutatam vidisset in arundinem. Virg. Eclog. II. 'Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit: Pan curat oves, oviumque magistros.' Plerique dicunt patrem habuisse Mercurium. Sic appellatus est a πᾶν omne.

254 *Deos Ægyptios*] Omnes norunt Ægyptios ob vanas superstitiones et Deorum portenta ab ipsis excogitata despectos fuisse, maxime vero a Romanis. Unde scribit Tertullianus, 'Serapim, Isidem, Harpocratem, cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, id est curia Deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas.' Nullus tamen acrius invehitur in hanc superstitionem, quam Juven. Sat. XV. 'Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens Æ-

Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et Simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis, cur displicent?
Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata oluscula:
Aut unde major esse majestas focis,

quibus Roma Canopusque hostias immolant. Venerem invocas, invoca et Cercopithecum: Æsculapium sub serpentis effigie non te pudet orare; ora igitur Crocodilum, ibin, canemque, porris pone aras fumidas; acre cepe, aculeatumque allium adora. Noli amplius thure placare fumosos lares, nisi etiam olera ab Ægyptiis consecrata placare velis. Cur enim putas focis potius quam hortis sarculo cultis nu-



Promisce T. Alt. Eg. W. superscr. *Promiscue* F. H. P. B. W.—258 *Ybis*

NOTÆ

gyptus portenta colat, Crocodilon adorat Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibim.' De Ægypto sup. Cath. Hymn. 12. vs. 159. de Roma sup. Cath. Præf. vs. 42.

255 *Canopus*] Urbs Ægypti apud ostium Nili, distans ab Alexandria 2. mill. pass. in ortu. Patria Claudiani poëtæ. Juven. ' Barbara famoso non cedit turba Canopo.' De Venere sup. Perist. Hy. 3. vs. 16.

257 *Aspis Æsculapii*] Æsculapium Phœbo et Coronide genitum canunt poëtæ. Is arte medendi insignis fuit, ac Hippolytum aliosque complures ad vitam revocavit. Gravi pestilentia laborantibus Romanis per legatos oraculum Apollinis consultum est, ex quo responsum ut Æsculapium Epidauro accerserent. Missi igitur legati cum ab Epidauris eum impetrare non possent, Æsculapius ipse in anguem conversus per mediam lapsus, navem Romanorum conscendit. Cum quibus vectus, Romam ut delatus est, insulam Tyberis ingressus est, ibique se virgultis occuluit, qui locus draconis vocatur. Unde sub illa effigie postea hunc Deum coluere antiqui. Ovid. Met. lib. xv. fusius id narrat.

258 *Crocodilus*] Animal quadrupes hominibus terra pariter atque aquis infestum. In aqua acutissime videt, extra quam hebetes habet oculos. Dicitur crocodilus ἀπὸ τοῦ κρόκου καὶ δειλοῦ, i. e. a croco et timido, quod crocum ac ejus odorem timeat refugiatque. Plin. ' Crocodilum habet Nilus. Unum hoc animal terrestre linguæ usu caret, magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita.'

Ibis] Avis Ægypti excelsa, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro, avertit pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficit, atque consumit. Ita Cic. de N. D. lib. I.

261 *Thure placantur Lares*] Juven. Sat. IX. 137. ' O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto, Aut farre, et tenui soleo exornare corona.' Vide sup.

Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen et porris inest.
Sed pulchra res est forma in ære sculptilis.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis Deos?
Forceps Myronis, malleus Polycliti
Natura vestrum est atque origo cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat.

men inesse? Mihi crede, si foci Dii sunt, porra et Dii sunt. Sed, inquies, æreæ Deorum imagines opus sunt mirabile. Omnis sane pœnas imprecor Græcis artificibus, qui paganis gentibus Deos formarunt. Quid? Myronis forcipes, malleus Polycleti, Deorum natura est et origo. Heu cum arte sua, quæ vos tot in errores inducit, rigentem barbam Jovis circumflectit artifex, aut flectens comam leniter defluentem capillos Bacchique elimat corymbos, aut denique pectus Minervæ multi-

Weitz. W. B.—259 *portis* P.—263 *At* Eg.—264 *Quam plantæ* F.—268 *stultos* Weitz.—270 *est* deest Gif. Ind. Lucr. p. 464.—273 *defluentes*

NOTÆ

265 *Porris*] Porrum, allium, cepe velut sancta numina venerati sunt, quæ fallere aut illorum perjurio adstringi sine gravi piaculo non licebat. Alexander v. 10. et Juven. Sat. xv. ‘O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.’

269 *Myronis*] Myronem nobilem statuarium, Eleutheris inter Megaram et Thebas natum, et Ageladis discipulum, bucula nobilitavit, celebratis versibus laudata. Plin. xxxiv. 8. Ubi clara hujusce statuarii opera recenset. De eodem Petronius ait: ‘Myron, qui pœne hominum animas, ferarumque ære comprehendit, non invenit hæredem.’ Auson. Epig. lviii. ‘Bucula sum, cœlo genitoris facta Myronis Ærea: nec factam me puto, sed genitam.’

Polycliti] Polycletus æqualis et condiscipulus Myronis, eximius fuit statuarius, Sicyonius, atque Ageladis discipulus. Hic consummasse hanc scientiam judicatur, et toreuticen sic erudivisse, ut Phidias aperuisse. Proprium ejusdem, ut uno crure insisterent signa, excogitasse. Fecit duos pueros, item talis nudos ludentes, qui vocantur Astragalizontes, quo opere nullum absolutius fuit. Uterque, teste Plinio, floruit Olympiade 87.

272 *Barbam rigentem*] Arnob. l. vi. ‘Riciniatus Jupiter atque barbatus, dextra fomitem sustinens perdolatum in fulminis morem.’

274 *Capillos*] Unde Ovid. Amor. i. 14. ‘Formosæ periere comæ: quas vellet Apollo, Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.’

Corymbos] Corymbus, racemus hederæ, quo coronabatur Bacchus.

Liberi] Ita appellatus est Bacchus

Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen aëris, ceu Tonantis, horreant:
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ:
Putent Ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius.
Tum, quod Dianam molle succinctam vident,

plici serpentum capite exornat; tanto concitati estis terrore, ut fulmen ex ære fabricatum tanquam Dei fulmen horreatis, ut timeatis Medusæ caput, ut Bacchum qui de India triumphavit, quique semper ebrius est, posse Thyrso furorem incutere putetis. Quod si Dianam cernitis succinctam muliebriter, arcum illius Deæ vena-

P.—279 *Ephæbum* Weitz. W.—281 *succintam* Eg.—282 *virgines* Eg.—285

NOTÆ

a liberando, quia vinum curas solvit, et mentem ab illis liberat, et facit in omnes conatus audaciorem. Unde Horat. Epist. I. 15. 'Ad mare cum veni, generosum et lene requiro Quod curas abigat.'

275 *Minervæ*] Minervam seu Palladem e Jovis cerebro armatam natam fuisse scripsere Apollon. Stesichorus, et Lucianus in Dialogis Deorum, ubi Jovem parturientem introducit, et Vulcanum cum prævalida securi, ut ipsi caput dividat. Nonnulli tamen volunt Neptuni et Tritonidis Africæ paludis filiam esse.

Hydris asperat] 'Pallas bicorpor,' inquit Attius, 'anguium spiras trahit.'

Pectus hydris] Mirificum Palladis clypeum describit Virg. Æn. VIII. 'Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma, Certatim squamis serpentum auroque polibant.' Quo loco addit Medusæ caput anguiferum, non in clypeo ut alias, sed in anteriore loricæ parte ad pectus affixum esse. Narrant poëtæ Minervam, quod Medusa vim a Neptuno passa esset in templo, capillos illius in serpentes mutasse, quorum aspectu homines in saxa vertebantur. Hoc deinde caput Perseus abscidit auxilio Minervæ, quæ suum ipsi clypeum eam in rem commodavit ex ære politissimo, quo in speculo reflexam capitis speciem tuto aspiceret; abscissum caput Minerva deinceps eidem suo clypeo imposuit ad terrorem.

278 *Gorgonæ*] Medusæ scilicet. Tres fuere Gorgones, Sthenyo, Euryale, Medusa, Phorci filiæ, quæ omnes unum oculum habebant, quo invicem utebantur. Dictæ sunt Gorgones a γοργότης ferocitas.

279 *Ephebum*] Bacchum vini Deum, qui Jovis filius est ex Semele. Is Indos debellavit, et primus omnium triumphavit, vectus Indico elephanto, ut scribit Diodorus.

Ephebum] Adi Ovid. Metam. de Baccho: 'Tibi enim inconsumta juventa est: Tu puer æternus: tu formosissimus alto Conspiceris cœlo.' Fulgent. lib. II. Mytholog. 'Dionysius juvenis ideo pingitur, quia nunquam ebrietas matura est.'

280 *Thyrso*] Macrob. lib. I. Saturn. cap. 18. ait Liberum patrem tenere Thyrsum, quod est latens telum, cujus mucro hedera lambente protegitur. Unde Thyrsigerus dictus est Bacchus.

281 *Dianam*] Diana, venationis Dea, cujus in tutela canes, Latonæ

Venantis arcum pertimescunt Virginis:
Si forte vultum tristioris Herculis
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat,
Junonis iram si polite expresserit?
Velut retortis intuens obtutibus
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror, quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum et aras ipse Phidias habet,

tricis pertimescitis. Si æs fusile Herculem, cujus crispi sunt capilli, finxit severos vultus induentem, pro certo habetis illum vos clava minari, nisi precatu infringatis quamprimum. Quanto jam, o superstitiosi, perculsi estis timore, cum statuarius Junonis iram repræsentavit perfecte, cumque statua severa fronte ita mentitur minas, ut Dea aversis oculis ne hostiam quidem immolatoremque respiciat? Certe equidem miror quod Mentorem non adoretis, quod non ponatis Phidiæ et templum et aras;



Clava Weitz.—287 *iras* T.—288 *Velud* Weitz. H.—289 *dilitantis* Eg. *delitantis* Weitz.—291 *sacratis* W. B. Vulg.—292 *Fidius* H. W. *Fidias* Weitz.—

NOTÆ

filia, soror Phœbi, virgo dicitur, quia virginitatis amans, ideoque sylvestres mores coluit, et venatum. Ejus imagini, teste Melantho in libro de imaginibus Deorum, semper arcus adhiberi solitus fuit. Virg. Æn. XI. 'Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia Virgo.' De Hercule sup. Perist. Hymn. 10. vs. 215.

Succinctam] 'Diana interim est alte succincta venatrix.' Minuc. Octav. et Arnob. lib. VI. 'Semitectis femoribus Diana.'

285 *Clavam*] Vide, quæ de clava diximus Hamartig. vs. 403.

287 *Junonis iram*] Hæc tanta fuit, ut locum proverbio dederit apud Græcos Latinosque. Virg. Æn. V. 781. 'Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus.' Et Seneca, in Hercule Œteo: 'Junonem doce, Quid odia valeant, nescit irasci satis.'

288 *Retortis obtutibus*] Aversis oculis, quod iracundiæ est indicium. Describit enim obiter, quo habitu in delubris Dii steterint, nempe ut essent ad terrorem appositi.

291 *Mentorem*] Mentor mirus fuit in vasis cœlandis artifex. Ut auctor est Plin. XXXIII. 11. et 12. 'Lucius Crassus orator duos habuit scyphos Mentoris manu cœlatos, centum sestertiis emtos: confessus est tamen se his nunquam usum esse propter verecundiam.' Ac Cicero laudat in Verrinis pocula duo, quæ Heraclea cognominabantur, Mentoris manu summo artificio facta, quæ sustulit Verres. Vasa quoque Mentoria consecrata fuerunt Capitolino Jovi, et Dianæ Ephesiæ.

292 *Phidias*] Ante omnes clarus et peritus artifex. Pictor, statuarius, sculptor fuit. Hæ artes natæ cum

Fabri Deorum, vel parentes numinum :
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Jupiter conflatilis.
Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse opsonia :
Quæ Dis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
Fracta et liquata contulerunt vascula.
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolora in stipite,

uterque fabri parentesque vestrorum numinum. Nam nulla in templis Jovis esset effigies, si illi impolitum tantum et rude opus fecissent. O stulte Præfecte, o Pagane, nonne erubescis tot liba Diis frustra obtulisse : ii enim Dii, quibus hæc facis sacrificia, una cum trullis, pelvibus, cantharis, sartaginibus, omnibusque aliis fictilibus vasis conflati sunt. Hanc quidem condono amentiam imperitæ plebi, cui præstigiatores mendaces sæpe imponunt, ac discoloribus tæniis movent admiratio-

302 *Quos verum latet qui fidunt in stipite* Eg. P. H. Vat. tres, et B. in marg. *discolor* Weitz. Ed Amst. 1631. Gif. *discolos* Alt. *discolori* F. *discolore* Eg.—

NOTÆ

ipso existimabantur. Ita de eo Plin. III. 8. In ebore scalpendo præcipue claruit. Quare fuit commendata Minervæ statua, quam Athenis ex ebore fecit, 26. cubitorum altitudine, in cujus clypeo Amazonum pugnam, ut Gigantomachiam, insculpsit, inclusitque, teste Cicer. speciem sui similem. Juven. Sat. VIII. 'Phidiacum vivebat ebur.' De Pelvi sup. Perist. Præf. vs. 16.

296 *Pago dedite*] Nam, ut ait August. Retractat. II. 43. 'Deorum falsorum cultores usitato nomine Paganos vocamus.' Quia Gentiles expulsi civitatibus in pagis adhuc idola colebant, ac clandestina sacra peragebant. Quare idem August. Serm. 6. de Verbis Domini hæc habet: 'Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis. Numquid accedimus, et confringimus? prius enim agimus, ut idola in ipsorum cordibus confringamus.'

299 *Trulla*] Vas vinarium, de quo Mart. lib. IX. 'Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro: Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?'

Cantharus] Poculum, quod Baccho tribuitur.

Sartagines] Sartago, patella in qua frigitur, a σὰρξ, quæ caro est, nomen assumsit.

300 *Contulerunt vascula*] Simile illud Minuc. Octav. 'Et Deus æreus vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur.'

302 *Lana terret*] Fabricius vult lanam in picto scipione gestasse olim circulatores, præstigiatoresque, qui suis fallaciis imponebant plebi et pueris, itaque ut hi duo versus unum plane significent, et ad hanc artem referantur. Alii vero Prudentium loqui putant de stemmatibus, quibus Deorum simulacra involvebant an-

Quos sæpe salsus circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.
Vos eruditos miror et doctos viros,
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent: quanta majestas regat,
Quicquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur:

nem: cui venerandum est id omne, quod obsolctæ anuum cantilenæ pavendum docent. At miror quod vos eruditi viri, atque ingeniosi, qui civilis rationis urbanitatisque nulla in re perrumpitis leges, ignoretis, quam valde divina terrenaque inter se discrepent, ignoretis, quis sit summus ille Deus, ædificatorque mundi, ac rerum omnium moderator. Quis sit a me accipe. Æternus is Deus inæstimabilis est, nec cogitatione comprehendi potest, nec oculis videri; supra captum est, nostramque



303 *falsos* Weitz. Eg. *falsus* Vulg. *salsus* T. Alt. Heins.—304 *pavendum vanulæ* H. A. et B. superscr. sed in H. *rancidæ* superscr.—309 *Quod* Eg.—

NOTÆ

tiqui; ut colligitur ex illis Arnobii de Cybele ex lib. v. adv. Gent. 'Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis ac circumvolvitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus jam deficientem contexit, et teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus.' Quare hæc verba: 'Quos lana terret discolora in stipite,' intelligenda essent de ipsismet Diis.

Discolora] Vide, si tanti est, annotata a nobis sup. Perist. Hymn. 1. vs. 114.

303 *Salsus* [*Falsus*] *circulator*] Probe legit Heinsius *salsus circulator*. Nam, teste Quintiliano vi. 3. institutionum Oratoriarum, 'Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus.' Quod recte dicitur de hoc hominum genere.

304 *Rancidæ*] Perperam pro *rancidis cantilenis*, quod constanter agnoscunt vetustiores libri, *vanulas* quidam prætulere. Quod autem nimia vetustate corruptum fœtorem contraxit, et ingratum saporem, rancidum dicitur. 'Rancidulum balba de nare loqui.' Pers.

311 *Deus perennis*] Duo hic attingit Romanus, et maxime necessaria nostræ religionis fundamenta pertractat. Alterum, quid sit Deus; unus in una essentia et tribus personis; alterum, qua ratione sit colendus. Sed pauca de his dicemus, quia fusius Apoth. et Hamart. ea explicabimus.

Res inæstimabilis] 'Deus,' inquit Minuc. Octav. 'nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, et soli sibi tantus, quantus est notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est: et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.'

Excedit omnem mentis humanæ modum;
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet ac superfluit.
Intemporalis ante, quam primus dies:
Esse et fuisse semper unus obtinet:
Lux ipse vera, veri et auctor luminis:
Cum lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
Natura simplex pollet unius Dei;
Et, quicquid usquam est, una virtus condidit:
Cœlum, solumque, vim marini gurgitis,
Globos dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septemtriones, Hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina:

intelligentiam, ac nostrum visum vincit. Is orbem terrarum implet, quodque extra mundum excogitant homines; et adhuc redundat. Antequam primus numeraretur dies, jam erat ab æterno: is unus hoc privilegio donatus est, existere semperque extitisse. Is lux vera est, atque auctor veri luminis. Cum lumen esset, lumen suum effudit. Verbum scilicet splendorem patris æternus Pater, qui lux est, produxit ab æterno. Una est atque eadem Patri et Filio potestas, unus splendor satus ab uno lumine: ab utroque procedit Spiritus Sanctus pleni luminis claritas; unus tamen Deus est, simplexque natura. Atque una virtus omnia condidit, cœlum scilicet, terram, mare, solem qui diei præest, lunam quæ nocti, ventos, tempestates, fulmina, pluviam, nubes, septemtriones, luciferum, æstus, nives, fontes, glaciem, me-



310 *qui* Eg. H. P. Weitz.—321 *est* deest Nom.—323 *numine* P.—333 *pecudes*

NOTÆ

316 *Intemporalis*] Intemporalis, ante omne tempus, apud Cælium Aurelianum I. 9. occurrit. Lex vero Wisigoth. IV. 5. habet intemporaliter. 'Deus justus judex, qui justitiam intemporaliter diligit, non vult justitiam servire tempori: sed tempora potius æquitatis lege concludit.'

317 *Esse et fuisse*] Respicit ad illud, 'Ego sum, qui sum:' quibus verbis Deus ipse suam essentiam declarat.

329 *Septemtriones*] Sunt septem stellæ, ex quibus quasi juncti triones, boves scilicet, figurantur. Hoc sidus a figura, quia simile plaustro videtur, antiqui ἅμαξαν, i. e. plaustrum, dixerunt. Nostri vero a bobus junctis septemtriones appellarunt. Vide sup. Cath. Hymn. 5. vs. 146. De Hesperis egi eodem loco. Sup. Cath. Hymn. 4. vs. 15. vero paucis ostendi Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere.

Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecua, subjugales bellúas,
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit,
Mandavit esse; facta sunt quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam:
Virtus paterna semper in Verbo fuit.
Cognostis ipsum: nunc colendi agnoscite
Ritum modumque, quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit

talla, flumina, montes, campos, interjectas collibus convalles, bestias, aves, serpentes, pisces, jumenta, pecora, boves, flores, frutices, germina, herbas, tum odoriferas arbores, tum fructiferas. Quæ omnia Deus non operosa arte ædificavit, sed jussit fieri, quia erat omnipotens; atque ut jussit, facta sunt, quæ nunquam extiterant. Dum autem Filius creavit terram, Pater etiam una eademque virtute creabat. Quis sit Deus jam non ignoras. Nunc audi quo ritu, quibus cærimoniis eum colere debeant homines, quæ ipsi templa ponere, quæ ferre munera, quæ vota concipere, quos sacerdotes consecrare, quæ denique facere sacrificia. Deus ipse in homine sibi sta-

A. W. superscr. *pecora* F.—341 *Cognoscis* H.—343 *dedicaris auxerit* Eg.—

NOTÆ

333 *Pecua*] Non *pecudes*. Usi eo vocabulo præter antiquiores Cicero, Livius, Plinius.

336 *Hæc non labore*] Hinc Theodoretus lib. IV. 'At vero rerum omnium Deus opifex, nec instrumentis, nec materia ulla indiget. Sed quod aliis artificibus sunt et materia et instrumenta, tempusque præterea et conficiendi opera, ipsaque ars et exactissima diligentia, hoc est ipsi Deo sola unicaque voluntas.'

337 *Sed jussione*] Sic sup. Cathem. 9. 'Ipse jussit, et creata: dixit ipse, et facta sunt, Terra, cœlum, fossa ponti, trina rerum machina.'

342 *Templi genus*] Templum Dei, vel, ut D. Petrus loquitur, 'domus spiritualis,' ipsum cor hominis credentis: quod semel atque iterum S. Paulus Corinthios docet Epist. 1. et 2.

343 *Donaria*] Victimæ et donaria; gratiarum actio, preces pudicæ, longæ, atque humiles, quas Osee 'vitulos labiorum' vocat, Michæas autem 'laudis hostias,' pura mens, et sincera conscientia.

344 *Sacerdotes*] Qui virtutibus omnibus emineant.

346 *Ædem Vivam*] Juxta illud Apostoli: 'Nescitis quia membra vestra

Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præeminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices.
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,
Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper et largam manum.

tuit templum vivum, animi luce coruscum, spirans, immortale, perenne, fato non obnoxium, pulchrum, venustum, sublime, variis illitum coloribus. Sacerdos, homo scilicet, cujus anima Dei templum est, stat sacro in limine. Templi primas fores virgo Fides custodit, quæ suos premit crines regali corona, quæque petit ut et Christo et ipsius Patri offerantur victimæ candidæ simplicesque, quas gratas esse novit. Verecundia scilicet offeratur, animi innocentia, studium pacis, corporis castitas: timor Dei, vitæ integritas, jejunia, quæ servando sobrie vivimus, spes firma, max-

351 *sacrata limine* Eg. *in* deest T.—357 *Oris quietem* F.—378 *terrulenter*

NOTÆ

templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est.' Et alibi: 'Deus cœli et terræ cum sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur.' Quale autem templum est, talia sint et hostiarum munera.

Mente in hominis] Mirum sane quod ipsimet pagani id agnoverint. Plin. Panegyr. ad Trajan. 'Animadverto etiam Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui præmeditatum carmen intulerit.'

350 *Discriminatis*] Ita ut suus cuique colori decor sit.

352 *Fides*] Ut ostendat extra fidem nullas Deo placere victimas, nullas preces. Unde Egesip. v. 9. 'Femora principis sacerdotum linteo interius operimento tegebat, eo quod præ ceteris in sacerdote fides mentis quæritur, et corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiam.'

355 *Candidatas*] Alludit ad morem victimarum, qui apud Mosen præscribitur. Boves enim et oves candidæ solebant offerri.

356 *Frontis pudorem*] Quia verecundia, teste Diogene, color est virtutis.

359 *Jejuniorum parcitatem*] Ita in Hymno matutino D. Ambros. 'Carnis terat superbiam Potus cibique parcitas.'

Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum:
Sublatus inde Cœlum adusque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum vivere, et sanctum sequi:
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ.
O mersa limo cæcitas gentilium!
O carnulenta nationum pectora!
O spissus error! o tenebrosum genus!
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta semper intuens, nunquam supra!

ima in pauperes largitas: quæ omnes victimæ gratum emittunt vaporem, et balsamo, thure, croco, ipsisque Persicis aromatibus suaviorem, qui ex hoc templo exsurgens in cœlum ascendit, ibique delectat Deum prospere pacatum. Quisquis Deo infensus hunc cultum vetat, vetat sancte et recte vivere, vetat ad cœlum mentem erigere; vult ut animus studeat terrena, atque intellectus nulla re excitetur. O paganorum in cœno voluptatum jacentium cæcitas, o infidelium durities carnis sordibus deditorum, o crassus error, o stolidi homines, qui una amant terrestria, unum corpus curant, semper terram intuentur, nunquam vero cœlum. An major furor excogitari potest,

NOTÆ

361 *Ex his hostiis*] Nam 'qui innocentiam colit,' inquit Minuc. Octav. 'Domino supplicat: qui justitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.'

362 *Balsami*] Una Judæa fert balsamum, Arabia thus, crocum Cilicia, de quibus sup. multa diximus. Succos etiam aliquot aromaticos fert Persia. Persæ autem deliciis operam olim dedisse feruntur, non solum unguentis pretiosis usi, sed etiam in conviviis et cœnis lautitia. Unde apud Athenæum deliciæ Persicæ ac mensæ in proverbium transierunt. De illa regione sup. Cath. Hymn. 12. vs. 25.

369 *Acumen ignis*] Ut Virg. 'Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo.' Quam sententiam attuli sup. Cath. Hymn. 1. vs. 1. quare non diutius immoror.

375 *Subjecta semper intuens*] Audi Cyprianum: 'Quid te ad falsos Deos humilias et inclinas? Quid ante inepta simulacra et figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit, et cum cetera animalia prona et ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis flatus et ad cœlum atque ad Deum tuum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in supernis Deum quære.'

Supra] Enallage, pro superna, ut constet ordo sermonis.

Furorne summus, ultima et dementia est,
Deos putare, qui creantur nuptiis?
Rem spiritalem terrulente quærere,
Elementa mundi consecrare altaribus:
Id, quod creatum est, conditorem credere?
Deasciato supplicare stipiti,
Verris cruore scripta saxa spargere,
Aras ofellis obsecrare bubulis:
Homines fuisse cum scias, quos consecras,
Urnas reorum morticinas lambere?
Desiste, judex sæculi, tantum nefas
Viris jubere fortibusque et liberis:
Nil est amore veritatis celsius.

an major dementia, quam venerari in numero Deorum eos, quos homo ex fœmina suscepit, quam divina terrenorum more quærere, quam ipsis mundi elementis aras ponere, ac, quod creatum est, id colere tanquam creatorem, quam statuis ligneis dolabra dolatis, aras saxeas Deis exstructas tingere porci sanguine, aut ipsis offas et boum carnes apponere, denique quam homines, quos mortalem vitam egisse nemini latet, consecrare, atque osculari urnas, quibus reorum cineres excipiuntur. Desine igitur, o tyranne, Christianis inclytis viris liberisque ad tantum scelus impellere: qui Deum æternum aperte confitentur, ii præcipue intuentur veritatem; ii nihil ti-

Weitz. A. fuit et in W.—383 *offelis* W. B.—387 *fortibus et* Weitz.—389 *ne-*

NOTÆ

379 *Elementa mundi*] Solem, Lunam, Cœlum, Terram, Aquas, Ignem Deorum numero fuisse Paganis legimus apud Biblia sacra.

381 *Deasciato*] Fabri manibus dolato, et polito ferri acumine. Ascia enim instrumentum est fabrorum, quo ligna dolantur. Unde asciare, ascio, qua loquela usus est Vitruv. VII. 2. 'Sumatur ascia, et quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata ascietur.'

382 *Verris*] Verres porcus masculus, qui Diis multis immolabatur, et ab hoc sacrorum initium Romæ cœpisse nonnulli veteres scribunt.

Scripta saxa] Usitatum fuit olim simulacra in cippo basive inscribere, et eadem sanguine perfundere, et unguentis inungere, et ut Juven. addit, ad genua offas et carnes apponere.

383 *Ofellis*] Simplici *f* scribendum esse docet Servius, quia primam syllabam corripit contra primitivi naturam. Juven. Sat. II. 'Et exiguæ frustis imbutus ofellæ.'

385 *Urnas*] Phiala illa seu cadus, cui antiqui imponebant cineres combusti cadaveris, ut sepulcro deinde mandarentur. Virg. 'Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.' Morticinas vocat urnas, eo quod loca, in quibus cadavera projiciebantur, dicerentur morticinæ.

387 *Viris jubere*] Græcismus, quo sæpe Prudentius, Juvencus perpetuo utitur.

Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat disserente Martyre
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum silet,
Bilemque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit:
Pro Jupiter! quid est, quod ex hoc audio?
Stat inter aras et Deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
Tacente memet, ac perorat perditus,
Quicquid sacrorum est ore fœdans impio.
O fas priorum! moris o prisci status!
Inventa regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt sæcula.
Quis hos sophistas error invexit novus,
Qui non colendos esse Divos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur,

ment, necnon ipsam mortem contemnunt. Jam per omne tempus, quo locutus fuerat Romanus, Asclepiades iram suam dolose cohibuerat. At, dum ira furens id omne dissimulat silentio, atque tacita atraque bili exæstuat, tandem eam evomit furitque. Proh Jupiter, quid ego audio? Is nefarius homo prope Deorum aras statuasque in medio foro ubi præsum, me præsente ac tacente, cujus rei me pudet, is inquam ausus est perorare, atque sacrilega lingua sanctos quosque ritus perstringere. O majorum pietas! o prisca fides! eheu cærimoniæ, quas Numa regesque alii nos docuere pro salute publica, hac ætate lacerantur quorundam hominum verbis. Quanam nova superstitione hi imbuti sunt sophistæ, qui negant nostros Deos colendos esse. Ab



men A. W. sed in W. *numen* superscr.—390 *Nihil pavori est* H. Bodl. Alt. *Nil* Weitz. *Nil p. est* W. B.—399 *hic perorat* Weitz. et al.—401 *piorum* A.

NOTÆ

400 *Quicquid sacrorum*] Tale illud Horat. ' Deorum quicquid in cœlo regit.'

403 *Pompiliorum*] Numæ Pompilii scilicet regis Romanorum secundi, juris divini humanique, Livio teste, consultissimi, cui ob justitiam bellum nemo inferre ausus est, ut scribit auctor virorum illustrium. Is sacrorum cærimoniarumque primus fuit inventor. Is Vestales, Flamines, denique Pontificem maximum instituit. De eo sup. Perist. II. 444.

404 *Sophistas*] Quanquam primis temporibus sophistæ dicerentur sapientiæ professores, postea tamen illud nomen abiit in invidiam, sophistæque dicti fuere ii, qui fictam quandam sapientiæ speciem jactitabant. Ita Cic. de N. D. lib. I.

Post evolutos mille demum consules
Ab urbe Roma: ne retexam Nestoras.
Quicquid novellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
Ubi iste vester tunc erat summus Deus,
Divum favore cum puer Mavortius
Fundaret arcem septicollem Romulus?
Quod Roma pollet auspicato condita,
Jovi Statori debet et Diis ceteris.

urbe condita, ut Nestoris tempora silentio prætereari, mille anni elapsi sunt, quibus Christiana religio, quæ nunc nascitur, nulla fuit. Hæc nova dogmata nullus olim novit. Visne igitur, o Romane, a quo ducas originem ediscere? Pyrrham consule. Dic mihi, amabo te, ubi erat tuus æternus Deus, cum Romulus Martis filius Diis faventibus Romam, quæ septem colles complectitur, condebat. Quod victor augurio urbem excitarit Romulus, id a Jove Statore aliisque Diis accepit. Id ab omni ævo

NOTÆ

407 *Mille consules*] Non quod semper a consulibus respublica fuerit administrata, quoniam ex mille annis, qui elapsi sunt a condita urbe ad tempora Romani martyris, Roma sub regibus fuit per ducentos quinquaginta annos; sed, quod postea anni a consulibus denominati sunt, unde Lucan. annum a consule nomen habentem, eandem annorum numerandorum rationem servavit. De Consulibus sup. Hymn. 2. vs. 560.

408 *Nestoras*] I. e. Heroum tempora. Nestor autem filius fuit Nelei et Chloridis, teste Homero lib. Odyss. II. qui belli Trojani tempore, jam senior effectus, ut idem Homerus scribit lib. II. Iliados quinquaginta navibus cum reliquis Græcis ad Trojam venit; ubi consilii dexteritate tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, brevi se Ilium fuisse expugnaturum si decem sibi contigissent Nestores. Uxorem habuit Eurydicen Clymeni filiam. De eo loquens Ovidius cecinit, 'Vixi Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.' Quibus intelligitur Nestorem pervenisse ad tertiam ætatem.

410 *Pyrrham*] Nota est hæc fabula ex Ovidio. Narrat igitur consumtis diluvio cunctis mortalibus Pyrrham Epimethei filiam, uxoremque Deucalionis, et Deucalionem Promethei filium ob pietatem in Deos ex omni humano genere superfuisse, qui in Parnasso monte Themidis vatis sortes de reparatione consuluerunt. Ex cujus responso significatum est, ut corporibus discinctis, et velato capite ossa magnæ parentis lapides scilicet uterque post se jaceret. Projecti itaque a Deucalione in mares, a Pyrrha vero in fœminas creverunt. De Romulo sup. Hymn. 2. vs. 310.

413 *Arcem septicollem*] Quia Romæ pomœrio septem montes inclusi erant. Capitolinus scilicet, Esquilinus, Aventinus, Viminalis, Palatinus, Cælius, Quirinalis. Quare 'sacrum septimontium' inter ferias Romanas legimus apud Suetonium.

414 *Auspicato*] Quia Romulus, ut jam Perist. II. 310. diximus, et Remus uter auspicaretur et regeret adhibuere piacula. Prior ille sex vultures, Romulus postea, sed duodecim vidit. Sic victor augurio urbem excitavit.

415 *Jovi Statori*] Cujus templum vo-

Hoc sanctum ab ævo est, hoc ab atavis traditum:
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloria
Procinctus, utque subjugatis hostibus
Ductor quietum frænet orbem legibus.
Accingere ergo, quisquis es, nequissime,
Pro principali rite nobiscum Deos
Orare vita: vel, quod hostem publicum
Pati necesse est, solve pœnam sanguine.
Sprevisse templa, respuisse est principem.
Tunc ille: Nunquam pro salute, et maximis
Fortissimisque principis cohortibus
Aliter precabor, quam fidele ut militent,

inviolate servarunt Patres nostri, ac deinceps derivatur in posteros, Deos invocandos esse pro triumphis principis, ut felici expeditione suam gloriam amplificet, debellatisque hostibus cunctis nationibus imponat legem. Quisquis es ergo, o hominum pessime, jam animum præpara ad vota juxta ritus nostros de principis salute facienda, aut ad perferenda supplicia, quibus puniuntur imminutæ majestatis rei. Qui enim Deos spernit, spernit et principem. Romanus respondet: Absit ut tuo more Deo supplicem pro principis incolumitate, pro ipsis inclytis militibus ac generosis; sed

H.—425 *principum* Eg.—432 *et illud* Weitz.—443 *resistat* C. A. *resistis* H.

NOTÆ

vit Romulus pugnans contra Sabinos, quod Jupiter turpem suorum fugam stitit. Cic. 'Jupiter Stator, quem vere hujus imperii statorem majores nostri nominaverunt; cujus templum a Romulo, victis Sabinis, in Palatii radice cum victoria est collocatum.' Seneca tamen aliam rationem affert, 'Quod ejus beneficio starent ac stabilita essent omnia.'

422 *Pro principali vita*] Pro salute vitaque Principum vota publice suscipi peragique, solenne fuit. Plinius epist. ad Trajan. 'Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, et suscepimus Domine, et pariter solvimus.' Tacit. Annal. IV. 'Pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota susciperent.'

425 *Sprevisse*]. Illa loquendi formula apud antiquos sæpe reperitur. Valer. Maxim. 'Fabii cunctari, est vincere.' Minut. 'Nostrum cogitare, peccare est,' ubi infinitivi ponuntur loco nominum. At sat est illud indicasse.

428 *Fidele ut militent*] Fides militum, fidesque exercituum maxime laudatur apud Antiquos. Unde Imperatores soliti sunt milites his verbis alloqui: 'Propugnatores mei, Reique publicæ fortes et fidi.' Numismata hujusce rei fidem faciunt, et veteres inscriptiones, in quibus, FIDES MILITVM. FIDES. EXERCIT. LEGIONES PIÆ. FIDELES, sæpe reperies.

Fidele militent] Ut sup. 'Dulce delectat.'

Christique lymphis ut renascantur Patri,
Capiant et ipsum cœlitus Paraclitum.
Ut idolorum respuant caliginem,
Cernant ut illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resolvendum est, videt:
Liquidis videndis aptus est animæ liquor:
Natura fervens sola ferventissimæ
Divinitatis vim coruscantem capit.
Hoc opto lumen Imperator noverit
Tuus meusque, si velit fieri meus:
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis imperator non erit:
Scelus jubenti, crede, nunquam serviam.

precabor, ut omnes ad Christi vexilla convolent, baptismate renascantur Patri æterno, ac Spiritum Sanctum accipiant, ut falsum Deorum cultum deserant imposterum, agnoscant Deum totius nostræ spei fundamentum nostrumque lumen, non illud quidem quod humidi fundunt oculi, qui sunt veluti corporis fenestræ, ex quibus exilit, sed lumen quo castæ mentes intus collustrantur. Quod corporeum est, id omne vident oculi corporei, quod caducum est, caduca quæque res agnoscit. Anima vero cœlestis nata est ad Dei cognitionem, unusque homo rationis particeps divinam essentiam sublimemque potest comprehendere. Opto tuum imperatorem meumque hanc in se lucem admittere, modo velit ut in omnibus ipsi obtemperem. Quod si Christo infense adversatur, licet meus sit imperator, tamen ad id impellere non poterit, nec ipsi, mihi crede, scelus jubenti obediam. Tum tyrannus his compellat

NOTÆ

429 *Ut renascantur Patri*] Ita Justinus ad Antoninum Pium: 'Nos solum Deum adoramus, et vobis in rebus aliis lætum præstamus obsequium, imperatores ac duces hominum esse fatentes, et simul rogantes, ut cum imperii potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.'

444 *Imperator non erit*] Recte Prudentius explicat quodnam sit principum dominium adversus subditos. Licet enim in omnibus obtemperandum sit illorum imperio, tamen, statim atque reges a subditis exigunt id quod Dei mandatis repugnat, ipsis obedire et parere minime debent. 'Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.' Non quod liceat arma sumere agitareque seditionibus plebem: Deus id vetat; sed ultro sese objiciendo omnibus ærumnis, exilio, ac morti, iis principibus repugnandum est.

445 *Scelus jubenti, nunquam serviam*] 'Justum' enim, ut ait Horat. Od. III. 3. 'et tenacem propositi virum, Non civium ardor prava jubentium, Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida.'

Statis, ministri, clamitans judex ait,
Statis, manusque continetis vindices?
Non rupta sulcis dissecatis viscera?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erumpit unde vox profana in principem?
Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta transversis secant,
Et jam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Cum sit quietus heros, in quem sæviunt.
Hæc inter addit sponte ROMANUS loqui:
Si quæris, o Præfecte, verum noscere,
Hoc omne, quicquid lancinamur, non dolet,
Dolet, quod error pectori insedit tuo,
Populos quod istos perditum tecum trahis.
Currunt frequentes undique ad spectaculum
Gentile vulgus, heu, gemenda corpora;
Crudumque nostræ sortis exemplum tremunt.
Audite cuncti: clamo longe ac prædico:

satellites: Ignavi, illa auditis, et continetis manus vindices. Jam jam solvite viscera, sulcisque nudate; jam animam, quæ tot conviciis nostrum principem proscidit, tormentis eripite ex corpore. Vix ea, sævi carnifices martyris in eculeo pendentis latera fissis dilacerant mucronibus. Atque omni ex parte, nam modo tractim, modo e transverso, vulnerant corpus, Romanum plagis consumunt, ita ut retecto pectore ossa ipsa appareant. Sed, mirabile dictu, tortores anheli sunt et fumantes sudore, martyr vero, in quem sæviunt, quietus immotusque. Quinetiam cruciatus inter ultro alloquitur Præfectum. Visne, inquit, a me quid rei sit accipere? Omnia illa supplicia, quibus afficior, nullum afferunt dolorem. Id unum mihi dolet quod tanta tibi sit Dei ignoratio, quod tecum hunc populum in perniciem trahas. Undique ad videndum martyrem in tormentis accurrunt quamplurimi pagani, qui, heu, vilia sunt mancipia, et insolito mortis nostræ exemplo terrentur. Audiant me

—445 *inserviam* C.—450 *Erupit* T. Delph.—451 *utrimque* Torrent. duo.—461 *insidet* Vulg.—462 *perditos* T. a m. sec. *Populos q. i. tecum trahis perditos* Weitz. *perditus tecum trahis* G.—465 *trahunt* W. B.—470 *perpetim* H.—

NOTÆ

455 *Retectis pectus albet ossibus*] Hypallage; pro ossa albent retecto pectore.

Emitto vocem de catasta celsior:
Christus paternæ gloriæ splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps
Spondet salutem perpetem credentibus.
  Animæ salutem, sola quæ non occidit,
Sed juge durans, dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur.
Christum secuta Patris intrat gloriam:
Disjuncta Christo, mancipatur Tartaro.
  Curanda mercis qualitas, quænam mihi
Contingat olim perpetis substantiæ:
Nam membra parvipendo quo pacto cadant,
Casura certe lege naturæ suæ.
Instat ruina: quod resolvendum est, ruat.
  Nec distat, ignis et fidiclæ sæviant,

omnes, clamo longe, alloquor, ac veluti orator de loco editiore, nempe de eculeo, vos doceo Christum, qui Patris sui splendor est, qui Deus est rerumque opifex, qui corpore sese induit, Christianis vitam animæ spondere perpetuam; nam anima cœlestis mortisque nescia nunquam perit. Non omnes tamen animæ eandem sortem habent, siquidem aliæ possident Deum, aliæ vero in Inferis cruciantur. Scilicet quæ obtemperarunt Christo, cœlum tenent, quæ Christum non coluerunt, mittuntur in Inferos. Nunc qualis ac quænam erit aliquando animæ meæ immortali remuneratio cogitandum est. Etenim non curo quomodo variæ corporis partes dissolvantur, quæ mox legibus naturæ suæ dividentur. Mors imminet, pereat ergo quod caducum est et

476 *merces qualis et* C.—479 *certa* Weitz.—480 *cadat* B. superscr.—481 *ignes*

NOTÆ

468 *Splendor*] Ex Epist. ad Hebr. 'Qui cum sit splendor Patris, et figura substantiæ ejus.'

473 *Aut luce fulget, aut tenebris mergitur*] Prosper in sentent. 'Digni lumen habent: damnati incendia deflent: Illos splendor alit: hos vapor igne coquit.'

476 *Curanda mercis qualitas, quænam mihi*] Sic scripti: Cauchius tamen castigat: *Curanda merces qualis et quænam mihi*.

481 *Nec distat*] 'Tanquam intersit, periturum corpus quæ ratio consumat, ignis, an fluctus, an mora. Quicquid feceris, omnia hæc eodem ventura sunt. Feræ tamen corpus lacerabunt? Tanquam melius ignis accipiat.' Petron. Idem habet Minuc. Octav. Idem Seneca de Fortuitis.

Fidiclæ] 'Numero tantum plurali sumitur pro instrumento torquendi, ex duobus obliquatis lignis compacto, ab extorquenda veritate ac fide: vel a nerveis funibus vinculisque, quibus ad illum modum homines torquendi alligantur.' Hæc Valla, lib. I. Senec. de ira lib. III. 'Eculeus et fidiculæ, et ergastula et cruces.'

An corpus ægrum languor asper torqueat,
Cum sæpe morbos major armet sævitas.
Non ungularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanto dira pulsat pleurisis.
 Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit;
Vel summa pellis ignis obductus coquit,
Papulasque fervor æstuosus excitat:
Credas cremari stridulis cauteribus.
 Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus:
Sic ejulantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquent quos podagra, et arthrisis.

fragile. Atque unum et idem est vi tormentorum ignisque mortem obire, ac acutis morbis absumi, quibus sæpe afflictamur magis. An enim nos lacerant ungulæ tam crudeliter, quam dira pleuritis? Nonne febris bilis ardore venas torret acerbius, quam laminæ ardentes cuti admotæ; eæ enim unam tantum ἐπιδερμίδα lædunt, humorum autem inflammatio ardentes excitat pustulas, sic ut crepitantibus cauteriis cremari putent ægroti. Vos miseret mei, quod meis manibus ad tergum rejectis, distractis pedibus, nervis extentis omnis corporis compages frangatur, similisque sim illis, qui, dum podagra arthritidive laborant, flentes clamant ossa luxata esse. Atque



Weitz. *an fidiculæ* F.—483 *sævitas* Weitz. Heins. Eg. C. *sævitia* H. W. B. Vulg.—484 *fodet* Eg.—490 *ut stridulis* W. superscr.—493 *crepitantibus* A.—495 *arthesis* Weitz. *arthresis* A. F. *artresis* P.—508 *Sorde* Eg.

NOTÆ

483 *Sævitas*] Pro sævitia, antiqua vox est, qua usus est Firmicus lib. v. Semper ad arma parati unde alios sua fortitudine aut sævitate deterreant.

485 *Pleurisis*] Pleuritis scilicet ab πλευρὰ tunica, quæ succingit costas, inter quam et ipsas costas sanies colligitur, et apostema generatur. Unde tantum laterum dolorem patimur. Hoc vocabulo usus est Hubertus in vita S. Gudilæ.

489 *Papulas*] Tuberculum nempe, quod jejunæ salivæ defricatione curatur. De Cauteribus sup. Hymn. 5. 28.

495 *Arthrisis*] Velut genus quoddam est omnium morborum articulos ac nervos occupantium. Cum in multis articulis debilitas hæret, arthritis appellatur; quando vero in una aliqua corporis parte, ab illa fere sortitur nomenclaturam. Sic χειράγρα in manibus, ποδάγρα in pedibus, in coxendicibus ἰσχιὰς: ejus triginta species enumeravit Æsculapius. Prudentius atque coævi arthresim pleuresim, phrenesim fecerunt, quas voces haud reperies apud antiquos aut Græce peritos. Nodosum autem vocat hunc morbum, quia cum callos seu nodos (ut appellat Ovidius) habere

Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sævit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, et recens cruor
Scalpella tinguit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum, quo reformatur salus:
Videntur isti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, dolet,
Inflatur ira, solvitur libidine:
Plerumque felle tincta livores trahit.

etiam quotquot adestis hasce tortorum manus horretis. At mitioresne sunt manus chirurgorum, cum medica carnificina ægrotantium membra secant? Heu ut abradant putredinem vivam carnem præcidunt; sanguine tingunt scalpellum novaculamque. Putate igitur satellites illos chirurgos esse, qui in corpus meum immittunt ferrum, quo immedicabilem partem recidant. Tormenta, quæ vitæ conducunt, grata sunt hominibus. Ita isti tortores omnia membra putrida resecant ut animæ, quæ remanet integra, saluti consulant. Nemo ignorat quanta sit carnis nostræ vitiosæ caducæque corruptio. Mox avaritiæ, superbiæ, voluptatibus dedita est, mox immunda, ira succensa, soluta luxu, denique quamplurima odia concipit exercetque.

H. Gif.—510 *intincta* A. Weitz.—520 *Nec* P.—522 *perdolosum* Eg.

NOTÆ

incipit, et fit tumida arthritis, tum exigua est spes recuperandæ salutis.

498 *Laniena Hippocratica*] Medica laniena dicitur proverbialiter, quia Hippocrates vinciri jubet illos, qui secandi sunt, seu potius propter eam partem medicinæ, quam χειρουργικὴν a manuum operatione appellavit idem medicorum princeps. Hippocrates autem auditor fuit Democratis, ut quidam volunt, vixit apud Perdiccam Macedoniæ regem. Excessit e vita annos natus 104. Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur.

Hippocratica] Antepenultima tamen hujus substantivi brevis est, sicut in 'Hippocrates,' teste Martial. 'Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.'

500 *Scalpella*] Est instrumentum medicum, quo partes corporis malesanæ aut putridæ abscinduntur, et instrumentum sutorium, teste Horatio.

502 *Salubriter*] Quod sublata parte immedicabili corpus servari possit. Unde poëta, 'Immedicabile vulnus Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.'

Aurum regestum nonne carni acquiritur?
Illusa vestis, gemma, bombyx, purpura
In carnis usum mille quæruntur dolis:
Luxus vorandi carnes arvinam fovet:
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere, quæso, carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum,
Fac, ut resecto debilis carnis situ,
Dolore ab omni mens supersit libera,
Ne gestet ultra quod tyrannus amputet.
Nec terrearis turba circumstantium:
Hoc perdo solum, quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperique, et diviti:
Sic vernularum, sic senatorum caro
Tabescit, imo cum sepulcro condita est.
Jactura vilis mordet et damnum leve,
Si, quo carendum est, perdere extimescimus:
Cur, quod necesse est, non voluntas occupat?

Nonne enim, ut adulemur corpus, divitias congerimus? Nonne ad carnem fovendam gemmas, vestes varie textas, sericas, ac purpureas mille artibus quærimus? Nonne commessationibus pinguescit corpus et libidine; omnibus sceleribus contaminatur? Quare vos obtestor, o carnifices, ut tantis malis subveniatis: resecate ac cruciate corpus peccatorum irritamentum; omnem hujusce mortalis corporis squalorem amovete, ut mens tandem ærumnis non obnoxia in cælum penetret, nec animet corpus in quod unum tyrannus sævire potest. Vos autem spectatores nolite expavescere. Depono corpus solutile, quodque omnes, reges, subditi, pauperes, et divites aliquando naturæ legibus reddent: senatorum æque ac servorum artus in cineres redigentur, licet conditi fuerint sepulcro. Cur ergo tam vilis jactura, tam leve damnum nobis exhibet molestiam, siquidem mors nos tantum expoliat corpore, a quo brevi anima se abstrahet? Cur sponte non toleramus, quod accidet necessario? Cur in gloriam



P.—527 *quod* Eg. P.—530 *Regale* C. Ro.—533 *refulsus* C. Amb.—535 *Re-*

NOTÆ

512 *Illusa vestis*] Ita Virg. Georg. II. 'Illusasque auro vestes, Ephyreiaque æra.' In iis enim artifex ludens aliquid varietate colorum depingit. De Arvina sup. Cath. Hymn. 7. vs. 9.

522 *Peribit omnibus*] Quæ sententia ab omnibus poëtis admodum frequentata est. Horat. 'Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.' Tragicus de Hercule: 'Jacet omnibus par quem parem tellus genuit Tonanti.' Et Propert. 'Sed tamen huc omnes, huc primus, et ultimus ordo: Est mala, sed cunctis ista tenenda via est.'

Natura cur non vertit in rem gloriæ?
Legale damnum deputemus præmiis.
  Sed, præmiorum forma quæ sit fortibus
Videamus: illa nempe quæ nunquam perit.
Cœlo refusus subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regia.
  Quandoque cœlum, ceu liber, plicabitur,
Cadet rotati solis in terram globus,
Sphæram ruina menstrualem destruet:
Deus superstes solus, et justi simul
Cum sempiternis permanebunt angelis.
  Contemne præsens utile, o prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi:
Omitte corpus, rem sepulcri et funeris;

non referimus ipsiusmet naturæ leges? Pœnam itaque, mihi credite, a natura impositam ita persolvamus ut mereamur præmium. Quænam autem inclyti Christiani præmia expectare debeant, jam consideremus, æterna scilicet et perennia. Cœlestis anima in cœlum ascendet, ibique aperte Deum intuebitur, ac cum Christo paradisi sedes tenebit. Cum in die judicii cœlum plicabitur tanquam liber; cum orbiculati solis globus in terram cadet, cadet et menstrualis luna: unus Deus erit superstes, ac justi cum angelis immortalibus permanebunt. Qui vos inter prudentes sunt, jam parvi faciant terrena bona, caduca, ac peritura; nec curent quis ipsis præclaram

---

gente A.—536 *plecabitur* Eg. Weitz.—538 *Speram* W. H. B. Weitz. *Spaeram*

NOTÆ

536 *Cœlum, ceu liber*] Id ex Isaia deductum est. 'Complicabuntur sicut liber cœli, et omnis eorum militia defluet, sicut defluit folium de vinea.' Quæ vero sequuntur ex cap. XIII. Marci: 'Obtenebrabitur sol, et luna non dabit splendorem suum, et stellæ cœli decident, et virtutes cœlorum movebuntur.'

538 *Sphæram menstrualem*] Luna menstrualis dicitur, quia illius cursus menstruo tempore conficitur.

539 *Et justi simul*] Ne quis putet poëtam errasse, eaque in opinione fuisse, justos tantum superstites fore, peccatores vero et perditos homines omnino perituros; haud extra rem esse censui monere lectores ea intelligenda esse late, ut philosophice loquar, eo quod qui igne æterno damnantur, non vere ac proprie superstites sunt, siquidem quotidie moriuntur. Adde quod hoc loco Prudentius mentionem faciat de iis tantum, qui postquam mortem obiere, nihil jam patiuntur. Denique sæpissime asseruit peccatores æterna supplicia toleraturos, quare, quin recte senserit, dubitare non possumus.

Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum:
Agnosce qui sis; vince mundum et sæculum.
Vix dum elocutus martyr hanc peregerat
Orationem, cum furens interserit
Asclepiades: vertat ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas manum,
Sulcosque acutos et fidiclas transferat.
Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus,
Quibus sonandi nulla lex ponit modum;
Ipsa et loquentis verba torqueri volo.
Implet jubentis dicta lictor impius,
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis et secat faciem notis:
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem:
Grates tibi, o Præfecte, magnas debeo,

reddet exequias, quis sepultura afficiet, sed æternam conentur vitam agere, et uni Deo serviant. Secum cogitent unde trahant originem, et opes voluptatesque negligant. Vix sermoni finem fecerat Romanus, Asclepiades furens his compellat carnifices. Jam jam lacerate vultum loquentis, ita ut colaphis, fidiclarumque ictibus maxillæ sint tumidæ. Jam os, unde verba exeunt, opprimite; buccas, quas leges omnes contemnendo semper inflat ad loquendum, rumpite, ne amplius importunas voces profundat; denique ipsamet verba compescite. Diri tortores jussis obtemperant, ambas lacerant genas ungulis secantibus, altos vultui sulcos infindunt: hinc atque illinc rumpunt cutem barba hirsutam; quid plura? a fronte usque ad mentum totam martyris faciem dilaniant. Qui martyr suo sanguine respersus exclamat, quod mihi liceat multiplici ore Christi laudes dicere, id tibi, o Præ-



A.—539 *superstis* Eg. H.—549 *manus* A.—552 *Ebullientes* C.—556 *livor* Amb. *improbus* Weitz.—557 *Caraxat* Eg. H. *Charassat* F.—559 *captim* P.—570

NOTÆ

553 *Follibus*] Buccis scilicet, quæ follium instar inflantur ad emittendam vocem.

557 *Charaxat*] Χαράττειν Græcis etiam valet sculpere, arare. Poëta suæ ætatis suppares imitatus ab istius verbi futuro χαράξω Latinam dictionem formavit.

Ungulis scribentibus] Scribere ungulis idem est ac vulnerare, et notas quasi calamo ducere atque imprimere. Ut apud Plautum: 'Inscribam tergum plagis.'

559 *Hirsuta barbis*] Aut quia barbam more gentis nutriverat, aut ex longo carcere.

Quod multa pandens ora jam Christum loquor.
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes invenit vox edita,
Multisque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, et profatur undique
Christi Patrisque sempiternam gloriam.
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.
Tali repressus cognitor constantia,
Cessare pœnam præcipit, tunc sic ait:
Per solis ignem juro, qui nostros dies
Reciprocatis administrat circulis,
Cujus recursu lux et annus ducitur,
Ignes parandos jam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devorent,
Quod perseverans tam resistit nequiter

facte, acceptum refero. Antea enim, cum uno tantum ore loquerer, haud satis Deum laudabam, tantique nominis præconium hærebat faucibus. Nunc vox edita invenit facilem aditum, et emissa per multas vias reddit hinc atque inde plurimos sonos, et undique annuntiat gloriam æternam Patris æterni et Filii; nunc quot mihi sunt vulnera, tot ora sunt quibus Deum prædico. Judex fractus Romani constantia jubet carnifices non amplius illum afficere supplicio. Atque juro, inquit, per solem, qui singulis annis in eundem locum recurrendo nostram ætatem metitur, quique suum peragens cursum, et dies refert et annos, me mox daturum esse te rapidis flammis; quibus corpus tuum, ut æquum est, brevi corripietur; cum maxime

---

quod Eg. H.—573 *ignem* H. P.—576 *Ignes parandos* Vat. plerique, A. H. Heins. Amb. T.—*Ignis parandus* Weitz. Vat. un.—577 *devorent* Heins. Amb.

NOTÆ

567 *Rictibus*] Rictus, est oris mensura aut hiatus apertior, qualis cernitur in belluis. Quo nomine appellat etiam vulnera grandia et hiantia. Sic Ovid. de homine avaro loquens Metam. II. ‘Fusile per rictus aurum fluitare videres.’

573 *Per solis ignem*] Quanquam mos esset apud antiquos per omnia quæque obvia jurare; unde Tibul. lib. III. ‘Etsi perque suos fallax jurabit ocellos, Junonemque suam, perque suam Venerem;’ tamen juramenta per sidera maximeque per solem sanctiora fuisse constat, ut colligi potest ex Virg. Æn. VI. ubi Æneas ait: ‘Per sidera juro, Per Superos,’ &c.

Ignem] Secutus est Prudentius sententiam Philosophorum, qui docent solem esse ignem formaliter aut habere naturam igni simillimam.

Nostros dies] Attingit cursum solis, qui tam in motu diurno, quam in annuo in se redit, ut canit Virg. ‘Atque in se sua per vestigia volvitur annus.’ De quo jam multa diximus Hymn. 11. et 12. Cathem.

Sacris vetustis, nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitque pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori injecit stupor?
Mens obstinata est, corpus omne occalluit:
Tantus novelli dogmatis regnat furor:
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum cruci.
Hæc illa crux est omnium nostrum salus,
ROMANUS inquit: hominis hæc redemtio est,
Scio incapacem te sacramenti, impie,
Non posse cæcis sensibus mysterium
Haurire nostrum: nil diurnum nox capit.
Tamen in tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit: lippus oculos obteget.
Removete lumen, dicet insanabilis:
Injuriosa est nil videnti claritas.
Audi, profane, quod gravatus oderis.
Regem perennem Rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,

pertinacia nequitiaque antiquum oppugnes Deorum cultum, cum supra dolores exsurgas, atque in tormentis novas vires assumas. Tantum novum Christianorum dogma apud te valet, ut quodam sensus stupore corpus tuum non sentiat tormenta, mens tua immota sit, membris tuis callum obduxerit cæcitas. Nego ego Christum illum, quem tu ipse in crucem actum fuisse fateris, unquam extitisse. Tum Romanus. Ex cruce omnes homines Christus servavit redemitque. Scio te, o impie, hujusce doctrinæ rudem non posse cæco animo concipere nostræ religionis mysterium; lux enim et tenebræ pugnant inter se. Attamen patefaciam quæ tibi obscura sunt, et illustrabo. Qui credet, is intuebitur veritatem, incredulus vero ab ea dejiciet oculos. Fortasse dicet aliquis in cæcitate pertinax, ne ea proferas in lucem veritatis, lux non videnti injucunda est. At, o profane, audi id quod peccatis gravatus odio habuisti. Deus æternus ab æterno producit Deum, quem intra se generat, licet non

T. H. Vat. plerique. *devoret* Weitz. Vat. un.—592 *oclos* A. Weitz.—593 *dicit*

NOTÆ

580 *Fit pœnis fortius*] 'Per damna, per cædes, ab ipso Ducit opes animumque ferro,' ait Horatius. Sed hæc præcipue est vis fortitudinis Christianæ.

589 *Cæcis*] 'Caro enim non percipit ea quæ sunt spiritus,' ait Christus Nicodemo.

590 *Nil diurnum nox capit*] Simile illud Boëth. lib. IV. Pros. 4. 'Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere; similesque avibus sunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat.'

597 *In se manentem*] Quia intra se Pater generat Filium, cetera autem

Quia tempus illum non tenet: nam fons retro
Exordiorum est, et dierum, et temporum,
Ex Patre Christus: hoc Pater, quod Filius.
Hic se videndum præstitit mortalibus:
Mortale corpus sumsit immortalitas,
Ut, dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cœlestia:
Homo est peremtus, et resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo:
Dum nostra temptat, cessit immortalibus.

sit prior tempore, is enim coæternus est et ante omnia tempora; siquidem per Christum ex Patre natum prima rerum exordia, et dies, et tempora facta sunt. In omnibus Pater et Filius coæquales sunt. Filius autem visibilis factus est, atque unione hypostatica natura humana conjuncta est divinæ; ut, dum æternus Deus hominum infirmitatibus esset obnoxius, homines cœlestis gloriæ essent participes. Christus ut homo mortem obiit, resurrexit vero ut Deus. Mors quidem cum Deo carne humana induto ausa est congredi, sed dum vincit hominem, a Deo vincitur. Huma-



Eg. H. P.—607 *tentat* Edd. pleræque—609 *eligit* A. F.—618 *respues* H. P.—

NOTÆ

extra se creavit: quibus non immoror, quia infra, dum hæreses omnes refutabit, fusius explicanda erunt.

600 *Hoc Pater*] Quantum ad essentiam, quæ per neutrum genus significatur: nam in genere masculino falsum esset dicere, hic Pater est, qui est Filius.

602 *Mortale corpus sumsit*] Non defuerunt, qui hujusmodi voces, accipere, sumere, sumtionem, acceptionem abjudicarint, tanquam Nestorianæ hæresi servientes. Sed nimirum non tam ipsum vocabuli genus per sese, quam cum nomine conjunctum ἀνθρώπου, i. e. hominis, improbarunt: quoniam ista locutio jam conceptum, et formatum, absolutumque hominem, cum Deo conjunctum fuisse significat; quod non est ita. Quocirca sumendi vocabulum ab antiquis nullo modo repudiatum, præcipue vero si vocabula sunt adjuncta, quæ naturam hominis, sive humanitatem potius quam hominem significant. Cujusmodi sunt nomina; forma, caro, corpus, templum.

604 *Transire nostrum posset ad cœlestia*] In eandem sententiam Prosper. 'Sed mortale meum subit; ut, quia vita teneri morte nequit, pereat mihi mors: et non ego jam in me vivam, sed Christus, qui se mihi miscuit in se.'

606 *Congressa Deo*] Græcismus, pro congressa cum Deo. Virg. 'Impar congressus Achilli.'

607 *Immortalibus*] Ant. Nebriss. putat legendum esse *immortalitas*, ita ut etiam 'immortalitas cederet morti,' quia dicimus ex communicatione naturarum, quod Deus passus est juxta illud Pauli: 'Forma servi assumta, seipsum inanivit, et humilem obedientemque præbuit usque ad mortem.' At mihi videtur in hoc mentem Prudentii non attigisse. Romanus enim demonstrat crucem, mor-

Stultum putatis hoc, sophistæ sæculi:
Sed stulta mundi summus elegit Pater,
Ut stultus esset sæculi, prudens Dei.
Antiquitatem Romuli, et Mavortiam
Lupam renarras, primum et omen vulturum.
Si res novellas respuis, nil tam recens:
Vix mille fastis implet hanc ætatulam
Cursus dierum conditore ab augure.
Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit otium,
Multo ante clara, quam capellam Gnossiam

næ, fateor, sapientiæ professores hoc illudunt, sed Deus elegit stulta mundi, ut qui rerum divinarum prudens esset, is a mundanis hominibus stultus haberetur. Ultra progrediamur? Quid est quod glorieris de Romuli antiquitate alti Mavortia Lupa, et regno ab avibus confirmato? Si religionis novitatem respuis, Romana novissima est. Nondum enim a Romulo conditore mille annorum numeramus in annalibus. Tibi etiam, mihi si satis esset otii, demonstrarem quam plurima in orbe terrarum olim condita fuisse regna, quæ nobilia erant longe ante illud tempus, per quod finx-

NOTÆ

tem, naturam humanam non negare Christi divinitatem, ut contendebat Asclepiades: quare ut objectionis vim debilitet, nonne satius est ut ostendat in ipsa morte Christi nonnulla reperiri, quæ uni Deo conveniunt?

609 *Stulta mundi*] Ex 1 Corinth. 'quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.' Et ibidem: 'Quæ stulta sunt mundi elegit Deus.' De Romulo sup.

611 *Mavortiam Lupam*] Lupum ut raptorem Romani dicarunt Marti Deo raptori. Virg. Æn. IX. 'Quæsitum aut matri multis balatibus agnum Martius a stabulis rapuit lupus.' Inde et Horat. dixit 'Martiales lupos.' Neque vero alia ratio vulgatæ fabulæ lactis Romulei; ut enim Martis filius creditus Romulus quia bellator, ita et nutritus a lupa bellatrice. Quare Propertius Eleg. IV. 1. 'Hanc feram vocat altricem Romani sanguinis.'

614 *Vix mille*] Tot fere anni fuerunt ab urbe condita ad Galerium, sub quo Romanus passus est.

Fastis] Fastorum scilicet libris, in quibus totius anni res populi Romani scriptæ continebantur, et causæ festivitatum explicabantur.

616 *Sexcenta*] Puta Assyriorum, Sicyoniorum, Ægyptiorum, Macedonum, Persarum.

618 *Capellam Gnossiam*] Id translatum est a fabula, quæ varie narratur apud auctores. Quidam tamen, ut Parmenius poëta Græcus, ad hunc modum narrant: Rhea Jovem enixa, metu Saturni liberos recens natos devorare soliti, infantem in Creta occuluit, nutriendum a Nymphis Adrastea et Ida Melissei filiabus. Illæ nutricaverunt eum lacte cujusdam capræ, cui nomen erat Amalthea, quam Jupiter jam adultus ob acceptum beneficium in sidera retulit. Hujus alterum cornu Nymphis nutricibus dedit, videlicet officii præ-

Suxisse fertur Jupiter, Martis pater:
Sed illa non sunt, hæc et olim non erunt.
  Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
Nascente mundo factus ut primum est homo
Expressa signis, expedita est literis:
Adventus ejus mille per miracula
Prænuntiatus ore vatum consono.
  Reges, prophetæ, judices, et principes
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stylo,
Non destiterunt formam pingere crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est prius,
Crucem vetusta combiberunt sæcula.
  Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostra comprobata antiquitas,
Coram refulsit ore conspicabili,

ere poëtæ Jovem Martis patrem suxisse Amaltheam. Hæc regna jam finem invenerunt, inveniet et Romanum. Contra vero Christi crucem, quam novum inventum dicitis, prima mundi ætate, statimatque Deus hominem finxit e terra, figuræ adumbrarunt, et de ea sacra Biblia mentionem fecerunt, necnon una voce, quotquot fuere vates mille per miracula prædixerunt Jesu nativitatem. Reges et principes, virtute bellisque, Prophetæ dictis, cærimoniis ac sacrificiis, judices plures crucis figuras expresserunt; ita ut crux prænotata adumbrataque fuerit ab initio, atque majores nostri insitam illius notionem in animis habuerint. Tandem adimpletis Prophetarum vaticinationibus novimus hac ætate patres nostros veraces fuisse. Ne



616 *cognita* Eg. et W. in rasura.—626 *judicesque* Weitz.—628 *Non d. pingere*

NOTÆ

mium; hanc adjiciens facultatem, ut quicquid optassent id illis ex cornu largiter suppullularetur. Gnossiam vocat capellam Poëta a Gnosso urbe Cretæ, de qua sup. De Jove sup.

619 *Martis pater*] Idem cecinit Hesiodus in Theogonia: 'Addita mox uxor post has est ultima Juno, Lucinam Martemque parit, quibus est prior Hebe, Juno hominum regi, regi conjuncta Deorum.' Quanquam nonnulli arbitrati fuerint hunc sine patre fuisse natum.

623 *Expressa signis, expedita literis*] Puta victimis pecudum per Abelem mactatis, ipso Abele, Noë in arca, Josepho, Jona in ventre piscis. Aut ea referri possunt ad id quod scribit Minucius Felix: 'Signum sane crucis naturaliter videmus in navi, cum velis tumentibus vehitur, et expansis palmulis labitur, et cum erigitur jugum, crucis signum est; et cum homo porrectis manibus Deum mente pura veneratur.' Denique sacra Biblia hoc multis iñ locis significarunt, maxime vero cum loquuntur de æneo serpente, quem Moses exaltavit in deserto.

Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu cominus.
Hinc nos et ipsum non perire credimus
Corpus, sepulcro quod vorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus Cruci
Secum excitatum vexit ad solium Patris,
Viamque cunctis ad resurgendum dedit.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus,
Nobis peremtus Christus, et nobis Deus,
Christus reversus, ipse qui moriens homo est:
Natura duplex moritur et mortem domat,
Reditque in illud quod perire nesciat.
Dixisse pauca sit satis, de mysticis
Nostræ salutis, deque processu spei.
Jam jam silebo: margarita spargere

enim fides hominum vacillaret, si veritas ipsismet oculis cominus non observaretur, omnibus apparuit manifeste. Hinc corpus ipsum, quod humo mandamus, vorantque vermes, putamus ad quoddam tempus tantum perire. Christus enim, cum corpus suum, quod in crucem actum occubuerat, revocavit ad vitam, atque in cœlum evexit, cunctos homines docuit resurrecturos. Nos autem ex illa cruce, in quam ascendimus cum Christo, totum fructum capimus; siquidem Jesus pro nobis fudit sanguinem. Qui, quia Deus erat, surrexit a mortuis; ac morte interiit, quia humanam assumserat naturam. Sic Christus, Deus et homo simul, et moritur, et morti insultat, ac reviviscendo jam omni ex parte fit immortalis. Sit satis summatim attigisse Christianæ religionis mysteria, et quo tendat spes nostra dixisse. Nihil ultra loquar: quippe



hanc f. c. F. *Formam c. n. d. p.* G.—634 *Nec* T.—644 *simplex* B. sed *duplex*

NOTÆ

636 *Non perire credimus*] Ita Gentium Apostolus Corinthios monet omnes homines per Christum resurrexisse. 'Si Christus,' inquit, 'prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quod resurrectio mortuorum non est? si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.'

641 *Patibulum ascendimus*] Cum Christo scilicet, quicum unum corpus componimus, cujus membra nos sumus, ipse autem caput.

648 *Margarita*] Regnum Dei comparatur margaritæ pretiosæ ab ipso Christo Matth. XIII. atque ab eodem verbum Dei prohibetur porcis objici. Illud enim animal tam immundum fuit ut illius esus fuerit lege interdictus Judæis. Unde etiam per metaphoram Horatius hominem in voluptate abdominis et gutturis summum bonum ponentem vocat 'Epicuri de grege porcum.' 2. Quanquam multi codices habeant *margaritas spargere*, quæ dictio antiquis scriptoribus magis usitata est, tamen Giselinum atque Heinsium secutus sum, qui

Christi vetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed, quia profunda non licet luctarier
Ratione tecum, consulamus proxima:
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sine arte sensuum sententia:
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum, aut minus,
Qui sit favoris liber, et non oderit
Quenquam, nec ullum mentis in vitium cadat.
Periclitemur, quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor.
Hanc ille sancti Martyris vocem libens
Amplexus, unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captumque adesse præcipit. Quidvis roga,
Inquit, sequamur quod probarit pusio.

vetamur immundis porcis dare margaritas, ne hæc lutulenta animalia sanctum terant. Sed, quandoquidem gravibus tecum argumentis agere nequeo, consulamus ea quæ novimus: consulamus scilicet naturales sensus, quorum scientia perspicua est et nativa. De hac re constituamus judicem expertem sophisticæ. Sume, si vis, septennem circiter puerum, qui nec amore nec odio faveat alicui, quique ab omni vitio remotus sit; ac experiamur quid illa rudis ætas dicat esse sequendum, quænam in puerorum animis insita sit notio. Tyrannus libenter ad hanc conditionem descendit: quare jubet media ex turba unum arripi infantem, non ita pridem ablactatum, atque adduci. Tum ad martyrem respiciens, Interroga, inquit, puerum de his quæ volueris, atque abeamus ad opinionem, quam is confirmabit. Romanus cupiens inno-

superscr.—648 *margaritas* Codd. nonnulli.—651 *luctuarier* Eg. H.—654 *sci-*

NOTÆ

legunt *margarita*, quia in Psychomachia dixit 'margaritum ingens,' ubi erravit Poëta producendo secundam syllabam.

651 *Luctarier*] Verbo palæstrico disputationem acrem luctæ similem facit. Ita Cicero de oratore Crassum alloquens; 'non luctabor tecum.'

655 *Fuci imperitus arbiter*] Quia teste Horatio, ubi affectus obstant, verum provideri non potest.

657 *Non oderit*] Odium enim et ira instar fumi habet, qui oculos mordicat, et, quæ ante pedes posita sunt, videre non sinit.

662 *Unum de caterva*] In antiquo breviario Toletano sacer est hymnus, capitula, et orationes de Romano martyre, ubi puer ille Theodulus appellatur. Alii vero omnes qui mentionem fecerunt de pueri martyrio, una voce Barulam nominarunt. Ita Mombrit. tom. 2. qui edidit acta Romani ex vet. manuscript. Ita Eu-

Romanus ardens experiri innoxiam
Lactentis oris indolem: Filiole, ait,
Dic quid videtur esse verum et congruens,
Unumne Christum colere, et in Christo Patrem,
An comprecari mille formarum Deos?
Arrisit infans, nec moratus retulit:
Est quicquid illud, quod ferunt homines Deum,
Unum esse oportet, et quod uni, est unicum.
Cum Christus hoc sit, Christus est verus Deus.
Genera Deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre leges, nec loquenti talia
Furor sinebatefferatus parcere.
Quis auctor, inquit, vocis est hujus tibi?
Respondit ille: Mater, et matri Deus.
Illa ex parente Spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula:

centem lactentis pueri indolem experiri, ita interrogat: Filiole, dic utrum verum magis, magis congruens Christum unum illiusque Patrem, qui essentia idem est quod Filius, adorare, aut colere plures Deos ac mille formis dissimiles. Infans Romano subridens statim respondit: Necesse est ut id, quicquid illud sit, quod Deum vocant homines, unum sit et perinde unicum; unicum enim est, quod uni tribuitur. In Christo autem hæc reperiuntur, Christus igitur verus est Deus. Ipsimet pueri noverunt multa Deorum genera non esse. Stupet Asclepiades, pudore suffunditur, fluctuat animo. Nec enim decet suppliciorum acerbitate tam tenerum infantem coërcere, nec effrænatus furor patitur impunitum dimittere talia loquentem. Itaque ab eo scitatur, quis de hoc ipsum erudierit. Mater, inquit puer, me docuit, docuitque matrem Deus ipse. Illa igitur perita mater a Spiritu Sancto accepit id, quo

entia F.—664 *præcepit* H.—667 *Lactantis* Vulg.—673 *quod cuique est* C. *et quod uni* F. G. P.—678 *legis* Weitz. *lege* quidam.—682 *Spiritus* P. H.—

NOTÆ

cherius in homilia de sancto Romano, quæ tamen inscripta est nomine Eusebii Emisseni.

670 *Mille formarum*] Idem Minucius belle paganis objicit; 'Quid formæ ipsæ Deorum et habitus, nonne arguunt ludibria et dedecora Deorum vestrorum? Vulcanus claudus et debilis, Apollo tot ætatibus lævis, Æsculapius bene barbatus etsi semper Apollinis filius, Neptunus glaucis oculis, bubulis Juno, pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus impeditis,' &c.

Ego, ut gemellis uberum de fontibus
Lac parvus hausi, Christum et hausi credere.
Ergo ipsa mater adsit, exclamat, cedo,
Asclepiades; disciplinæ et exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,
Male eruditi torqueatur funere
Infantis orba: quemque corrupit, fleat.
Absit ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget: quantulus autem dolor
Vexabit artus, mortis auxilio brevis?
Oculi parentis punientur acrius,
Quam si cruentæ membra carpant ungulæ.
Vix hæc profatus, pusionem præcipit
Sublime tollant, et manu pulsent nates:
Mox et remota veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis quam cruoris defluat.
Quæ cautis illud perpeti spectaculum,
Quis ferre possit æris aut ferri rigor?

me in cunis jacentem nutriret. Quare, cum ubera lactis fontes suxi, cum lacte suxi fidem Christianam. Dic igitur matri, tyrannus exclamat, ut huc accedat; hæc impia magistra tristem spectabit suæ disciplinæ exitum, quod te, quem in perniciem tuam docuit, orbata erit, torquebitur tuo funere, et flebit quem corrupit. Absit enim ut lictores mei fatigentur vilem mulierculam lacerando. At, cum dilaniabunt tuos tam delicatos artus, qui non diu resistent tormentis, mater hæc videndo majora perferet supplicia, quam si ipsa ungulis pœnas lueret. Vix ea dixerat, jubet carnifices attollere puerum a terra, ipsius nates pulsare manibus, vestes deducere, virgis cædere, denique sævis ictibus teneras conscindere scapulas, sic ut plus exeat lactis quam sanguinis. Quis homo saxeus, quis æreus, quis ferreus hoc posset



687 *ut exitum* Eg. a m. sec.—692 *quantulus est autem* F. *quantulos autem* T. Ro. *tantulos at si dolor* G.—693 *Vexarit* C.—694 *parentes* Eg. *parentum* W. sed corr.—699 *ductis* Weitz. Eg.—700 *inde* W.—703 *salex* Weitz. Eg.—

NOTÆ

685 *Lac parvus hausi, Christum et hausi credere*] Haurire cum lacte, proverbiale. Cic. Tusc. III. 'Ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.'

686 *Cedo*] Verbum defectivum, in imperativo tantum legitur, significatque dic, vel da. Terent. Andr. 'Cedo, cujum puerum hic apposuisti?'

689 *Torqueatur funere*] Is enim insitus a Deo parentibus amor est, ut liberos diligant magis quam se ipsos. Hinc Quintilian. 'Torquebis filium, et fatebitur mater.'

Impacta quoties corpus attigerat salix,
Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga flerat roscidis livoribus.
Ferunt minaces verberantium genas
Illacrymasse, sponte demanantibus
Guttis per ora barbarum frementia:
Scribas et ipsos, et coronam plebium,
Proceresque siccis non stetisse visibus.
At sola mater hisce lamentis caret,
Soli sereno frons renidet gaudio,
Stat impiorum corde pietas fortior,
Amore Christi, contumax doloribus;
Firmatque sensum mollis indulgentiæ.
Sitire sese parvus exclamaverat:
Animæ æstuantis ardor in cruciatibus

delectari spectaculo? Heu, quoties salignæ virgæ corpus tetigerant, eæ puerili rubebant sanguine, qui de vulneribus manabat, ac de livoribus roris instar stillantibus. Fama est nec carnifices verberantes potuisse tenere lacrymas, quæ sponte, quanquam fremerent, per sua ora fluebant, nec scribas, nec spectatores, nec ipsos proceres siccis oculis illud vidisse. Una mater temperavit a lacrymis, una vultu gaudium declaravit. In corde proborum hominum stat fortior pietas, quæ Christi amore superat dolores, quæque matris amorem in filium ad normam rationis dirigit. Puer ille clamaverat siti consumi; æqua erat postulatio, qui enim incredibiles cru-



705 *ferat* B. W. *fecerat* Eg. H. P. *ferret* F.—712 *renitet* W.—713 *in piorum*

NOTÆ

705 *Plaga flerat*] Lepidissima sane translatio: summa enim cute perstricta stillatim cruor, non confertim effunditur. Alii *ferat* habent, alii *fecerat*, Murmellius *ferret*, inepte omnes.

709 *Scribas*] Notarios scilicet, qui semper aderant, cum rei supplicio afficiebantur.

713 *Stat impiorum corde pietas fortior*] Cyprianus lib. de laude Martyrii id belle describit: 'Quantæ sit gloriæ, ponderate, hujus vitæ cupiditatibus, et qua ab omni animo natura mundi, qua commercio segregatum contra adversantes discrimen opponere, nec sævitiam torquentis horrere, animari hominem dolore, quo credatur extingui, et id sibi in augmentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse, qui punit. Nam prædurantibus licet guttis resultans ungula recurrat in vulnus, exeuntibus flagellis cum avulsa corporis parte, rediens aliena ducatur; stat immobilis tamen pœnis suis fortior: hoc solum secum ipse convolvens, quod in illa crudelitate carnificum plus, quam pro quo patitur, Christus ipse patiatur.'

715 *Sensum indulgentiæ*] Quia, ut ait Quintilianus, 'indulgentia est mollis liberorum educatio.'

Hoc exigebat, lymphæ ut haustum posceret:
Quem torva mater eminus triste intuens,
Vultu et severis vocibus sic increpat:
  Puto imbecillo, nate, turbaris metu,
Et te doloris horror afflictum domat:
Non hanc meorum viscerum stirpem fore
Deo spopondi: non in hanc spem gloriæ
Te procreavi, cedere ut leto scias.
  Aquam bibendam postulas, cum sit tibi
Fons ille vivus præsto, qui semper fluit,
Et cuncta solus irrigat viventia,
Intus forisque spiritum et corpus simul,
Æternitatem largiens potantibus.
  Venies ad illud mox fluentum, si modo
Animo ac medullis solus ardor æstuet
Videre Christum, quod semel potum affatim
Sic sedat omnem pectoris flagrantiam,
Vita ut beata jam sitire nesciat.
  Hic, hic bibendus, nata, nunc tibi est calix,

ciatus patiuntur, ita torrentur ut jure petant aliquam refrigerationem. Mater tamen irata minacem vultum e longinquo ad eum flexit, gravissimisque verbis reprehendit: Quid, o nate, turpi trepidas metu, vi dolorum frangeris, et jaces demissus? Non Deo spopondi, cum te alvo continebam, ignavum mihi futurum filium; nec genui te in hanc spem gloriæ, ut mortem fugeres. Cur aquam petis? nonne haurire potes de illo perenni fonte, cujus aqua jugis est, quæque non solum et corpus foris irrigat, et intus hominum animam; sed etiam ipsis æternam affert vitam. Macte nova virtute; id unum tibi sit in votis videre Deum, ac brevi venies ad illud sacrum flumen, ex quo modo aquam bibas, omnis æstus considebit, omnis ardor, ita ut jam beatus imposterum nunquam sitias. Fili mi, jam obi hanc mortem æque fortiter ac



Weitz.—719 *tristi* Weitz. Vat. plerique. *tristem* Ro. Torrent. tres.—720 *et*

NOTÆ

719 *Triste* [*Tristi*] *intuens Vultu*] Probe omnino Ambros. Oxon. et Nomsius: *Quem torva mater eminus triste intuens, Vultu et severis vocibus sic increpat.* Sic enim Hamartig. 'Vultuque et voce minaci Terribilis.' Psychom. 'Vultuque et voce minatur Adversum spectans cuneum.' Claudian. quoque: 'Vultuque et murmure torvus.'

727 *Fons ille vivus*] Juxta verba Christi alloquentis Samaritanam: 'Aqua illa, quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.'

734 *Flagrantiam*] Ardorem. Gellius lib. II. 'Vigor maternæ flagrantiæ paulatim restinguitur.'

736 *Calix*] More Ebraico calix pro morte sumitur, seu potius pro pas-

Mille in Bethlehem quem biberunt parvuli :
Oblita lactis, et papillarum immemor
Ætas, amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella sumsit sanguinis.
  Exemplum ad istud nitere, o fortis puer,
Generosa proles, matris et potentia :
Omnes capaces esse virtutum Pater
Mandavit annos : neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.
  Scis, sæpe dixi, cum docenti alluderes,
Et garrulorum signa verborum dares,
Isaac fuisse parvulum patri unicum,
Qui, cum immolandus aram et ensem cerneret,
Ultro sacranti colla præbuerit seni.
  Narravi et illud nobile ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri ;

olim obierunt in Bethleem tot millia puerorum, qui obliti lactis, et mammarum immemores amara quidem multa passi sunt, postea vero cœli delicias gustantes mortis suæ fructum ceperunt. Fili, inquam, generose, quem peperi, quique unus mea es magna potentia, illorum exemplum tibi propone ad imitandum: Deus enim, cum ipsos infantes martyrii palma donavit, ostendit omni ætate homines Christianæ capaces esse fortitudinis, nullumque ab hoc exclusit. Sæpe etiam illa ætate, qua mihi te docenti alludebas, primasque referebas verborum syllabas, narravi tibi Isaacum Abraami unigenitum sese ultro morti obtulisse, statim atque vidit et aram et ensem, quo immolandus erat a suo patre. Narravi et illud nobile septem Machabeorum martyrium memorabileque. Illi pueri,



deest A.—732 *solis* H.—740 *Referta* Weitz.—746 *dum* Weitz.—756 *videbat*

NOTÆ

sione, si fas est uti ea loquela. De Bethl. de cæde innocentium sup.

740 *Poclis*] Poclis per syncopen pro poculis, quod usitatissimum est.

742 *Matris et potentia*] Venus apud Virgil. iisdem filium alloquitur: 'Nate meæ vires, mea magna potentia solus.' De Abraamo, qui ad Isaacum unigenitum suum morti dandum paratus erat, in prooemio Psychom.

752 *Una matre*] Solomonide, ut Græcus Scriptor Suidas tradit, Eleazaris uxore, quem Antiochus Epiphanes interfecit. Cur isti fratres a Prudentio dicti sint Machabæi in dubio est. Anton. Nebriss. vult Machabæos vocari, quod viri pugnatores fuerint a verbo μάχομαι pugno: alii quod Machabæorum partes secuti sint. Ego vero, ut jam dixi sup. puto abusive Machabæos appellari, quia cap. 7. lib. II. Machab. illorum mors describitur.

Hortante eadem matre in ancipiti exitu
Pœnæ et coronæ sanguini ut ne parcerent.
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec movebatur parens,
Lætata quoties aut olivo stridula
Sartago frixum torruisset puberem,
Dira aut crepasset laminarum impressio.
Comam cutemque verticis revulserat
A fronte tortor, nuda testa ut tegmine
Cervicem adusque dehonestaret caput.
Clamabat illa: Patere; gemmis vestiet
Apicem hunc corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari jusserat
Uni ex ephebis: mater aiebat: Satis
Jam parta nobis gloria est: pars optima
Deo immolatur ecce nostri corporis:
Digna est fidelis lingua quæ sit hostia.

sed viri factis, una nati sunt matre, quæ, ne titubarent, dum ipsi erant in tormentis, hortabatur ut pro Deo sanguinem effunderent. Hæc quoque invicta mater videbat omnia tormentorum genera, ad quæ filii sui rapiebantur, nec lacrymabatur: quin potius lætitia exultabat quoties aut nati frigebantur ex oleo in patella, aut illis candentes laminæ admovebantur. Magis autem ipsius animi virtus apparuit. Carnifices et capillos et pellem capitis uni detraxerant, ita ut tota cute erepta a fronte usque ad occiput calvaria nuda esset ac deformis: alteri vero, tyranno jubente, exciderant linguam. Tum mater hunc ita alloquitur: Fili mi, patere; gemmea corona, quæ regum est insigne, brevi tuum caput premet. Deinde illum talibus hortatur: Jam, o nate, maximam peperisti gloriam, siquidem lingua tui corporis pars optima Deo immolatur: ea sane digna est quæ Deo offeratur. Men-

B. superscr.—760 *crepasset* Heins. Ruinart. A. P. H. superscr. B. superscr. Vat. duo. *cremasset* Weitz. et al.—765 *hunc* deest Weitz. *et diademate* Eg.

NOTÆ

756 *Apparatus*] Victorinus Afer scribit cratibus impositos hos fratres fuisse. Jason Cyrenæus commemorat plurima tormenta, primum taureis, hoc est, loris bubulis flagellatos, postea nonnullis exsectas esse linguas, deinde cutem detractam a fronte usque ad occiput omnibus, tum extremas corporis partes manus et pedes amputatos, denique missos in bullientes oleo sartagines. His addit Prudentius impressas fuisse capitibus laminas ignitas.

759 *Sartago*] Patella, in qua caro frigitur.

761 *Cutem*] Uni, secundo scilicet, ex Machabæis cutem detraxit tortor, alteri vero, nempe tertio, excidit linguam. De Ephebo sup. Cath. Hymn. 9. vs. 43.

Interpres animi, enuntiatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemtrix prima membrorum omnium:
Ducem dicatam mox sequentur cetera.
His Macchabæos incitans stimulis parens,
Hostem subegit subjugatum septies,
Quod fœta natis, tot triumphis inclyta:
Me partus unus ut feracem gloriæ,
Mea vita, præstet, in tua est situm manu.
Per hujus alvi fida conceptacula,
Per hospitalem mense bisquino larem;
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia;
Persiste, et horum munerum auctorem assere.

tis interpres est, internuntia cogitatorum, cordis ministra, animi motuum explicatrix, prima igitur morte cadat, atque omnibus ex membris prima animam liberet periculo. Mox alii artus ipsius, veluti ducis Deo consecratæ, exemplum sequentur. His verbis Machabæorum mater liberos suos incitans de Antiocho septies debellato triumphavit. Ac quot natos pepererat, tot egit triumphos. Ego vero, nate, te unum enixa sum, sed modo velis, mea vita, æternam adipiscar gloriam. Oro te igitur per alvum ubi conceptus fuisti, per uterum in quo diversatus es per menses decem, per lac dulce uberum meorum, quæ tibi admovi, per meum molle gremium quo fovi te, per totam tuam infantiam, oro te, inquam, ut constanter perseveres Deum tot beneficiorum largitorem confiteri. Ignoro enim quomodo in utero meo



—774 *primo* A.—779 *et* Eg.—781 *contemplacula* T.—788 *amator* W.—789

NOTÆ

772 *Præco*] Hic poëta usus est nomine substantivo masculini tantum generis, eodem modo ac si utriusque fuisset, siquidem retulit ad linguam.

782 *Bisquino*] Vulgo mense nono nascuntur infantes, tamen constat ad hoc usque tempus partum differri posse, immo ad mensem etiam undecimum teste Aristot. de Anim. VII. 7. Sueton. etiam scribit Augustum natum mense decimo, et ob hoc Apollinis filium existimatum. Virg. 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' Nisi mavis cum Turnebo illud accipere de lunæ mensibus, qui breviores sunt: aut mensem decimum ineuntem intelligere. Servius enim vult mares decimo nasci mense, fœminas autem nono.

Larem] Ab omnibus lar pro ipsis ædibus, seu domo privata accipitur, a Diis illis, qui colebantur domi, et quibus focus sacer erat. Hic vero posuit metaphorice Poëta pro utero.

783 *Pectoris nectar*] Lac scilicet. Ita Ovidius de ovibus: 'Pleno quæ fertis in ubere nectar.'

Quanam arte nobis vivere intus cœperis,
Nihilumque et illud, unde corpus, nescio:
Novit animator solus et factor tui:
Impendere ipsi, cujus ortus munere es:
Bene in datorem, quod dedit, refuderis.
Talia canente matre, jam lætus puer
Virgas strepentes et dolorem verberum
Ridebat: hic tum cognitor pronuntiat:
Claudatur infans carcere, et tanti mali
ROMANUS auctor torqueatur acrius.
Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quaque acutum traxerant
Paulo ante ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas,
Quos jam superbus victor ignavos vocat.
O non virile robur, o molles manus!
Unam labantis dissipare tamdiu
Vos non potesse fabricam corpusculi?
Vix jam cohæret: nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadaver dentibus carpunt canes,

vivere cœperis, quomodo ex illo prope nihilo corpus tuum formatum fuerit. Unus Deus, qui et te animavit et finxit, plane novit: quare æquum est ut impendas ipsi a quo ortum habes munere, ut id, quod accepisti beneficio, reddas. Talibus matris hortationibus incensus puer læte tolerabat flagellorum ictus, doloremque vulnerum. Tum tyrannus jubet infantem condi in carcerem; Romanum vero hujusce rei suasorem acrius torqueri. Carnifices ergo ungulas deintegro ducunt per cicatrices adhuc recentes, atque acuto ferro, ut ante, vulnerum signa nondum obducta refricant. At martyr, qui jam tortores vicerat, ipsis ignaviam objicit. O fœmineæ, inquit, vires, o debiles manus! Quid nondum potuistis mei corporis ruinosi compages solvere? vix enim se sustentat, non tamen penitus cadit, immo vestrarum manuum enervat invalidas vires. Canes citius quam vos aliquod cadaver laniant dentibus;

Impende et F.—792 *dolores* Weitz. *vulnerum* W. B. Weitz. H. superscr.—793 *ictum* Eg. H. P. *actum* W. B.—802 *labentis* H.—803 *potestis* H. P. B.—

NOTÆ

786 *Quanam arte*] Eadem fere verba olim Solomonis locuta est ad Machabæos filios suos.

800 *Superbus*] Invictus, in bonam partem, qua dictione alias usus est Prudentius.

803 *Potesse*] Lucretius 'potesse' etiam posuit pro posse. 'Quod si forte aliquis credit graviora potesse.'

Longeque morsus vulturum efficacior
Ad devorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis:
Gula est ferina, sed socors edacitas.
Exarsit istis turbida ira judicis,
Seque in supremam concitat sententiam:
Si te morarum pœnitet, finem citum
Subeas licebit: ignibus vorabere
Damnatus, et favilla jam tenuis fies.
Abiens at ille, cum foro abriperent virum
Truces ministri, pone respectans ait:
Appello ab ista, perfide, ad Christum meum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed ut probetur esse nil, quod judicas.
Quid differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum ac magistrum, complices sectæ impiæ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
Infantis; istum flamma vindex concremet,
Sit his sub uno fine dispar exitus.
Perventum ad ipsum cædis implendæ locum,
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
Ut primitivum crederes fœtum geri

vulturesque longe crudeliores inferunt morsus cadaveribus quibus saginantur. Unde fracto estis animo et demisso, dum vestrum corpus dira fame absumitur? Nolite tam segniter meme dilaniare, siquidem vobis est rabies ferina. Tum Asclepiades ad graves iras decurrit, atque in Romanum decisivam pronuntiat sententiam: Vitæ tædet te? subita morte occumbes. Jubeo te conjici in ignem, uno puncto temporis in cinerem redigeris. Martyr autem abiens, dum ipsum e foro ad supplicium trahebant carnifices, retro aspicit, compellatque tyrannum: O perfide ad Christum Deum meum provoco adversus tuam in me crudelem sententiam, non quod mortem extimescam, sed ut intelligas decreta tua nulla esse. Quid moror? exclamat præses; pereant et puer et Romanus ejusdem religionis sectatores; infantem capite plectant lictores, alterum comburant vivum; ut simul moriendo contrarium habeant exitum. Ut pervenere ad supplicii locum, tortores petunt a matre natum, quem collo gestabat, fovebatque gremio. Primitivum esse crederes agnum, illum lectum ex ovili, et



809 *Languetis, imbelli f. f.* W.—815 *jam fumans eris* Eg. P. H. superscr. W. in marg. Alt. Ro. C. Vat. un.—819 *metum* W. Vat. un.—828 *gregi* T.—

NOTÆ

815 *Fies*] Ita multis in locis male corripuit primam illius verbi syllabam.

Deo offerendum, sancti Abelis ferculo,
Lectum ex ovili puriorem ceteris.
Puerum poposcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata est fletibus, tantum osculum
Impressit unum: Vale, ait, dulcissime:
Et cum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris, jam patrone ex filio.
Dixit: deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere
Hymnum canebat carminis Davidici:
Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei,
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu et sanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,

præ ceteris sine sorde, quem, ut Deo offerret, Abel portabat fiscella. Hæc inclyta mulier statim dat, nec lacrymis moram facit: unum tantum figens osculum, Vale, inquit, dulcissime, ac, cum beatus tenebis cœlum, memento matris, jam enim non te habeo loco filii sed patroni. Vix ea dixit: satelles caput infantis gladio petit. Mater autem canora voce instructa hæc verba Davidis canit: Pretiosa in conspectu Domini mors Sancti: tuus ille servus, et filius ancillæ tuæ. Canendo vestem suam explicat, denique manus porrigit infra corpus, ut conglobatis guttis sanguinis, quæ e venis prorumperent, vestimenta sua essent respersa, osque palpitans exciperet.



833 *udum* Cellar. Ro. C. Torrent. tres. *vale, vale d.* F.—835 *ait patrone* F.—840 *Tuus ego* P. *prolis* Amb. T.—842 *ictum* Eg. *et vulneris* P. superscr.—

NOTÆ

829 *Abelis ferculo*] Id legimus cap. 4. Gen. Abelem scilicet obtulisse de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum, Deumque respexisse ad Abelem et ad munera ejus. Ferculum vero est id quod fertur, et id in quo aliquid fertur. De Abele infra.

830 *Puriorem ceteris*] Nam victimæ absque labe teneræque tantum aptæ erant sacrificiis. Virg. Æn. vi. 'Nunc grege de intacto septem mactare juvencos Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.'

832 *Osculum Impressit unum*] *Udum* Rottendorphius et tres Torrentiani. Sic apud Martialem Epig. viii. 44. 'Et mane sudas urbis osculis udus.'

839 *Pretiosa sancti mors*] Nempe ex Psalmo cxv. 'Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.' Nam, ut ait Cypr. Epist. ii. 6. 'Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coronam de consummatione virtutis.'

840 *Proles ancillæ tuæ*] 'O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.'

Et palpitantis oris exciperet globum:
Excepit, et caro applicavit pectori.
At parte campi ex altera, immanem pyram
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim subdita et fœni struem
Spargens liquato rore ferventis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et jam retortis brachiis furca eminus
ROMANUS actus ingerebatur rogo:
Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi;
Et restat ingens, quod fiat, miraculum.
Hæc ejus orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis, nimbus undatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces,
Sed vincit imber jam madentem fomitem.

Excipit quidem, ac deinde pectori suo applicat. Ex altera campi parte carnifex bustuarius exstruit immanem rogum, siccam pinum adhibet, cui intexit sarmenta, fœnique fasciculos subjicit, quæ omnia pice liquida ac ferventi perfundit, ut hoc fomite vehementius nutriatur ignis. Deinde Romanum, cujus manus ad tergum rejectas furca tenet, in rogum imponit. Martyr vero, Scio, inquit, Deum nolle ut ignis ille peredat corpus meum; scio aliud mortis genus meme obiturum, et portentum aliquod eventurum brevi. Rem probat exitus. Dum sermoni finem facit, multus imber decidit et subitus; necnon vi incursuque pluviarum flamma restinguitur. Apparitores semiustulatis lignis instillant oleum, sed præceps nimbus olei

844 *orbis* Eg. H. superscr.—847 *fimida* H.—850 *Quos f. p. c. ferocibus* Eg.—853 *ut nunc cremer* T.—854 *dictum* A. Bodl.—855 *Sed r.* Weitz.—862 *possit*

NOTÆ

845 *Caro applicavit pectori*] Idem notat Valer. Maximus IV. 7. de T. Volumnio erga M. Lucullum: 'Nec difficiles Antonii aures habuit, ductusque quo voluerat, Luculli dextram avide osculatus, caput, quod abscissum jacebat, sublatum pectori suo applicavit.'

847 *Pinu arida*] Eodem modo apud Virg. Teucri erigunt bustum, ut comburant Miseni corpus: 'Principio pinguem tædis et robore secto Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris Intexunt latera, et ferales ante cupressos.' Flammæ igitur nutrimenta ligna sunt, sarmenta, stipulæ, pix, oleum, stuppæ.

851 *Jam retortis brachiis*] Scaliger in Manil. Brachiis districtis ad furcam per urbem circumlati, ita tandem in rogum conjiciebantur, aut retortis in tergum brachiis, furca collo inserta.

Trepidare teter carnifex rebus novis
Turbatus, et qua posset arte insistere,
Versare torres cum favillis humidis,
Prunas maniplis confovere stuppeis,
Et semen ignis inter undas quærere.
Quod cum tumenti nuntiatum judici
Movisset iram fellis implacabilis:
Quousque tandem summus hic nobis magus
Illudet, inquit, Thessalarum carmine,
Pœnam peritus vertere in ludibrium?
Fortasse cervix, si secandam jussero
Flecti sub ensem, non patebit vulneri:
Vel amputatum plaga collum dividens

vires infringit. Tetri carnifices hoc miraculo stupefacti incipiunt trepidare, ac de integro excogitare quomodo possent resistere. Quare torres madidosque cineres vertunt, carbones accendunt stuppæ fasciculis, atque undas inter, quærunt ignis scintillas. Hæc referuntur ad aures tumentis tyranni, ipsiusque iram implacabilem magis excitant. Quousque tandem, exclamat, mihi hic insignis magus illudet, qui suis incantamentis novit supplicia vana reddere? Quod si ense caput abscindi jubeo, nec, ut opinor, ictus repellet, nec, postquam revulsum erit ab humeris, rursus coibit

Eg. H.—866 *nunciatum est judici Commovit* Weitz.—869 *Inludit* Weitz. *Thessalarum* Heins. Amb. *Thessalorum* Weitz.—872 *ense* P. H.—879 *velat una*

NOTÆ

863 *Torres*] Torris, lignum teres quando ardet. Virg. 'Improvisi adsunt, hic torre armatus obusto.'

865 *Semen*] Illud et Homericum et proverbiale, de ea re quæ tentatur frustra, neque potest contingere. Quanquam non metaphorice hic accipi possit, quia multus imber deciderat.

868 *Summus magus*] Convicium solenne, quod Christianis objiciebant Pagani. Suetonius Neron. 'Christiani genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.' Vide Tertull. Apolog.

869 *Thessalarum carmine*] Et hoc etiam proverbialiter dicitur; propterea quod ea gens præter ceteras hoc nomine notata est. Id quod ex Apuleiano asino, pluribusque scriptoribus aliis satis liquet. Unde Horat. Od. I. 27. 'Quæ saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis.' Et Strepsiades apud Aristoph. in Nub. consulit Socratem, an adhibenda sit Thessala incantatrix, quæ lunam cœlo detrahat, quominus in Neomenia cogatur æs alienum reddere. Eam superstitionem in Thessalos a Medea profectam existimant: quæ, cum illac fugeret, per aërem vecta, scriniolum veneficiis ac magicis herbis plenum dejecerit, eaque sparsa suppullulasse.

870 *Peritus vertere*] Græcismus, ut paulo post, 'Doctus secare.'

Rursus coibit ac reglutinabitur,
Humerisque vertex eminebit additus.
Tentemus igitur ante partem quampiam
Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla criminosus multiplex
Cadat, vel una perfidus cæde oppetat:
Quot membra gestat, tot modis pereat volo.
Libet experiri, Lerna sicut traditur,
Utrum renatis pullulascat artubus,
Ac se imminuti corporis damnis novum
Instauret: ipse præsto erit tunc Hercules,
Hydrina suetus ustum ire vulnera.
Jam nunc secandi doctus adsit artifex,
Qui cuncta norit viscerum confinia,

ac glutinabitur, ita ut trunco iterum conjungatur. Ante igitur experiamur unam partem corporis superstitis gladio scindere, ne, qui tot fecit crimina, semel moriatur, ne is perfidus una morte mulctetur; volo ut, quot ipsi membra sunt, tot mortes obeat. Videamus utrum truncato aliquo membro aliud renascatur, ac per damna mutilati corporis sese renovet, ut de hydra Lernæa narratur: si ita se res habet, alter aderit Hercules, qui scit hydrina vulnera urere. Jam jam mihi se sistat peritus medicus, qui norit membrorum commissuras, quique potest membra nervis colligata

Amb. *Cadatque una* Heins. in not.—883 *imminutis* A.—884 *tunc erit* Weitz. —885 *ustuire* P. Eg. H. Amb. T. sed in H. *ustuare* superscr. *ustuare* Torrent. duo, Alt. C. *ustulare* F. *ire inustum* G. *usturire* vel *ustulare* Salmas.—

NOTÆ

878 *Simpla*] Plaut. in Mostel. eodem adjectivo usus est. 'Scelestæ hæ sunt ædes, simpla est habitatio.'

881 *Lerna*] Palus Argiæ, in Peloponneso, apud Argos urbem, ubi Lernæus fons, et fluvius ex ea palude egrediens. De Hercule sup.

882 *Renatis pullulascat artubus*] Ovid. Epist. Dejaniræ: 'Quæque redundabat fœcundo vulnere serpens Fertilis, et damnis ditior ipsa suis.'

885 *Hydrina*] Hydram illam in Lerna delitescentem, quam interfecit Hercules, ἐννεακέφαλον Alcæus facit, Simonides πεντηκοντακέφαλον. At Pausan. Corinth. narrat hydram sub platano quadam, quæ fonti Amymonæ fluvii propinqua erat, vixisse, eamque ceteris hydris magnitudine præstitisse: caput unum ei, non plura fuisse. Quod postremum abhorret ab inveterata et pervulgata omnium opinione, hydræ uno capite ab Hercule abscisso, nescio quot alia renasci confictum esse: quam opinionem hoc loco sequitur Prudentius. Multa alia de hydra scribunt poëtæ, quæ, ne sim longior, prætermitto.

Ustum ire [*Ustuire*] Alii *ustum ire*: alii *ustulare*. Sed recte *ustuire*, pro ustumire. Sic 'circuire,' pro circumire: et 'hymnire' supra habuimus.

Vel nexa nervis disparare vincula.
Date hunc, revulsis qui medetur ossibus,
Aut fracta nodis sarciens compaginat.
  Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni sola vivit nequior:
Illa et procaci pessima in nostros Deos
Invecta motu, fas profanavit vetus,
Audax et ipsi non pepercit principi.
  Aristo quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam præcipit: profert statim
Martyr retectam, pandit ima faucium:
Ille et palatum tractat, et, digito exitum
Vocis pererrans, vulneri explorat locum.
  Linguam deinde longe ab ore protrahens,
Scalpellum in usque guttur insertans agit.
Illo secante fila sensim singula,
Nunquam momordit martyr, aut os dentibus
Compressit arctis, nec cruorem sorbuit.

loco movere; sistat et chirurgus, cujus ars ea est membra luxata ferruminare, fractave ligaturis conjungere copulareque: sistat, inquam, et primum radicitus detrahat linguam; ea omnium corporis partium nequior est, siquidem nostros Deos procacibus conviciis et fœdissimis proscidit, dicta jocosa jecit in veterem religionem, ipsimet principi audax non pepercit. Nescio quis, Aristo nomine, accitus venit, jubetque Romanum linguam proferre. Non solum integram statim profert martyr; verum etiam os, quantum in se est, aperit. Tum Aristo apponit manum ad palatum Romani, et digito fauces explorans, quærit quomodo linguam possit totam evellere; deinde ab imis faucibus eam abstrahit, necnon scalpellum usque in guttur immittit. Quodque mirum est, licet singulas fibras secet chirurgus, Romanus tamen nec instrumentum mordet, nec arctis dentibus os comprimit, nec denique deglutit sanguinem. Sed ore aperto stat immotus, dum sanguis exit e vulnere. Jam insignis

888 *discrepare* W. *dissiparare* H. superscr. *discrepare* B. sed *dissipare* superscr.—890 *sarcians* T. *compagina* W.—894 *motus* P.—896 *quondam* Amb. *ascitus* Weitz.—898 *et pandit i. f.* F. G. *pandit i. et f.* Weitz.—905 *ictis* Eg.

NOTÆ

896 *Aristo medicus*] Ut id facilius intelligatur, debemus scire omnes antiquos, Pindarum præcipue in Pythiis oda tertia, partes quatuor medicinæ recensere, primam magicam ἐπῳδικὴν, quæ fit carminibus, cujus et Homerus meminit, alteram artificialem φαρμακώδη, quæ fit potionibus et medicamentis adhibitis, tertiam διαιτετικὴν, cum quis ratione victus temperata restituitur, ultimam χειρουργικὴν, quæ peragitur instrumentis, de qua loquitur hic poëta. De Scalpello, sup. Hymn. 10. vs. 500. de Rictu, sup. Hymn. 10. vs. 567. de Stemmate, sup.

Immotus et patente rictu constitit,
Dum sanguis extra defluit scaturiens:
Perfusa pulcher menta russo stemmate
Fert, et cruenti pectoris spectat decus,
Fruiturque et ostro vestis ut jam regiæ.
Ergo ratus Præfectus elinguem virum
Cogi ad sacrandum posse, cum verbis carens
Nil in Deorum blateraret dedecus,
Jubet reduci jam tacentem et debilem
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, et ignem vividum in carbonibus,
Taurina et exta, vel suilla abdomina:
Ingressus ille, ut hos paratus perspicit.
Insufflat, ipsos ceu videret dæmonas.

martyr barbam habet imbre sanguineo perfusam, cruentatum pectus suum spectat, putatque sibi induisse purpuream vestem, qua reges utuntur. Asclepiades ergo non dubitans quin martyr elinguis idola thure ultro placet, quod mutus haud potest Deos verbis lacerare, jubet sibi adduci Romanum elinguem et debilem, cujus olim sermonum vehementia territus fuerat. Ac rursus ad tribunalis pedes aras reponit, thus, candentes carbones, exta taurorum, porcorumque viscera. Quæ omnia, ut videt Romanus, sufflat ea, æque ac si ipsos dæmones videret. Tyrannus jam exultans ridet,

H. superscr.—907 *defluat* Ro. C. *scaturriens* Weitz.—908 *rubro* F.—911 *Præfectus ergo ratus* Weitz. A.—913 *blateraret* Heins. T. Ro. Alt. Torrent. tres. *oblatraret* Eg. W. B. Weitz. Gif. sed *blateraret* postea repos. Gif. *oblacteraret*

NOTÆ

910 *Ostro*] Ostrum proprie sanies illa dicitur, et liquor qui ex murice seu conchylio eximitur ad pretiosarum lanarum infecturam, unde pro ipso colore muriceo ponitur. Plinius IX. 36. et 37. Distinctas habet species, muricem, purpuram, et conchylium. 'Purpuræ,' inquit, 'vivunt annis plurimum septenis. Latent, sicut murices, circa canis ortum triecenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. Simili modo murices. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens. Reliquum corpus sterile. Vivas capere contendunt, quia cum vita succum eum evomunt. Et majoribus quidem purpuris detracta concha auferunt, minores trapetis frangunt, ita demum rorem eum excipientes Tyrii.' De Tribunali sup. Hymn. 10. vs. 144. De Thure sup. Cath. Hymn. 12. vs. 64.

913 *Blateraret*] Produxit et primam in blaterare auctor Philomelæ: 'Blaterat hinc aries, ast pia balat ovis.' Ne ergo cum Aldo *oblacteraret*, aut cum Gifanio *oblatraret*, legas.

920 *Insufflat*] Solebant Christiani idola sufflare ac despuere. Tertull.

Irridet hoc Asclepiades lætior.
Addit deinde: Numquid inclementius,
Sicut solebas, es paratus dicere?
Effare quidvis, ac perora et dissere.
Permitto, vocem libere ut exerceas.
ROMANUS alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, et sic orsus est:
Christum loquenti lingua nunquam defuit:
Nec verba quæras quo regantur organo,
Cum prædicatur ipse verborum dator.
Qui fecit, ut vis vocis expressa intimo
Pulmone, et oris torta sub testudine,
Nunc ex palato det repercussos sonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitque his agendis lingua plectrum mobile;
Si mandet idem, faucium sic fistulas
Spirare flatu concinentes consono,
Ut verba in ipsis explicent meatibus,

insultatque. Nonne, ait, paratus eo Diis, ut solebas, detrahere. Loquere, disputa, quære, quæcumque volueris, argumenta. Utere tua dicendi copia, id per me licet. Martyr vero postquam diu ab imo pectore duxit suspiria, tandem trahit gemitum, qui querelæ signum est; ac fatur, nunquam lingua deest illi, qui Christum confitetur; nec, cum verborum dator prædicatur, quo vox organo formetur quærendum est. Deus enim qui nos ita finxit, ut halitum pulmone redditum tactu palati articulet lingua, sonosque fundat ex palato repercussos, vocemque dentibus leniter inflectat, denique plectrum sit mobile ut id perficiat: nunc potest velle meatus gutturis spiritum pellere flatu consono, qui articulatus sit ipsismet in faucibus; aut la-



A. F.—921 *Arridet* B.—924 *quodvis* Weitz. *perora et dissere* Heins. et Vat. duo opt. *per ora edissere* Weitz. et Vat. reliqui.—925 *exercere te* F.—927 *sic exorsus est* W.—933 *repercusso* Bodl.—939 *Vel in e.* Bodl.—945 *postules* W.

NOTÆ

'Ipsius fidei conscientiam perrogemus, quo ore Christianus fumantes aras despuet, et exsufflabit, quibus ipse prospexit.' M. Minuc. Octav. 'Templa, ut busta, despiciunt, Deos despuunt, rident sacra.'

928 *Christum loquenti lingua nunquam defuit*] Quod quidem semel atque iterum accidisse legimus; præcipue vero apud Gemblacensem, qui Christianos, quibus Vandali linguas exciderant, locutos fuisse tradit.

932 *Testudine*] Concavum oris testudini comparat; dentes vero Pectini. De Plectro sup. Hymn. 10. vs. 6.

Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc pressa parce labra, nunc hiantia:
  Dubitasne verti posse naturæ statum,
Cui facta forma est, qualis esset primitus?
Hanc nempe factor vertere, ut libet, potest,
Positasque leges texere ac retexere,
Linguam loquela ne ministram postulet.
  Vis scire nostri numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris pressit pede:
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit:
Quam dispar illis legibus, quis condita est!
Solet natatus ferre, fert vestigia.
  Habet usitatum munus hoc divinitas,
Quæ vera nobis colitur in Christo et Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,

bra modo parce compressa, modo hiantia sonum, statim atque ex ore exit, distinctum fingere. Quod si vellet, putasne rerum naturam nequaquam commutare posse? Crede mihi, qui primam ori meo figuram dedit, is ad libitum variare potest, atque positas leges vel servare vel tollere, ita ut vox absque ullo linguæ auxilio distinguatur. Visne igitur a me accipere quanta sit Dei potestas? Mare pedibus peragravit; atque aquæ, licet natura fluxæ sint et tenues, firmæ solidæque steterunt. Quid excogitari potest magis disparatum juxta leges, quibus conditum est mare? natabatur, nunc sicca planta calcatur. Divinitas vero, quam unam veramque in Christo atque in Patre esse agnoscimus, sæpissime ea facit miracula, scilicet mutis vocem reddere,

sed *postulat* superscr.—919 *Quæ* A. *Qui* F.—955 *insuetam* Weitz.—963 *ne*

NOTÆ

939 *Cymbalis profarier*] Hic errasse Ant. Nebriss. mihi videtur, putat enim hanc phrasim reddendam esse: 'Ita possent loqui cymbala, perinde ac si haberent instrumenta, quibus formantur literæ.' Ut ea igitur facilius intelligatur, sit mihi fas constructionem facere. Si idem Deus mandet faucium fistulas flatu consono concinentes spirare sic, ut verba in ipsis meatibus explicent, vel si mandet nunc pressa parce labra, nunc hiantia in exitu oris profari cymbalis. Quibus sane colligere debemus Prudentium hic metaphorice ponere 'cymbalis,' atque eodem modo, quo supra dixerat 'faucium fistulas,' pro faucium meatus: quare puto dicendum esse labra loqui mutua illà percussione, quæ imitatur cymbali sonum.

947 *Fluctus liquentis æquoris pressit pede*] Unde Mamertus: 'Omnipotens verbo sternit mare, vel pede calcat.'

953 *Mutis loquelam*] Simile illud Tertulliani lib. I. contra Marcion. 'Jam graditur claudus, surdus spem protinus audit, Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus.' Et Sidon. ad Faustum: 'Qui visum cæcis,

Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis insuetæ diem.
Hæc si quis amens fabulosa existimat,
Vel ipse tute si parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoscas licet:
Habes loquentem, cujus amputaveras
Linguam: probatis cede jam miraculis.
Horror stupentem persecutorem subit,
Timorque et ira pectus in caliginem
Vertere: nescit, vigilet anne somniet:
Miratur hærens, quod sit ostenti genus.
Formido frangit; armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrænæ potest,
Nec quo furoris tela vertat invenit.
Postremo medicum sævus insontem jubet
Reum citari: nundinatum hunc arguit,
Mercede certa pactus ut colluderet:
Aut ferrum in ore nil agens et irritum
Versasse frustra, seu retunsis actibus,

firmum gressum claudis, surdis facilem auditum, cæcis denique alacres visus. Sin autem amens aliquis inventum esse putat; aut si tu ipse, o tyranne, pridem id omne in dubio ponebas, jam intuere veritatem: mihi linguam excidisti, voces tamen elicio fingoque; cede miraculis, quorum testis es oculatus. Horror perfundit Asclepiadem; timore iraque simul ipsius animus obdurescit; nescit vigiletne, an somniet. Attonitus miratur illud portentum; frangitur metu, ira vero incitatur. Quid agat? furorem nequit ponere, nec invenit quemquam a quo possit pœnas repetere. Quare is crudelis præses medicum, qui insons erat, in jus tanquam reum vocari jubet; ipsique objectat huc venisse ut, pacta mercede cum Romano accepta, colluderet. Itaque aut linguæ fibras obtuso explorasse scalpello irritoque, aut arte quadam leve

deest W.—969 *hunc* deest B. Weitz.—972 *seu retunsis actibus* A. F. *se retunsis actibus* Gif. Eg. *seu retusis tractibus* H. *seu retusis tactibus* W. *ceu retusis ictibus* G. Heins. *se retunsis tactibus* P. Alt. *seu retunsis tactibus* Weitz.—

NOTÆ

gressum quoque reddere claudis, auditum surdis, mutis laxare loquelam suetus.'

954 *Audientiam*] Auditum scilicet: actum pro sensu posuit.

963 *Vigilet anne somniet*] Proverbialis sermo, de eo qui stupore ingenti perculsus, neque putat videre, quod videt, et abesse ab iis rebus existimat, quibus interest.

969 *Nundinatum*] Nundinari, est exercere opera, quæ in nundinis fiunt, licitari scilicet, vendere, indicare, poscere, emere, addicere.

Aut arte quadam vulnus illatum breve,
Quod sauciata parte linguam læderet,
Nervos nec omnes usquequaque abscideret.
  Manere salvam vocis harmoniam probæ,
Non posse inani concavo verba exprimi,
Quæ concrepare ligula moderatrix facit.
Esto, ut resultet spiritus vacuo specu,
Echo sed extat inde, non oratio.
  Veris refutat medicus hanc calumniam:
Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intraque dentes curiosum pollicem
Circumfer, haustus vel patentes inspice,
Lateatne quicquam, quod regat spiramina.
  Quanquam forassem forte si puncto levi,
Tenuive linguam contigissem vulnere;
Titubante plectro fatus esset debilis.
Nam cum magistra vocis in vitium cadit,
Usus, necesse est, et loquendi intercidat.
  Fiat periclum, si placet, cujusmodi

tantum vulnus fecisse, quo vulnere una linguæ pars sauciata esset ac læsa, nervi vero omnes integri remanerent. Nam haudquaquam fieri posset ut vocis salva restaret harmonia, linguaque excisa, quæ sonum articulat fingitque vocem, os adhuc verba mitteret. Fateor quidem ex ore elingui exire posse sonum aliquem: sed is erit repercussus, atque echo similis, non vero articulatus. Tum medicus, ut sese purget ac veris objecta infirmet, tu ipse, inquit, scrutare ima gutturis, intra dentes curiosum digitum circumfer, seu potius os patens oculis perlege; atque agnosces an lateat lingua, quæ halitum distinctum efficiat. Adde quod, si vel leviter quidem linguam perforassem, ac tenue impressissem vulnus, titubaret lingua, voxque esset debilis; nam simul ac lingua, quæ vocis est magistra, læditur, necessario sermonis usus perditur. Ac, modo velis, faciamus periculum in bellua: agnosces quem sonum

974 *sauciatam* H.—975 *abscinderet* Cellar. *occideret* Alt. Nom. Eg. W. in marg.—976 *probe* Amb. et al. *arimoniam* Eg.—978 *ligula* Vat. tres, Amb. T. *lingula* Weitz. H. P. *lingua* Vulg.—980 *exit* Weitz.—988 *factus* Weitz. Ed. Amst. 1631.—990 *eloquendi* Eg. P. H. Alt. Vat. quidam. *ut loquendi*

NOTÆ

978 *Ligula moderatrix facit*] Ligula diminutivum a lingua. Martialis irridet Grammaticos, qui, ut etymologiæ rationem sequerentur, lingula dicendum esse contendebant. 'Quamvis me ligulam dicant Equitesque, Patresque, Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.' Cave ergo ne cum Weitzio legas, *lingula moderatrix facit*.

990 *Et loquendi intercidat*] Forte *usus eloquendi intercidat*.

Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
Elinguis et quem porca grunnitum strepat,
Cui vox fragosa, clamor est inconditus:
Probabo mutam nil sonare stridulum.
  Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, judex optime,
Servisse jussis absque fraude publicis.
Sciat hic quis illi verba suggillet Deus:
Ego, unde mutus sit disertus, nescio.
  His sese Aristo purgat: at contra impium
Nil hæc latronem Christianorum movent:
Magis magisque fertur in vesaniam:
Quærit alienus sanguis ille asperserit
Virum, suone fluxerit de vulnere.
  Respondit his ROMANUS: Eccum, præsto sum:
Meus iste sanguis verus est, non bubulus:
Agnoscis illum, quem loquor, miserrime

reddat illa elinguis et muta; verbi gratia quem grunnitum emittat sus; sane quanquam ipsi vox sit aspera nec articulata, tamen, si lingua evellitur, ne minimum quidem dabit stridorem. Quid plura? juro per vitam nostri principis, o judex optime, me vere ad vivum resecasse Romani linguam, nulla in re te fraudasse, ac denique tua fecisse jussa. Romanus ergo sciat, quis Deus ipsi verba suppeditet; ego vero ignoro unde loquatur, cum sit elinguis. Talibus Aristo crimen diluit. Sed his impius Christianorum vexator non movetur, immo majori effertur iracundia. Quærit an Romanus suo proprio sanguine tingatur, alienove. Martyr respondet, Ecce me, adsum; pro certo habe meum sanguinem, non autem bubulum, ora mea infecisse. O idolorum cultor, nosti satis sanguinem bubulum quo, heu, in sacrificiis aspergi-

Vulg.—999 *suggerat* Amb.—1001 *His se* S. B. W. Weitz.—1004 *an alienus* Weitz. *num a.* Vulg. *illum* Weitz. et al.—1005 *effluxerit* F.—1007 *bubuli* H.

NOTÆ

996 *Testor*] Vetus jusjurandum, per caput, aut vitam, aut Genium imperatoris jurare.

999 *Suggillet Deus*] *Suggerat* in Ambrosiano: quod et marginem editionis Giselinæ occupavit. Nec male. Ignota sane hic verbum sugillo significatione ponitur a Prudentio.

1006 *Eccum*] Eccum, eccam, eccos, eccas, adverbia sunt demonstrandi, quæ nonnulli voluerunt idem significare quod ecce eum, ecce eos, quos Laurentius reprehendit hoc argumento, quod non semel apud Comicos legamus subjunctum accusativum, ut eccum me, eccum Parmenonem. Melius itaque Vallam sequemur, qui harum dictionum significationem per adverbia interpretatur: ut eccum, sit idem quod ecce hic, intellige virum, de quo agebamus.

Pagane, vestri sanguinem sacrum bovis,
Cujus litata cæde permadescitis?
Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.
Tabulis superne strata texunt pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus,
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens, fronte torva et hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,

mini, non esse similem huic, qui meo ex ore fluit. Pontifex scilicet mitra infulatus, vittis quasi die festo nectens tempora, coronam auream habens, cinctuque Gabino toga serica amictus descendit in fossam subterraneam ut sacrificet. Tabularum auxilio pulpita fossæ superne imposita construuntur, assamentorum tamen hiantibus commissuris: deinde pulpiti planities scinditur terebraturque, ac multis in locis perforantur asseres, ut per multa foramina simul sanguis defluat. Tum ingens taurus ostentans hispidam torvamque frontem huc adducitur, cujus armis serta flo-

—1010 *promadescitis* T.—1013 *Mire* Weitz. Vat. præstantiores. *Mitra* Heins. C. Ro. Torrent. tres.—1014 *Nexus* Weitz. W. B. H. superscr. sed in B. *Nectens* superscr. *coronam tum repexus auream* Heins. in not. *coronam repexus auream* Amb. *replexus* Weitz. Eg. H. P. B. Gif. Ind. Lucr. p. 396.—1017

NOTÆ

1013 *Festa vittis tempora Nectens*] Ovid. Trist. IV. ‘Et jam constiterat stricto mucrone sacerdos, Cinxerat et Graias barbara vitta comas.’

1015 *Cinctu Gabino*] Hunc ita explicat Isidor. XIX. 24. ‘Cum ita imponitur toga, ut togæ lacinia, quæ post secus rejicitur, attrahitur ad pectus, ita ut ex utroque latere ex humeris picturæ pendeant.’ Sunt qui cinctum Gabinum tantum explicent per togam arctam, arctatamque, et opponant illi, quam togam fusam, sive laxam vocant scriptores. Nomen et originem derivat Servius a Gabiis Latii urbe. Cum enim hæc urbs sacris operaretur, bellum subito evenit: tunc cives cincti togis suis ab aris sunt ad bella profecti, et adepti victoriam; propter quod omen tali habitu semper utebantur in bellis. Lucan. lib. I. ‘Turba minor sequitur ritu succincta Gabino.’ De Serica veste sup. Cath. Hymn. 7. vs. 149.

1016 *Pulpita*] Pulpitum pro quocumque loco edito sumitur a scriptoribus.

1017 *Pegmatis*] Pegma machina est lignea in qua statuæ, aliaque ejuscemodi, collocabantur. Seneca illius formam describit ad Lucilium.

Aut impeditis cornibus, deducitur:
Necnon et auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.
Hic, ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrata dividunt venabula:
Eructat amplum vulnus undam sanguinis
Ferventis, inque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen, et late æstuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias

rida jacent delapsa, aut cornua ligantur, cujus frons auro effulget, pili autem coruscant bractearum fulgore. Vix in tabulas imposita est victima, sacro cultro belluæ pectus abscinditur, ex quo vulnere maxima calidi sanguinis exit copia, qui sanguis tabulata subdita irrorat, lateque æstuat. Tum etiam illabitur juncturas asserum,



pigmatis Eg.—1023 *impeditus* Weitz. et al.—1030 *vaporem* H. W. superscr.—

NOTÆ

1024 *Necnon et auro frons coruscat hostiæ*] Minores hostiæ tantum coronabantur illius Dei fronde, cui sacrum fiebat. Majores vero, nempe boves et tauri, cornibus deauratis vittisque ac tæniis, insignes erant, cum statuebantur, ut mactarentur ad aras. Virg. Æn. IX. 627. 'Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.' Apertius autem Plinius XXXIII. 12. 'Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiæ, majores duntaxat, immolarentur.'

1029 *Texta pontis*] Pro pontem textum; ut rupta viarum, pro viæ ruptæ, densa sylvarum, pro densæ sylvæ: quæ phrasis poëtica est.

1031 *Tum per frequentes*] Loquitur de sacro illo piaculari quod Romæ fiebat Plutoni et Proserpinæ, in campo Terentino juxta Tiberim. Pedum viginti altitudine scrobes fodiebantur, in quas sacerdos demittebatur, vittis, infulis, corona aurea, toga serica insignitus. Astabat taurus ingens, furvus, veteres enim Diis superis albas victimas, inferis nigras immolabant, cornibus inauratus, et sertis floreis circa collum redimitus. Imposita illi fossæ erant tabulata, plena undique foraminum. Super ea hastis bellua conficiebatur a flamine multis ictibus, ut plus sanguinis erumperet: qui sanguis in fossam per asserum rimas copiosus defluebat. Quem Pontifex in Scrobe absconditus, membris captans omnibus, auribus, ore, oculis, naribusque hauriens, quod corpore non poterat, toga excipiebat, sanguinem deglutiens quamplurimum, reliquo faciem et vestes perluebat, dum superne flamines, et lac, et mel, et vinum invergerent. Ex eo specu tandem emergens, cruore inebriatus, Pontifex, ita ut tabo oblitus erat, se in populi conspectum dabat; quem multitudo universa procul observans, salutabat nutibus solennibus, et veneratione cernua. Quare jure Prudentius hunc cærimoniarum ritum, habitum Pontificis, vulgi cæcitatem deridet. Horum autem sacrificiorum, quæ sacra Tauropolia dicuntur, hæc origo fuit, si Valerio Maximo II.

Illapsus imber, tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit.
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste et omne putefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos et ipsos perluit liquoribus:
Nec jam palato parcit, et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens,
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde pontifex, visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.

ut tabidus imber defluat. Sacerdos vero humo recumbens illum excipit, subjicitque infame caput huic pluviæ sanguineæ, qua et vestes et corpus oblinit. Quinetiam os demittit, obvias offert genas, supponit aures, labra, nares objicit; oculos ipsos perluit, rigat linguam, palatum conspergit, donec totum corpus atro tauri cruore perfusum fuerit. Postquam immolatores e fovea eduxerunt victimæ cadaver rigens, quod sanguine exhaustum est; Pontifex exit visu horridus, populoque ostentat vultum suum stillantem sanguine, barbam madidam, tinctas vittas, respersa denique



1034 *objectans* Eg. H. P.—1036 *Quinos* Weitz. *Cinos* Scalig. Aus. Lect. II.

NOTÆ

4. credimus. 'Cum ingenti pestilentia Urbs agrique vastarentur, Valesius, vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit. Orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberi devectos Tarentum deportasset, ibique ex Ditis patris, et Proserpinæ ara, petita calda, recreasset.... Is, quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut a se construeretur, aram emturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi... cum ad xx. pedum altitudinem humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti patri Proserpinæque inscriptam,' quæ olim, orto bello Romanos inter et Albanos, cum instructa ad prœlium utraque acies erat, sub terram a Romanis exstructa fuerat, humique, ne cerneretur, defossa. Hoc postquam Valesius accepit, hostias nigras Terenti immolavit continuis tribus noctibus. Unde mensibus Septembri, Octobri, Novembri, singulis semel, sed noctibus tribus continuis, hæc sacra fiebant. Nuper Antonius Van-Dale de Oraculis Ethnicorum duas edidit dissertationes, ubi ingeniose atque erudite de Tauropoliis locutus est.

Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant atque adorant eminus,
Vilis quod illum sanguis et bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.
Addamus illam, vis, hecatomben tuam?
Centena ferro cum cadunt animalia,
Variaque abundans cæde restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinis.
Sed quid macellum pingue pulvinarium,
Quid maximorum lancinatores gregum,
Eviscerata carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis,
Votivus et cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deam,

vestimenta. Atque omnes illum tali liquore inquinatum ac sordidum tabo modo peracti sacrificii salutant, necnon e longinquo adorant, quia putant victima sanguineque Pontificem, dum in fossa latebat, lautum fuisse. Visne, o tyranne, loquar et de illo sacrificii genere, in quo centenæ mactantur victimæ, quarum cæde tot rivi sanguinis exsiliunt, ut sacrificuli natent cruore, ac perægre ex hoc gurgite egredi queant. Sed quid criminor templa pulvinaribus referta? quid vestros sacerdotes, qui gladiis solvendo hostiarum viscera manus suas sanguine imbuunt? Facitis et sacrificia, in quibus vos eviratis, ac sponte membra vestra amputatis. Fanaticus cultrum stringit in suos lacertos; Bellonam ut placet, sua brachia abscindit. Vult



1.—1046 *Hinc* Eg. H. P. *contactibus* F.—1050 *laverit* Eg.—1051 *illam si vis* C. *eccatontem* H. W.—1055 *profunda sanguinis* Weitz. Eg. *profundum sangui-*

NOTÆ

1051 *Addamus illam, vis*] Ut metro consulatur, Cauchius conjectabat, *Addamus illam, si vis.* Et sane hecatombe antepenultimam correptam habet: sed abnuunt scripti.

Hecatomben] Sacrificii genus, in quo ritus hic servabatur, ut centenæ unius generis mactarentur victimæ, ita dictum a numero victimarum, vel a numero sacrificantium, quia centum Peloponnesi urbes id faciebant. Hæc sacra Marti fiebant post bellum grati animi causa, aut quietis temporibus Jovi et Apollini mali avertendi gratia.

1056 *Macellum pulvinarium*] Diis enim pulvinaria et epulæ struebantur, vide sup. Hymn. 5. vs. 179. Vestibula autem templorum vocat contemtim macellum propter sacrificia pecorum, et sacerdotes ipsos lanios et lancinatores, qui carnes et exta dividunt.

1062 *Matrem Deam*] Apuleii sen-

Furere ac rotari jus putatur mysticum :
Parca ad secandum dextra fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine :
Offert pudendum semivir donum Deæ :
Illam, revulsa masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus :
Mas esse cessat ille, nec fit fœmina.
Felix Deorum mater imberbes sibi
Parat ministros lævibus novaculis.
Quid, cum sacrandus accipit sphragitidas ?

hæc non posse fieri sacrificia nisi furat, atque in orbem torqueatur. Omnes manum, quæ corpus metuit dilaniare, impiam esse existimant. Unde quo quis in se crudelior est, eo magis meretur cœlum. Gallus vero sua genitalia demetit, Cybelemque, ipsi secta verenda consecrando, placat. Jam factus eunuchus mentulam offert Deæ, ut, vena spermatis abscissa, effluenti sanguine satietur Cybele. Quod Deorum matri uterque sexus displiceat, sacerdos neutrum assumit sexum ; nam nec mas dici potest, nec fœmina. Felix Cybele sibi acuto silice imberbes parat sacerdotes. Denique,



nem A. G. S. W. B.—1064 *Parta* Weitzius.—1070 *effluenti* T. *et fluenti* P. *vena fluenti* Salmasius.—1076 *accipit fragitidas* Weitzius, H. W. B.—

NOTÆ

tentiam sequitur, qui vult tres Deas Bellonam, Cybelen, Isiden, idem esse numen: atque invehitur in veteres, qui in sua ipsorum corpora sæviebant. Cybelis sacerdotes amputabant sibi virilia, Bellonæ se vulnerabant cultellis aut acuto silice, Isidis patiebantur notas sibi ferro candente inuri. Quibus non immoror, quod de iis multa dixerim sup. vs. 197. not.

1072 *Medium retentat inter alternum genus*] Claudian. carm. 18. in Eutrop. 'Linquite fœmineas, infelix turba, latebras, Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter; Exsecti veneris stimulos, et vulnere casti; Mista duplex ætas; inter puerumque senemque Nil medium.'

1076 *Sphragitidas*] Quanquam illud nomen apud Græcos proprie significet sigillum, quod annulo imprimitur epistolæ, unde sphragis, gemma illa viridis, qua optime signamus, unde et sphragis, species optimæ rubricæ, cujus meminit Plinius xxxvi. 6. quæ in Lemno insula effodiebatur, quæque signata vendebatur ; tamen videmus Aristophanem Av. 560. pro omni nota impressa posuisse, ἐπιβάλλειν Σφραγῖδ' αὐτοῖς ἐπὶ τὴν κωλῆν, 'notas ipsis imprimere ad pernam.' Et Nazian. pro nota baptismate impressa. Id unum facessit negotium, scilicet quod poëta sphragitidas dixerat : nam, ni fallor, sphragidas requiritur ; siquidem apud Græcos σφραγὶς σφραγῖδος tantum reperimus.

Acus minutas ingerunt fornacibus:
His membra pergunt urere, ut igniverint:
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde cum reliquit spiritus,
Et ad sepulcrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ:
Insignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo, quod perustum est ignibus.
Has ferre pœnas cogitur gentilitas:
Hac Dii coërcent lege cultores suos:
Sic dæmon ipse ludit hos, quos ceperit,
Docet execrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex vestra fluit
Crudelitate: vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruente vivimus:
At si cruente puniamur, vincimus.

cum huic, qui colit Isidem, notæ imprimuntur, Deæ sacerdotes fornacibus calefaciunt minutas acus, quibus, statim atque ignitæ sunt, membra illius comburunt: et prædicant omnes illas corporis partes consecratas esse, quæ ustionis notas habent. Vix autem mortuus est, antequam sepultura afficiatur, ipsique reddantur exequiæ, bracteæ ad unamquamque partem apponuntur, insignis auri lamina tegit cutem; ac membrum illud, quod igne perustum fuerat, argento aurove includitur. Qui colunt idola, ii talia tormenta tolerare debent, siquidem falsi Dei has leges imponunt cultoribus suis. Ita dæmon illudit hominibus, quos ad se allexit. Ipsos docet sese turpiter cruciare, ac sibi dolores infligere corpus inurendo. At una vestra crudelitas Christianorum sanguinem profundit; una impia tyrannis martyres dilacerat. Quod si in illos non sæviretis, viverent incruentati. Vincunt tamen, cum aspere

1078 *perguntur aëre* Eg.—1079 *Quacunque* Eg.—1080 *Stigmaret, hanc sacratam prædicant* Eg.—1081 *relinquit* A. B.—1103 *Succedit* Eg. H. Amb. *Suc-*

NOTÆ

1078 *His membra pergunt urere*] Quos Deo consecrabant, hos stigmatibus inurebant antiqui. Vide Lips. I. de Milit. Rom.

1080 *Stigmarit*] A verbo Græco *στιγματίζω, στίγμα* enim punctum, cicatricem, notam impressam, quali solebant servi a dominis notari, significat. Hesiod. *στίγματα δ' ὡς ἐπέφαντο*, i. e. 'maculæ apparebant.'

Sed jam silebo: finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Jam non licebit improbe, ut licuit modo,
Torquere nostra vel secare viscera:
Cedas necesse est victus et jam desinas.
Cessabit equidem tortor et sector dehinc,
Judex minatur: sed peremtoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium,
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quam tubam si fregero.
Dixit, foroque protrahi jussit virum,
Trudi in tenebras noxialis carceris:
Elidit illic fune collum Martyris
Lictor nefandus. Sic peracta est passio:
Anima absoluta vinculis Cœlum petit.
Gesta intimasse cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem voluminum,
Seriemque tantæ digerens tragœdiæ:
Lætatus omne crimen in fasces refert
Suum tyrannus chartulis vivacibus.

tractantur. Finem facio sermoni; nam mors, quæ finis est malorum, ac martyrum gloria, quæ omnibus obeunda est, jam imminet. Non tibi, o tyranne, licebit, ut modo licebat, meme cruciare et laniare. Victus es, cede, ac desine persequi. Asclepiades respondet: Cessabunt equidem carnifices, et chirurgus te lacerare, sed lictorum turba illis succedet, strangulabitque. Nisi enim te suffocem, tua vox inquieta oris garruli tacere nequit. Vix ea dixerat: jubet Romanum educi e foro, atque in tenebras publici carceris conjici. Nefandus lictor obtemperat, ibique fune martyrem strangulat. Ita suum martyrium absolvit Romanus, cujus anima corpore laxata cœlum ascendit. Fama est Asclepiadem Galerio hæc omnia denuntiasse, ordinem seriemque rerum nexuisse, multa illa narratione implevisse volumina: necnon Galerium gestientem lætitia mortem illam, quam Romanus ipsius jussu passus fuerat, in annales retulisse chartis semper duraturis. At tempore rerum edaci eæ

cedat Bodl. Ro. P. *illi* Nom.—1107 *nox illis* Eg.—1114 *in fastos refert Suos*

NOTÆ

1107 *Noxialis carceris*] In quem noxii conjiciuntur, ut sup. 'noxialem stipitem' dixit.

1111 *Principi*] Galerio Cæsari, qui hunc Asclepiadem præfecerat Antiochiæ.

1113 *Tragœdiæ*] Quod tragœdiæ tristes exitus exhibeant. Unde Euripides petente Archelao rege, ut de se scriberet tragœdiam, abnuit, ac precatus est ne accideret Archelao aliquid tragœdiæ proprium.

Illas sed ætas conficit diutina,
Fuligo fuscat, pulvis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit:
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in cœlis apex.
Excepit astans Angelus coram Deo
Et quæ locutus Martyr, et quæ pertulit:
Nec verba solum disserentis condidit,
Sed ipsa pingens vulnera expressit stylo,
Laterum, genarum, pectorisque, et faucium.
Omnis notata est sanguinis dimensio,
Ut quamque plagam sulcus exaraverit,
Altam, patentem, proximam, longam, brevem:
Quæ vis doloris, quive segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regestis est liber cœlestibus,
Monumenta servans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno judici:
Libramine æquo qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.

possunt consumi, nigrescere fuligine, pulvere fœdari, denique senectute corrumpi aut deleri penitus. Unus vitæ liber a Christo descriptus; una, quæ scripta sunt in cœlo, non situm ducunt. Angelus autem astans coram Deo et objectationes martyris, et responsa accurate excepit; ac non solum verba Romani scriptis mandavit, verum etiam omnia laterum, genarum, pectoris, fauciumque vulnera notavit et stylo exaravit. Scriptum est quantum sanguinis effuderit; quot plagas acceperit, graves, patentes, non altas, periculosas, leves; quam acuti fuerint ipsius dolores; quales incisuræ; ita ut omnes guttæ sanguinis numeratæ sint. Atque in tabulas publicas Deus retulit hunc librum, ne tam clarum certamen detur oblivioni, quem librum consulet is æternus judex, cum sancte justeque malis supplicia constituet, ac

C. ex conj.—1117 *Uligo* Weitz. C. T.—1133 *Religendus* Weitz. Eg. H.—

NOTÆ

1119 *Inscripta*] De quo in Apocal. et in cap. x. Luc. 'Nomina vestra scripta sunt in cœlis.'

1131 *Regestis*] 'Regesta, quæ corrupto vocabulo registra dicuntur, sunt acta tabulæque publicæ in quas regeruntur commentarii, vel epistolæ.' Ita Iso magister in Glossis. Unde edicta principum in Curiis supremis regesta seu registrata dicimus.

1134 *Libramine æquo*] Manifesta allusio ad locum Matthæi cap. xxxv.

Malorum pondera] Hinc anonymus in compendio doctrinæ Evangelicæ de Judicio: 'Judex, cœlum, styx, decernet, nutriet, uret, Facta, bonos, reprobos, jure, quiete, foco.'

1135 *Præmiorum copias*] 'Tam enim

Vellem, sinister inter hædorum greges,
Ut sum futurus, eminus dignoscerer:
Atque, hoc precante, diceret Rex optimus:
ROMANUS orat; transfer huc hædum mihi:
Sit dexter agnus, induatur vellere.

bonis persolvet præmia. Utinam, si ad lævam, ut peccata mea exigunt, essem malorum in numero, me Romanus e longinquo agnosceret; necnon Deus ob hujusce martyris deprecationem diceret: Huc Prudentium adducite, in bonorum numerum ascribite, date vestem candidam; id a me petit Romanus.

1135 *comparavit* Eg. H.—1139 *hunc* Heins. in not.

NOTÆ

magna est sanctorum merces,' ait Bernardus, 'quæ non possit mensurari; tam multa, quæ non possit numerari; tam copiosa, ut non possit mensurari.'

1136 *Vellem, sinister*] Non absolute ea esse intelligenda nemo non videt. Vix enim Deus ultimam tulerit sententiam: 'Pastor statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris,' ut ait Matth. c. XXV. i. e. aut ad lævam anima peccatis inquinata erit in malorum numero, aut particeps gloriæ perennis; illudque decretum erit stabile, fixum, atque immutabile. Quibus colliges Fabricium mentem auctoris parum perspexisse. Dicit enim optare se, ut vel inter hædorum greges statuatur, sed hac conditione, ut et eminus, qualis erit, dignosceretur, et Romanus pro se oraret, quem a Christo exaudiendum fore certo persuadet sibi.

Inter hædorum greges] Alludit ad locum Matthæi cap. XXIV. et ad consuetudinem suæ ætatis. In antiquis enim Christianorum monumentis Christus sæpe habitu pastoris exprimebatur. Nec abludunt ab hoc Prudentii loco illa Alcimi Aviti poëmat. lib. III. 'Tunc cum sinceros pastor discreverit agnos, Hædis disparibus diversa in sede locatis.'

1139 *Transfer huc hædum mihi*] Respexit hæc Prudentiana Henricus Altissiodorensis sub finem poëmatis de S. Germano: 'Hunc hædum niveos quamprimum transfer in agnos: Agnus eat dexter, decoretur vellere pulchro.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

CARD. BARON. in Not. ad Martyrol. sub die 30. Januarii, ac 22. Augusti perspicuum esse dicit Prudentium in Hymno sequenti tres Hippolytos Martyres confudisse in unum, videlicet Militem, Presbyterum, et Episcopum; eorumque res gestas quasi unius tantum narrasse; quam opinionem recentiores Poëtæ interpretes Chamillardus et Cellarius secuti sunt, aliique inter quos Jo. Clericus

Bibl. Eccl. T. xii. Verum cum sententia hæc nullo antiquitatis testimonio comprobetur, Prudentio potius viro antiquitate, doctrina, et sinceritate clarissimo, quam novorum Scriptorum conjecturis standum putarunt eruditissimi viri Ruinart. Act. MM. p. 143. Tillemontius T. iii. Mon. Hist. Eccl. p. 675. Ceillerius Script. Eccles. T. iii. p. 527. et omnium novissimus Constantinus Ruggerius peculiari Dissertatione De Portuensi S. Hippolyti Sede Romæ edit. an. 1771. Licet igitur concedamus alios quoque, præter hunc, Hippolytos fuisse, quos Ecclesia suscipit ac veneratur, non alium tamen agnoscimus Hippolytum in hoc Prudentii Hymno, quam Portuensem Martyrem celeberrimum, cui hæc omnia, quæ a Poëta referuntur, optime competere existimamus. Ac si nonnulla, quæ de hoc Hippolyto narrat Prudentius in recentioribus Martyrol. aliis ejusdem nominis Martyribus tribuuntur, hos potius cum Nostro confusos fuisse, haud temere affirmari posse videtur, cum nihil tale in antiquioribus Kalendariis appareat. Quicquid sit, certum ex Prudentio est, hujus nostri Hippolyti festum Romæ Idib. Aug. celebratum fuisse tanta, non solum Populi Romani, sed et exterorum etiam ac longe positorum frequentia, ut mirum videri debeat, ita subsequentibus temporibus ejus cultum imminui potuisse, ut modo vix notus in urbe sit. Passus est circiter an. 210. Deciana Persecutione.

XI. PASSIO HIPPOLYTI MARTYRIS AD VALERIANUM EPISCOPUM.

Exposito insolito supplicii genere, quo hic Martyr affectus fuit (nam ab indomitis equis, quibus alligatus fuerat, per carduetum et tribulos tractus, ac toto corpore laceratus et in frusta discissus, interiit), narrat Poëta summum Christianorum studium in conquirendis Martyris reliquiis, ejusque annua recordatione celebranda, cujus intercessione se quoque plurima apud Deum consecutum fuisse testatur.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
    Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

Vidi Romæ, o Valeriane inclyte episcope, quamplurimos sanctorum tumulos. Quæ

NOTÆ

Mirum est quod Prudentius trium Hippolytorum facta, quasi unius tantum narraverit; Hippolyti scilicet militis, quem sanctus Laurentius baptizavit; Hippolyti presbyteri Antiocheni, atque Hippolyti episcopi

Incisos tumulis titulos, et singula quæris
Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troia Roma Deos.
Plurima literulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.

carmina iis sunt superaddita, ea vis a me accipere, et cuncta beatorum nomina? Utinam possem; at non ita est facile illa recensere. Dum enim Roma, quam Teucrorum posteri fundarunt, falsos Deos coluit, innumeros Christianos morti dedere impii principes. Fateor equidem nonnulla adhuc inscripta reperiri sepulcra, ita ut aut nomen martyris legi queat aut epitaphium. Alia vero non inscripta sunt, et lapides, quibus clauduntur tumuli, unum martyrum numerum edocent. Quare unusquisque potest ediscere quot olim Christianorum corpora in iis acervatim condita fuerint;

7 *locuntur* Weitz. W.—9 *multa* Eg. P. W. superscr.—20 *Prespiter* W.

NOTÆ

Portuensis: siquidem ii locis, temporibus, vitæ studiis, denique martyrii genere discrepant, atque uno nomine conveniunt. Miles etenim passus est Romæ via Tiburtina, sub Valeriano imperat. die 13. Augusti ann. 261. raptatus atque discerptus ab indomitis equis; alter, nempe presbyter Antiochenus, Novati schismate aliquantulum deceptus, ad unitatem ecclesiæ rediit, et pro ea capite plexus est 30. Jannar. Decio imperat. Hippolytus autem episcopus Portuensis doctrina clarissimus sub Alexandro imper. mersus aquis in portu Romano die 22. Augusti ann. 229. martyrii coronam accepit. Quia vero nonnulla adhuc lectoribus negotium facesserent, multo satius est infra de unoquoque singulatim dicere.

2 *Christi sacer*] Male quidam illud esse amovendum putant, legendumque *Christo sacer*. Cic. Verr. 3. 'Illa insula horum Deorum sacra putatur.' Plin. VIII. 21. 'Feram nomine axim sacram Liberi Patris.'

Valeriane] Ut colligere est ex poëtæ versibus, is Cæsaraugustanus erat episcopus: nam orat ut ipsum ad ovile referat; quibus satis denotat unum ex illius diœcesanis fuisse.

6 *Patrios Deos*] Nempe penates aliosque Deos, quos Latio intulit Æneas: de quibus sup.

Troia Roma] Virg. Æn. I. id fusius explicat, quare adeat unusquisque: sufficiat nobis indicasse Æneam condidisse Lavinium, in quam primum Deos et sacra intulit; quæ Albæ parens fuit, ac deinde Romæ: 'Genus unde Latinum, Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.'

9 *Tacitas claudentia tumbas*] Giselinus *Tacitas claudentia turbas* habet.

Sexaginta illic, defossas mole sub una,
Reliquias memini me didicisse hominum:
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
Rerum apices veterum per monumenta sequor;
Invenio HIPPOLYTUM, qui quondam schisma Novati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad Martyrii provectum insigne, tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere senem, perversi dogmatis olim,
Munere ditatum catholicæ fidei.
Cum jam vesano victor raperetur ab hoste,
Exultante anima carnis ad exitium.
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat:
Consultus quænam secta foret melior,
Respondit: Fugite, o miseri, execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis.

sed ne unius quidem nomen agnoscet. Ac memini me legisse illud epitaphium: Hic cineres sexaginta martyrum eodem tumulo tecti sunt; quorum Christus unus, qui veræ ipsos amicitiæ vinculo junxerat, novit nomina. Dum cuncta sepulcra intuebar, quærebamque an forte alicubi hæc inter antiquitatis monumenta reperirem aliquod absconditum epitaphium; reperi Hippolytum martyrii palma donatum fuisse a Deo, et tulisse præmia proposita Christianis, qui pro Christo effundunt sanguinem. Is quidem sacerdos olim Novati hæresi faverat, negaratque ecclesiæ Romanæ dogmata sequenda esse. Nec mirere quod hæretici sectator idem quod catholicus donum acceperit. Hippolytus crudeli ab hoste trahebatur ad mortem, ipsiusque anima gaudio efferebatur, quia corpus rapiebatur ad supplicium. Comitabantur quamplurimi, diœcesani enim illum unice diligebant, omnesque eum interrogarunt quanam in religione manere deberent. Qui statim respondit: Heu miseri, abhorrete detestabilem Novati doctrinam, et quamprimum vos reponite in catholicorum numerum.

sequere Eg. H. superscr.—27 *comitatibus* H.—33 *et venerabile* Ruinart.—35

NOTÆ

19 *Hippolytum*] Constat poëtæ in animo fuisse dicere laudes Hippolyti discipuli Clementis Alexandrini, qui primo fuit Metropolita Arabiæ, deinde Episcopus Portuensis; quique plusquam triginta millia Ethnicorum ad veram fidem adduxit. Hominem ingenio præstanti fuisse, atque eruditione perfecta, scribunt Eusebius et Hieronymus.

Schisma Novati] Quare notandum est hic primo Prudentium peccasse: ea enim debent referri ad Hippolytum sacerdotem Antiochenum, qui favit Novati hæresi.

29 *Novati*] Novatus Episcopus Afer

Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est:
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget: venerabile Martyr
Cerno, quod a cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit lævo de tramite plebem,
Monstravitque sequi, qua via dextra vocat:
Seque ducem recti, spretis anfractibus, idem
Præbuit, erroris qui prius auctor erat:
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina viros.

Fides, quam Christus in Petro stabilivit, quam servavit Paulus, Petrique successores, una vigeat. Jam me piget ea, quæ docui, docuisse: jam testor, cernoque colendum esse illud, quod asserebam esse vero Dei cultui oppositum. Vix dictis devium populum correxerat, rectamque demonstrarat viam; vix etiam spreta Novati hæresi tuti itineris sese ducem præbuerat, ut olim fuerat erroris; adducitur ad sævum Ulpianum, qui tunc in urbe Portu Romano sæviebat in Christianos. His enim tempo-

NOTÆ

schisma conflavit adversus sanctum Cyprianum pro lapsis. Anno autem Decii ultimo, Christi 251. cum Romana sedes annum amplius vacasset, Fabiano subrogatus est Cornelius, contra quem Novatianus primus antipapa schisma conflavit a paucissimis suæ partis electus: ad quem se Novatus ex Africa veniens adjunxit, unde plerique cum Novatiano promiscue habent. Ipsius hæresis in eo potissimum est posita, quod ecclesiæ hujusque præsidibus atrocium peccatorum remittendorum potestatem negaret a Christo fuisse commissam. Non enim ob id præcise pro hæretico damnatus est, quod dandam gravioribus delictis veniam ac reconciliationem negaret, sed quod ejus dandæ potestatem penes ecclesiam non esse diceret. Quod ipsum et Tertulliano visum est, et ut apparet etiam Montano. Deinde, licet ecclesiam vel episcopum atrocia peccata dimittere non posse contenderet, tamen ob ea pœnitentiam censebat agendam.

37 *Seque ducem recti*] Cyprianus l. III. epist. 21. belle sane ac luculente: 'Quantum perniciosa est ad sequentium lapsum ruina præpositi, in tantum contra utile est et salutare, cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum.'

39 *Sistitur*] Jam redit ad Hippolytum episcopum Portuensem, qui jussu Ulpiani manibus pedibusque ligatis in altam foveam aquis plenam præcipitatus est. Hippolytus enim Novati sectator Antiochiæ martyrii palmam retulit.

Rectori] Quædam hic enodanda sunt, ni fallor; nam M. Aurelius Severus Alexander, sub quo mortuus est Hippolytus episcopus, princeps fuit longe omnium optimus, ac pace belloque præstantissimus; siquidem vix anno Christi 222. ad imperium pervenit, summam vel in dicendo, vel a judicibus exigendo jure diligentiam adhibuit, in eosque qui favore, aut corruptela justi fines excederent, severius animadvertit. Idem a Christo non abhorruit; cui cum divinos honores habere, ac templum condere per senatum minime licuisset, eum in larario coluit. Quare fortasse non-

Illo namque die Roma secesserat, ipsos
  Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum celsa intra mœnia Romæ
  Tinguere justorum cædibus assiduis:
Janiculum cum jam madidum, fora, Rostra, Suburram
  Cerneret eluvie sanguinis affluere:
Protulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
  Quæque loca æquoreus proxima portus habet.

ribus is tyrannus non contentus intra celsa Romæ mœnia terram sparsisse martyrum sanguine, Roma exierat ut populos finitimos eadem imbueret impietate. Cernebat fora, rostra, suburram, janiculum madidum jam cruore restagnare. Statuit etiam populos sitos ad mare Tyrrhenum sævitia affictare, atque cuncta loca Portui Romano

detersit A.—43 *celsæ* Weitz.—46 *effluere* Weitz.—47 *horam* W.—50 *extralte*

NOTÆ

nullis mirum videretur quod poëta illum crudelem vocet. Ut id planum faciam: dico Alexandrum usum fuisse in administrando jure clarissimorum ejus scientiæ virorum industria, Pomponii scilicet, Celsi, Modestini, Pauli, Proculi, Venuleii, ac præsertim Ulpiani, cui præfecturam prætorii, dignitatem omnium amplissimam contulit, et quem scriniorum magistrum creavit. Cum autem Ulpianus infensissimus erat Christianis, inscio imperatore, ipsi facile fuit ejus nomine et auctoritate tot martyres suppliciis afficere. Itaque puto de Ulpiano loqui Prudentium.

40 *Ostia Tiberina*] Duo numerantur, quibus Tiberis, Italiæ fluvius, ex Apennino monte in mare Tyrrhenum se exonerat: ubi urbes duæ conditæ fuere: Ostia scilicet in orientali, urbs antiquissima ab Anco Martio anno post Trojæ excidium 133. posita, cujus episcopus est semper decanus sancti collegii cardinalium: Portus altera in occidentali, quæ urbs Portus Romanus aut Portus Augusti dicitur. Ipsius episcopatus unus est e sex, qui Cardinalibus antiquioribus conferuntur. Virg. 'Italiam contra, Tiberinaque longe Ostia.'

45 *Janiculum*] Sextus Pompeius Festus vult hunc montem ita dictum fuisse, quod per eum, tanquam per januam, populus Romanus transierit in agrum Etruscum. Alii sic appellatum scribunt ab oppido, quod Janus in Italia condidit; Macrobius autem quod Janus ibi vel sit sepultus, vel habitaverit.

Fora] Loca, in quibus judicia publica exercebantur: tria autem fuere celeberrima, Romanum scilicet, Julium, Augustum. Varro docet forum a ferendo dictum esse; alii derivant a foras, quod sub dio sit, Isidorus a fando.

Rostra] Templum scilicet, seu forum ante curiam Hostiliam, in quo erat pulpitum ornatum ex rostris navium Antiatium, ex quo loco conciones habebantur, ferebantur leges, agebantur causæ.

Suburram] Suburra vicus Romæ, in quo meretricum diversoria erant: unde Suburranæ dicuntur a poëtis.

47 *Tyrrheni*] Tyrrhenum mare, pars est ampla maris Mediterranei, quæ

Inter carnifices, et constipata sedebat
  Officia, exstructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandique rebelles
  Idolii, ardebat dedere perfidiæ.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
  Jusserat, horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
  Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum cratibus altos
  Pandere secessus, et lacerare jecur.
Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
  In furias, cassa cognitione fremens.
Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
  Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quæsitor ait: jam, tortor, ab unco
  Desine: si vana est quæstio, morte agito.
Huic abscide caput, crux istum tollat in auras,
  Viventesque oculos offerat alitibus.
Hos rape præcipites, et vinctos conjice in ignem,
  Sit pyra quæ multos devoret una reos.

proxima. Celsior sedebat in solio exstructo cinctus tortorum caterva lictorumque; necnon omnes adhibebat machinas ut Christi discipuli, ac Christiani idolis infensi fidem suam ejurarent. Quare jusserat martyres male crinitos ob sordes carceris e custodia eripi, ac diris constringi suppliciis. Iis catenas carnifices injiciebant, illos cædebant loris, aut virgis lacerabant, nonnullis alta imprimebant vulnera ungulis costarum commissuras solvendo, et jecur laniando. Jam fatigatis carnificibus judex furebat fremens, quod frustra illos de tribunali citasset. Nam ne unus quidem ex Christianis repertus est, qui vi tantorum tormentorum victus animam peccato polluerit. Quare Ulpianus ira percitus, Ne diu, inquit, o carnifices, harpagonibus utamini, si parum prodest eos dare in quæstionem, morte mulctemus. Collum alteris secate, alteros in crucem tollite, ita ut ipsorum adhuc viventes oculos aves devorent. Hos rapite præcipites, et vinctos in ignem conjicite; sed struite ingentem pyram, in quam simul multi rei imponantur; illos contrudite in naves perfos-

••••••••••••

Eg.—54 *horrificis* Ro.—60 *conditione* H. B. W. superscr.—63 *ab uno* A. Eg. —64 *agita* Nom.—65 *abscinde* C.—66 *Viventisque* F. P.—71 *rabidum* Weitz.

NOTÆ

Italiam ad septemtrionem alluit: unde mare inferum etiam vocatur: extenditur a Tuscia ad fretum Siculum, unde mare Tuscum.

En tibi quos properes rimosæ imponere cumbæ;
　Pellere et in medii stagna profunda freti:
Quos ubi susceptos rapidum male suta per æquor
　Vexerit, et tumidis cæsa labarit aquis;
Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
　Conceptumque bibant undique naufragium.
Squamea cœnoso præstabit ventre sepulcrum
　Bellua, consumtis cruda cadaveribus.
Hæc persultanti celsum subito ante tribunal
　Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore ferebant,
　Ipsum Christicolis esse caput populis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
　Pectora Romanis sponte sacranda Deis.
Insolitum leti poscunt genus, et nova pœnæ
　Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice: Quis, inquit,
　Dicitur? affirmant, dicier HIPPOLYTUM.
Ergo sit HIPPOLYTUS: quatiat, turbetque jugales,
　Intereatque feris dilaceratus equis.

sas, quæ in altum a conspectu pæne omnium abripiantur. Vix enim eæ naves male instructæ procelloso mari ferentur, vix mediis tumidisque aquis fractæ fatiscent; dissociata tabulata putrem laxabunt cymbam, et undique per rimas aquam accipient: piscium quoque voracium cœnoso ventre corrupta illorum rebellium corpora, tanquam sepulcro, condentur. Dum hæc insulse jactat, ecce altum ad tribunal adducunt senem vinctum, quem esse facem seditionis ducemque Christianorum multi clamant juvenes circumfusi; quique asserunt, modo concitator ille multitudinis quamprimum justa morte cadat, brevi vulgus Deos Romanos ultro adoraturum. Itaque novum mortis genus excogitandum esse, novum tormentum, ut hoc exemplum terrorem aliis injiciat. Judex inclinatam habens cervicem, quomodo nominetur, inquirit. Ipsique respondent juvenes Hippolytum vocari. Tum judex: Sit ergo ut alter Hippolytus: illum trahendo exerceantur agitenturque equi, quibus membra-

Gif. Ind. Lucr.—72 *celsa labarit* A. *cæsa levarit* C. H. *cæsa lavarit* Fuld. superscr. *celsa levarit* Gif. Ind. Lucr. p. 476. P. *celsa lavarit* B.—84 *trepidant* W. superscr.—87 *Yppolitus fiat ergo; agitet t.* Weitz. W. in marg.

NOTÆ

69 *Imponere cumbæ*] Nota quamplurimos martyres fractis impositos fuisse navibus, et fluctibus commissos. Adi Euseb. VIII. 6. De cumba sup.

87 *Sit Hippolytus*] Hic tota re errat Poëta, eo quod fere ad finem describat martyrium sancti Hippolyti militis, qui pro confessionis gloria sub

Vix hæc ille; duo cogunt animalia, fræni
Ignara, insueto subdere colla jugo:
Non stabulis, blandive manu palpata magistri,
Imperiumque equitis ante subacta pati:
Sed campestre vago nuper pecus e grege captum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jamque reluctantes sociarant vincula bigas,
Oraque discordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
Dividit, et medius tangit utrumque latus.
Deque jugo in longum se post vestigia retro
Protendens trahitur, transit et ima pedum.
Hujus ad extremum, sequitur qua pulvere summo
Cornipedum refugas orbita trita vias,

tim direptus moriatur. Dixerat: binos equos, qui nondum frænum receperant, stratos tenent; ii enim non educebantur e stabulis, aut ex equario mangonio, ubi arte docti magistri antea didicissent pati equitis imperium. At nuper electi fuerant ex armento rustico, quare ipsis inerat feritas atque indomitum pectus. Habenis igitur equi reluctantes junguntur, et idem lorum fœdere discordi os ori applicat. Funis utriusque inter corpus trajectus, mediusque tangens hinc et inde latus unum, implet vicem temonis; de jugo in longum retro protenditur, et demittitur ultra imos pedes. Funis ad extremam partem, nempe ubi rota solet summum excitare pulve-



Yppolitus sit ergo; agitet t. W. sed *quatiat* superscr. *agitet* Gif.—90 *insueta* H.—91 *blandave* C.—95 *sociarunt* H. W. B.—100 *traitur* W.—104 *atque ru-*

NOTÆ

Valeriano imperatore post alia tormenta ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum et tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato, emisit spiritum. Cui id profuit nomen Hippolyti illudente Gentilium crudelitate, ut ex nominis similitudine consimili mortis genere dilaniaretur. Omnes enim norunt Hippolytum Thesei et Hippolytæ Amazonis filium direptum fuisse equis. Theseus enim in furorem versus, de filii nece cogitavit: quod metuens Hippolytus fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum forte in littus exierant maris, equorum et rotarum strepitu perterritæ, sese in mare præcipitarunt; eum exterriti equi per scopulos ac saxa traxere tanto impetu, ut compagibus dissolutis juvenem loris implicitum discerpserint. Hunc postea Æsculapius revocavit ab Inferis, et pristinæ incolumitati restituit. Unde se Virbium appellari jussit, quod bis vir fuisset.

102 *Orbita*] Orbita dicitur sulcus is, quem currus rotis efficit. Liv. II. Belli Maced. 'Rota una in altiorem orbitam depressa, ita turrim inclinavit.' Atque hinc verbum exorbito, quo Tertullianus usus est, et Firmicus.

Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
  Astringit plantas, cumque rudente ligat.
Postquam composito satis instruxere paratu
  Martyris ad pœnam, verbera, vincla, feros:
Instigant subitis clamoribus atque flagellis,
  Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis hæc est:
  'Hi rapiant artus, tu rape, Christe, animam.'
Prorumpunt alacres, cæco et terrore feruntur,
  Qua sonus atque tremor, qua furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus, et fragor urget,
  Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per sylvas, per saxa ruunt, non ripa retardat
  Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sepes, et cuncta obstacula rumpunt,
  Prona, fragosa petunt, ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
  Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,
  Parte rubent frondes, parte madescit humus.

rem, dum equorum fugientium vestigia persequitur, laqueus vincit martyris crura; et tenacia vincula, tortique funes pedes arcent. Omnibus ad Hippolytum supplicio afficiendum paratis, satisque dispositis, equis scilicet ac vinculis, exhortantur equos clamoribus, flagellis incitant, ipsorumque latera fodiunt stimulis jam tinctis sanguine. Fama est senem venerandum hæc ultima verba fecisse. O Christe, trahe ad te meam animam, dum corpus meum equis trahitur. Tum equi alacres prosiliunt, et feruntur cæco impetu, qua clamor, timor, furorve rapit. Incendit feritas, trahit impetus, strepitus animos addit. Tamque velociter currunt, ut vix sentiant pondus: per sylvas, per saxa raptantur, transiliunt fluminum ripas, ipsa obvia flumina tranant, sepes prosternunt, cuncta rumpunt obstacula; modo declivia loca petunt, modo prærupta; necnon aspera superant. Tandem laceratur corpus, ac membra frustatim secta per agros vepribus et spinis abundantes passim dispersa videntur. Alia altis pendent scopulis, alia dumis hærent; quædam herbas cruentant, quædam terram.

dente A.—106 *feras* B. H. Vulg.—111 *et cæco errore* Weitz. W. *cæcoque errore*

NOTÆ

106 *Feros*] Scripti quamplurimi habent *feras*.

111 *Cæco et terrore feruntur*] Gifanius et Weitzius malebant *et cæco errore*.

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
  Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
  Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
  Purpureasque notas vepribus impositas.

Quæ omnia martyrii adjuncta paries pictus exhibet. Pictor enim penicillo unumquodque tormentum imitatus est; quinetiam tabella repræsentans discerptum corpus Hippolyti ad tumulum picturæ umbris refulget. In qua vidi, o Præsul optime, saxorum acumina cruentata, et rubos guttis sanguineis madentes. Docta enim ma-

NOTÆ

123 *Paries habet illitus*] Baronius tom. I. an. Christi 57. notat Basilium, Gregorium Nyssenum, et alios complures, qui omnes eodem quo Constantinus vixere sæculo, scripsisse martyrum fortissimos agones in ecclesiis effigiari solitos, ita ut non his tantum picturis templorum apsides, sed et ipsi parietes dextra et sinistra dispositi, diversis historiis Veteris vel Novi Testamenti fuerint egregie exornati. Impii ergo atque imperiti oppugnent totis viribus hanc totius ecclesiæ piam et sanctam consuetudinem, majorum nostrorum exempla sequemur. Quin etiam eos male sentire de fide arbitrabimur.

126 *Effigians*] Nempe depingens. Sidon. Epist. VI. 12. 'Sacravit templis, formavit statuit, effigiavit imaginibus.'

127 *Papa*] Multa mihi essent dicenda de illo nomine: quantum enim inter se differant scriptores, qui de ea voce loquuntur, mirum est. At ne sim multus; duo tantum quæ, ut intelligentiam hujus loci habeamus, necessaria sunt, paucis exponam. Quorum primum est illud vocabulum non esse formatum ex duplici pa, pa, ita ut idem sit quod pater patrum, sed a voce Græca πάππας 'pater.' Nam extat ex concilio provinciali Epiri ad Hormisdam papam synodalis epistola scripta, cujus ejusmodi est inscriptio: 'Synodus veteris Epiri Joannes, Matthæus, Constantinus, &c. domino nostro per cuncta sanctissimo et beatissimo patri patrum, comministro, ac principi episcoporum Hormisdæ papæ.' Quibus verbis intelligimus utramque vocem diversæ significationis fuisse: cum Hormisda et pater patrum, et papa una eademque inscriptione dictus reperiatur. Alterum autem, primis temporibus omnes episcopos honoris causa hoc nomine appellatos fuisse. Sunt de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Rufinum, Sulpitium Severum, Venantium Fortunatum, ac denique apud sanctum Eulogium Cordubensem, qui floruit anno Domini 850. ad quod tempus id nomen commune fuit omnibus episcopis, licet frequentius tribui consuevisset Romano Pontifici; idque quisque facile observare poterit ex epistolis Cassiodori. Postea vero obtinuit communis usus, ut papæ nomen tantummodo Romano tribueretur pontifici. Schismatici tamen illud sibi in odium ejusdem Romani præsulis fastu superbo vindicarunt. Quare Gregorius VII. anno Christi 1073. sui Pontific. 3. habuit Romæ synodum adversus schismaticos, ubi statuit inter alia plura, ut papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum

Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luserat e minio russeolam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrymisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant.
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros truncasque manus, et brachia, et ulnas,
Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quicquam de corpore sylva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille,
Corporis integri qui fuerat numerus;

mus, qua tam belle pinxerat virides dumos, purpureo colore purpureum sanguinem adumbraret. Vidi et artus dissolutis compagibus sparsos per devia itinera absque ullo ordine jacere. Quodque majus est, diœcesanos penicillo expresserat lacrymis effusos, sequentesque martyrem per occultos calles, qua impressa vestigia eum transiisse monstrabant. Illos lacrymantes et mœrore attonitos cernere est, atque gremio imponentes sacri corporis reliquias. Alter niveum caput complectitur, canosque capillos sinu fovet. Alter colligit humeros, truncas manus, brachia, ulnas, genua, et nuda crurum frusta. Nonnulli, ne guttæ sanguinis imbibantur tincto in pulvere, linteis arenam exsiccant: quodsi cruor in herbam deciderit, illum spongia colligunt. Quare ne minima quidem pars corporis sylvarum umbra abdita latet in occulto, dignisque spoliatur exequiis. Ut autem Christiani animadverterunt membrorum numero nihil deesse corporique integro; nec callium anfractus aliquid debere

Eg. P. *cæco et errore* Gif. Ind. Lucr. p. 462.—130 *et minio* Weitz. *roseolam* F. *roseolum* B.—134 *quo* Eg. T. Torrent. duo.—135 *lacrimantibus* C. Torrent. duo.—142 *intecto* C. Bodl. Torrent. tres. *intacto* quidam.—144 *Insidit* P.

NOTÆ

vel alium eo nomine appellare.

130 *Saniem*] Celsus lib. v. 'Exit sanguis ex vulnere recenti, aut jam sanescente, pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante, sanies est inter utrumque tempus.'

Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus et scopulis;
Metando eligitur tumulo locus: Ostia linquunt:
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis:
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciant claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus,

toto ex homine, quod et folia, et saxa linteis exsiccassent, locum capiunt sepulturæ: nempe Portum Romanum linquunt, petuntque Romam, ut ibi illud sacrum depositum condant sepulcro. Haud procul extremo vallo ad culta pomœria locus est subterraneus alta spelunca terminatus. Iter declive, ac multis flexibus tortuosum lucis latentis beneficio ducit in antri ostium. Nam vasto hiatu lux primum aditum pervadit et complet limen vestibuli: ut vero per dubiam viam sensim descenditur, atque ob loci altitudinem insurgunt tenebræ; ita terra fissa hiantes rimæ occurrunt, quibus in hæc loca admittitur lumen. Quamlibet igitur tenebrosi hinc et inde recessus sub illa subterranea porticu angustent aditum; larga tamen luce, quod



—149 *invia* Weitz.—151 *elegitur* Eg. Weitz.—153 *cultu* Eg. H.—154 *cavernosis* Ro. *pavet* Eg. *latet* G. *fovet* B.—161 *Decurrunt* A. W. superscr. *celsis* im-

NOTÆ

151 *Ostia linquunt*] Ut consequenter erret, fingit poëta Portuenses Portu Romano Romam transportasse corpus Hippolyti, quod submersum aquis fuisse diximus; ac narrat ea, quæ Hippolyto militi evenere.

153 *Pomœria*] Pomœrium, quid esset, augures populi Romani qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt: 'Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.' Ita Gellius XIII. 14. 'Tam intra quam extra murum est, dictum quasi post mœrium, hoc est post murum.' Ut inquit Varro de L. L.

154 *Crypta*] Locus abditus et concameratus; a verbo κρύπτω 'abscondo.' Juven. Sat. v. 'Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.' Hanc autem cryptam in agro Verano fuisse credo; aut saltem prope: nam non longe a basilica sancti Laurentii legimus positam fuisse sancti Hippolyti militis ecclesiam, cujus antiqua vestigia inter vineta adhuc extant.

Attamen excisi subter cava viscera montis
  Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
  Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus HIPPOLYTI corpus mandatur opertis
  Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
  Custos fida sui Martyris apposita.
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro;
  Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, et promta precantibus ara
  Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis æger
  Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod lætor reditu, quod te, venerande sacerdos,
  Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem;
HIPPOLYTO scio me debere, Deus cuï Christus
  Posse dedit, quod quis postulet, annuere.
Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus,
  Ædicula argento fulgurat ex solido.

mons sit perforatus, ipsa terræ viscera refulgent. Hinc fas est per foramina remoti solis fulgorem aspicere, fruique ipsius lumine. Hic Hippolyti corpus sepultura afficitur. Ac prope ponitur ara Deo dicata: quæ, cum super altare fiat sacrificium, subterque conditum jaceat martyris corpus, et servat sacros hos cineres, donec reviviscant, ut nobis spem dedit Deus, et Eucharistiam offert Tibricolis. Singularis loci sanctitas, facilisque votorum impetratio placida prosperitate spes hominum augent. Et sane quoties aut morbo aut ægritudine confectus Hippolytum imploravi, toties preces meæ exauditæ sunt. Atque ipsi debeo quod incolumis domum redierim, quod te, o illustrissime episcope, amplecti queam, quod hæc fundam carmina. A Deo enim tantam accepit potestatem, ut omnium votis annuere possit. Antrum ipsum, quod intus continet ossa, animæ veluti spolia, solido argento veni-

mensa A. P. *celsis immissa* B.—162 *jaciunt* Weitz.—171 *dicamenti* Bodl. *mens eademque* Eg. *mensa sub antro* Bodl.—173 *vindicis* A. P. Bodl. C. Alt.—175

NOTÆ

174 *Tibricolas*] Tiberis, ut jam diximus, fluvius Italiæ, oritur ex monte Apennino, Romam interluit, et 12. mill. pass. infra in mare Tyrrhenum se exonerat. A Tiberino rege Albano, in eo anno urbis conditæ 163. summerso, nomen habet, prius Albula dicebatur. Ovid. Fast. II. 'Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis Reddidit.'

181 *Cui*] Ultima brevi, ut apud Martialem Epig. I. 105. 'Sed norunt cui serviant leones.'

Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
  Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
  Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur: omnis adorat
  Pubis; eunt, redeunt, solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
  Permixtim populos religionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
  Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
  Natalemque diem passio festa refert;
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
  Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
  Una et patricios ambitione pari.

det. Quidam quoque bene nummatus parietibus suspendit tabulas materia polita candentes instar concavi speculi; nec solum aditum crustis Parii marmoris operuit, verum etiam multa argenti talenta ornando dedit operi. Huc quotidie prima luce Christiani magno numero salutatum veniunt; tantus fit concursus, ut usque ad solis occasum eat redeatque omnis populus. Latii simul ac peregrini pietate adducti adorant turmatim; polito tumuli metallo dant oscula, balsamum diffundunt, et se dedunt lacrymis. Cum autem decursis mensibus annus redit, ac martyrii festum anniversarium celebratur, qua die martyr cælo natus est, haud potest numerari quot populi inter se pietate certantis agmina in unum coëant; quot faciant vota, ut Deum colant. Nam Roma uno consilio et senatores exeunt et vulgus; necnon religionis

cuncta precantibus H. Eg. P.—190 *Pubes* Weitz. *Plebis* Torrent. duo. *om-*

NOTÆ

187 *Pariis*] E Paro, insula maris Ægæi, una ex Cycladibus, quæ marmore clara fuit et lapide, quo aurum probatur. De ea Ovid. Met. lib. VII. 'Marmoreamque Paron, quaque impia prodidit arcem.'

190 *Pubis*] Jam monuimus legendum esse pubis: quod syllaba brevis hac sede requiratur.

191 *Latios*] Latium, teste Plinio III. 5. ea pars Italiæ est, ubi sunt Tiberina ostia et clostra Romana. Dictum Latium a latendo, quod illic latuerit Saturnus Jovem filium fugiens. Servius tamen vult esse duplex Latium. De Balsa. sup. de Quirit. sup.

194 *Balsama defundunt*] Unguentorum, quæ his diebus afferebantur ad sepulcra martyrum, meminit quoque Gregorius. 'Aloëm, thymiama, styracem, et balsamum, sanctorum Martyrum corporibus offerenda.'

200 *Patricios*] Patricii, nobiles Romani, qui a primis senatoribus oriundi erant. Tit. Liv. lib. I. ab urbe:

Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, et longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena, et Picens, plebs et Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, et altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.

amor efficit ut absque ullis dignitatis insignibus primates plebe misti procedant. Idem Christianorum numerus. Alba egreditur, et longis ducitur ordinibus. Æther resonat clamoribus variarum hinc et inde viarum. Indigenæ, Picentes, Tusci, sævi Samnites, Capuani, Nolani concurrunt: unusquisque sua cum conjuge, suisque

nes adorat; Pubes eunt; W.—194 *difundunt* Weitz. *desudant* Alt.—204 *ducitur*

NOTÆ

'Romulus centum creat senatores, qui patres ab honore, Patricii quoque progenies eorum appellati.'

201 *Phalanx*] Macedonibus fuit cuneus militaris, videlicet quando pes pedi, clypeo clypeus, vir viro in acie conserebantur. Ita Curtius. Unde sumitur pro illa armorum connexione, quæ efformata erat instar testudinis. Ex Vegetio phalanx habebat hominum octo millia. Quidam putant phalangem Macedonicam sexdecim millibus militum et trecentis octoginta quatuor constare.

Umbonibus æquis] Ut id intelligatur, notandum est apud Romanos viros principes aut familiæ suæ aut factorum suorum insignia prætulisse descripta in clypeis, tirones vero atque infimo loco natos habuisse scuta alba, non picta et nubigera, ut vocat Papinius: qualia Romanorum Velites semper tulisse legimus. Unde juxta Polyb. eligebantur e junioribus et pauperibus. Virg. utriusque nobis præbet exempla: Æn. enim VII. 790. ait Turnum suo clypeo Ius Inachi filiæ fabulam imposuisse, quia originem ab Inacho ducere gloriabatur. Et vs. 657. Aventinum Hercule satum gessisse hydræ debellatæ in angues innumeros pullulantis figuram. Contra IX. 548. Helenorem nudum clypeum gestasse canit, tum quia juvenis nihildum patraverat laude dignum, tum quia furtivo concubitu ex serva editus paternam originem jactare prohibebatur, habebaturque quasi servilis generis: 'Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.'

203 *Albanis portis*] Alba, urbs Latii excisa, antiquior Roma, ab Ascanio condita an. 32. post excidium Trojæ; distat ab urbe Roma 14. mill. pass. sic dicta a sue alba, quam ibi reperit Æneas. Eam Tullus Hostilius evertit.

206 *Picens*] Picentes, populi Italiæ, in ora maris Tyrrheni inter Campanos ad occasum, et Lucanos ad ortum, a quibus divisi Silaro fluvio.

Etrusca] Etrusci Italiæ antiquissimi populi, quorum regio Tuscia sive Etruria, a Liguria Macra fluvio, a Latio Tiberi, a Gallia Togata Apenninis montibus et mari Tyrrheno discreta. Nunc duas in partes divisa, quarum altera magno Etruriæ duci, altera summo Pontifici paret.

207 *Samnitis*] Populus Italiæ Pe-

Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus et cum
Pignoribus, rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Majestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus.
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum seriem jugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exsurgens editiore apice.

cum dulcibus liberis iter ingreditur ; quare patentes campi tantam non capiunt hominum multitudinem ; turbaque in tam latis viis plures remoratur. Unde, quanquam antri ostium vastum sit, facile intelligitur hunc locum tantæ hominum frequentiæ angustiorem esse. Verum aliud templum, cultu regifico nobile, muris excelsum sublimeque, augustum, donis opulentum, prope positum est, quia nimius concursus esset. Hujus fornicem sustinet columnarum geminus ordo, atque auratis trabibus effultus. Duæ humiliores alæ adjacent, quæ laterum seriem sinuant omni ex parte. Prior autem pars templi sese altius extollens medium laxat. Denique ad lævam

Eg. H.—208 *Bolanus* C. ex conj.—222 *extenuent* Vat. duo.—239 *tradita* A.

NOTÆ

lignis, Sabinis, Latinis, et Campanis conterminus. Ubi nunc ducatus Beneventanus et Capitanatæ provinciæ. Nomen ab hastis, quas ferebant, sortiti sunt. Hasta enim Græce σαυνία.

208 *Campanus Capuæ*] Capua urbs fuit Campaniæ, regionis urbibus clarissimæ in regno Neapolitano, adeo superba, ut Romæ præferri voluerit. Hic Hannibal, deliciis operam dans, effœminatus est. Nunc quæ extat hujus nominis, ab antiqua fere leucæ spatio distat.

Nolanus] Nola antiqua Romanorum colonia in Campania, ubi adhuc multa vetustatis monumenta visuntur: et ubi Augustus Cæsar extremum diem clausit. Abest a Neapoli 14. mil. pass. propior Acerris et Sarno. *Bolanus* Cauchio arridebat, quod in *Nolanus* producatur prior syllaba, at, modo Virgil. fidem adhibeamus, *Bolani* quoque prior producitur syllaba: 'Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.'

221 *Adduntur graciles tecto breviore recessus*] Hanc templorum formam structuramque per tot sæcula vetustas ad nostram usque ætatem transmisit.

Docta manus virides imitando effingere dumos,
  Luserat e minio russeolam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus ordine nullo
  Membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrymisque sequentes,
  Devia qua fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant.
  Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
  Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros truncasque manus, et brachia, et ulnas,
  Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
  Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
  Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quicquam de corpore sylva
  Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille,
  Corporis integri qui fuerat numerus;

mus, quæ tam belle pinxerat virides dumos, purpureo colore purpureum sanguinem adumbrarat. Vidi et artus dissolutis compagibus sparsos per devia itinera absque ullo ordine jacere. Quodque majus est, diœcesanos penicillo expresserat lacrymis effusos, sequentesque martyrem per occultos calles, qua impressa vestigia eum transiisse monstrabant. Illos lacrymantes et mœrore attonitos cernere est, atque gremio imponentes sacri corporis reliquias. Alter niveum caput complectitur, canumque capillos sinu fovet. Alter colligit humeros, truncas manus, brachia, ulnas, genua, et nuda crurum frusta. Nonnulli, ne guttæ sanguinis imbibantur tincto in pulvere, linteis arenam exsiccant: quodsi cruor in herbam deciderit, illum spongia colligunt. Quare ne minima quidem pars corporis sylvarum umbra abdita latet in occulto, dignisque spoliatur exequiis. Ut autem Christiani animadverterunt membrorum numero nihil deesse corporique integro; nec callium anfractus aliquid debere

Eg. P. *cæco et errore* Gif. Ind. Lucr. p. 462.—130 *et minio* Weitz. *rossecolam* F. *roscolum* B.—134 *quo* Eg. T. Torrent. duo.—135 *lacrimantibus* C. Torrent. duo.—142 *intecto* C. Bodl. Torrent. tres. *intacto* quidam.—144 *Insidit* P.

NOTÆ

vel alium eo nomine appellare.

130 *Saniem*] Celsus lib. v. 'Exit sanguis ex vulnere recenti, aut jam sanescente, pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante, sanies est inter utrumque tempus.'

Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus et scopulis;
Metando eligitur tumulo locus: Ostia linquunt:
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis:
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciant claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus,

toto ex homine, quod et folia, et saxa linteis exsiccassent, locum capiunt sepulturæ: nempe Portum Romanum linquunt, petuntque Romam, ut ibi illud sacrum depositum condant sepulcro. Haud procul extremo vallo ad culta pomœria locus est subterraneus alta spelunca terminatus. Iter declive, ac multis flexibus tortuosum lucis latentis beneficio ducit in antri ostium. Nam vasto hiatu lux primum aditum pervadit et complet limen vestibuli: ut vero per dubiam viam sensim descenditur, atque ob loci altitudinem insurgunt tenebræ; ita terra fissa hiantes rimæ occurrunt, quibus in hæc loca admittitur lumen. Quamlibet igitur tenebrosi hinc et inde recessus sub illa subterranea porticu angustent aditum; larga tamen luce, quod



—149 *invia* Weitz.—151 *elegitur* Eg. Weitz.—153 *culta* Eg. H.—154 *cavernosis* Ro. *pavet* Eg. *latet* G. *fovet* B.—161 *Decurrunt* A. W. superscr. *celsis* im.

NOTÆ

151 *Ostia linquunt*] Ut consequenter erret, fingit poëta Portuenses Portu Romano Romam transportasse corpus Hippolyti, quod submersum aquis fuisse diximus; ac narrat ea, quæ Hippolyto militi evenere.

153 *Pomœria*] Pomœrium, quid esset, augures populi Romani qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt: 'Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.' Ita Gellius XIII. 14. 'Tam intra quam extra murum est, dictum quasi post mœrium, hoc est post murum.' Ut inquit Varro de L. L.

154 *Crypta*] Locus abditus et concameratus; a verbo κρύπτω 'abscondo.' Juven. Sat. v. 'Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.' Hanc autem cryptam in agro Verano fuisse credo; aut saltem prope: nam non longe a basilica sancti Laurentii legimus positam fuisse sancti Hippolyti militis ecclesiam, cujus antiqua vestigia inter vineta adhuc extant.

Attamen excisi subter cava viscera montis
  Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
  Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus HIPPOLYTI corpus mandatur opertis
  Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
  Custos fida sui Martyris apposita.
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro;
  Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, et promta precantibus ara
  Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis æger
  Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod lætor reditu, quod te, venerande sacerdos,
  Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem;
HIPPOLYTO scio me debere, Deus cuï Christus
  Posse dedit, quod quis postulet, annuere.
Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus,
  Ædicula argento fulgurat ex solido.

mons sit perforatus, ipsa terræ viscera refulgent. Hinc fas est per foramina remoti solis fulgorem aspicere, fruique ipsius lumine. Hic Hippolyti corpus sepultura afficitur. Ac prope ponitur ara Deo dicata: quæ, cum super altare fiat sacrificium, subterque conditum jaceat martyris corpus, et servat sacros hos cineres, donec reviviscant, ut nobis spem dedit Deus, et Eucharistiam offert Tibricolis. Singularis loci sanctitas, facilisque votorum impetratio placida prosperitate spes hominum augent. Et sane quoties aut morbo aut ægritudine confectus Hippolytum imploravi, toties preces meæ exauditæ sunt. Atque ipsi debeo quod incolumis domum redierim, quod te, o illustrissime episcope, amplecti queam, quod hæc fundam carmina. A Deo enim tantam accepit potestatem, ut omnium votis annuere possit. Antrum ipsum, quod intus continet ossa, animæ veluti spolia, solido argento veni-

mensa A. P. *celsis immissa* B.—162 *jaciunt* Weitz.—171 *dicamenti* Bodl. *mens eademque* Eg. *mensa sub antro* Bodl.—173 *vindicis* A. P. Bodl. C. Alt.—175

NOTÆ

174 *Tibricolas*] Tiberis, ut jam diximus, fluvius Italiæ, oritur ex monte Apennino, Romam interluit, et 12. mill. pass. infra in mare Tyrrhenum se exonerat. A Tiberino rege Albano, in eo anno urbis conditæ 163. summerso, nomen habet, prius Albula dicebatur. Ovid. Fast. II. 'Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis Reddidit.'

181 *Cui*] Ultima brevi, ut apud Martialem Epig. I. 105. 'Sed norunt cui serviant leones.'

Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubis; eunt, redeunt, solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
Permixtim populos religionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert;
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
Una et patricios ambitione pari.

det. Quidam quoque bene nummatus parietibus suspendit tabulas materia polita candentes instar concavi speculi; nec solum aditum crustis Parii marmoris operuit, verum etiam multa argenti talenta ornando dedit operi. Huc quotidie prima luce Christiani magno numero salutatum veniunt; tantus fit concursus, ut usque ad solis occasum eat redeatque omnis populus. Latii simul ac peregrini pietate adducti adrolant turmatim; polito tumuli metallo dant oscula, balsamum diffundunt, et se dedunt lacrymis. Cum autem decursis mensibus annus redit, ac martyrii festum anniversarium celebratur, qua die martyr cœlo natus est, haud potest numerari quot populi inter se pietate certantis agmina in unum coëant; quot faciant vota, ut Deum colant. Nam Roma uno consilio et senatores exeunt et vulgus; necnon religionis

---

cuncta precantibus H. Eg. P.—190 *Pubes* Weitz. *Plebis* Torrent. duo. *om-*

NOTÆ

187 *Pariis*] E Paro, insula maris Ægæi, una ex Cycladibus, quæ marmore clara fuit et lapide, quo aurum probatur. De ea Ovid. Met. lib. VII. ‘Marmoreamque Paron, quaque impia prodidit arcem.’

190 *Pubis*] Jam monuimus legendum esse pubis: quod syllaba brevis hac sede requiratur.

191 *Latios*] Latium, teste Plinio III. 5. ea pars Italiæ est, ubi sunt Tiberina ostia et clostra Romana. Dictum Latium a latendo, quod illic latuerit Saturnus Jovem filium fugiens. Servius tamen vult esse duplex Latium. De Balsa. sup. de Quirit. sup.

194 *Balsama defundunt*] Unguentorum, quæ his diebus afferebantur ad sepulcra martyrum, meminit quoque Gregorius. ‘Aloëm, thymiama, styracem, et balsamum, sanctorum Martyrum corporibus offerenda.’

200 *Patricios*] Patricii, nobiles Romani, qui a primis senatoribus oriundi erant. Tit. Liv. lib. I. ab urbe:

Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
  Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
  Explicat, et longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum,
  Indigena, et Picens, plebs et Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, et altæ
  Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.

amor efficit ut absque ullis dignitatis insignibus primates plebe misti procedant. Idem Christianorum numerus. Alba egreditur, et longis ducitur ordinibus. Æther resonat clamoribus variarum hinc et inde viarum. Indigenæ, Picentes, Tusci, sævi Samnites, Capuani, Nolani concurrunt: unusquisque sua cum conjuge, suisque

nes adorat; Pubes eunt; W.—194 *difundunt* Weitz. *desudant* Alt.—204 *dicitur*

NOTÆ

'Romulus centum creat senatores, qui patres ab honore, Patricii quoque progenies eorum appellati.'

201 *Phalanx*] Macedonibus fuit cuneus militaris, videlicet quando pes pedi, clypeo clypeus, vir viro in acie conserebantur. Ita Curtius. Unde sumitur pro illa armorum connexione, quæ efformata erat instar testudinis. Ex Vegetio phalanx habebat hominum octo millia. Quidam putant phalangem Macedonicam sexdecim millibus militum et trecentis octoginta quatuor constare.

Umbonibus æquis] Ut id intelligatur, notandum est apud Romanos viros principes aut familiæ suæ aut factorum suorum insignia prætulisse descripta in clypeis, tirones vero atque infimo loco natos habuisse scuta alba, non picta et nubigera, ut vocat Papinius: qualia Romanorum Velites semper tulisse legimus. Unde juxta Polyb. eligebantur e junioribus et pauperibus. Virg. utriusque nobis præbet exempla: Æn. enim VII. 790. sit Turnum suo clypeo Ius Inachi filiæ fabulam imposuisse, quia originem ab Inacho ducere gloriabatur. Et vs. 657. Aventinum Hercule satum gessisse hydræ debellatæ in angues innumeros pullulantis figuram. Contra IX. 548. Helenorem nudum clypeum gestasse canit, tum quia juvenis nihildum patraverat laude dignum, tum quia furtivo concubitu ex serva editus paternam originem jactare prohibebatur, habebaturque quasi servilis generis: 'Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.'

203 *Albanis portis*] Alba, urbs Latii excisa, antiquior Roma, ab Ascanio condita an. 32. post excidium Trojæ; distat ab urbe Roma 14. mill. pass. sic dicta a sue alba, quam ibi reperit Æneas. Eam Tullus Hostilius evertit.

206 *Picens*] Picentes, populi Italiæ, in ora maris Tyrrheni inter Campanos ad occasum, et Lucanos ad ortum, a quibus divisi Silaro fluvio.

Etrusca] Etrusci Italiæ antiquissimi populi, quorum regio Tuscia sive Etruria, a Liguria Macra fluvio, a Latio Tiberi, a Gallia Togata Apenninis montibus et mari Tyrrheno discreta. Nunc duas in partes divisa, quarum altera magno Etruriæ duci, altera summo Pontifici paret.

207 *Samnitis*] Populus Italiæ Pe-

Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus et cum
Pignoribus, rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Majestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus.
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum seriem jugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exsurgens editiore apice.

cum dulcibus liberis iter ingreditur; quare patentes campi tantam non capiunt hominum multitudinem; turbaque in tam latis viis plures remoratur. Unde, quanquam antri ostium vastum sit, facile intelligitur hunc locum tantæ hominum frequentiæ angustiorem esse. Verum aliud templum, cultu regifico nobile, muris excelsum sublimeque, augustum, donis opulentum, prope positum est, quia nimius concursus esset. Hujus fornicem sustinet columnarum geminus ordo, atque auratis trabibus effultus. Duæ humiliores alæ adjacent, quæ laterum seriem sinuant omni ex parte. Prior autem pars templi sese altius extollens medium laxat. Denique ad lævam



Eg. H.—208 *Bolanus* C. ex conj.—222 *extenuent* Vat. duo.—239 *tradita* A.

NOTÆ

lignis, Sabinis, Latinis, et Campanis conterminus. Ubi nunc ducatus Beneventanus et Capitanatæ provinciæ. Nomen ab hastis, quas ferebant, sortiti sunt. Hasta enim Græce *σαυνία*.

208 *Campanus Capuæ*] Capua urbs fuit Campaniæ, regionis urbibus clarissimæ in regno Neapolitano, adeo superba, ut Romæ præferri voluerit. Hic Hannibal, deliciis operam dans, effœminatus est. Nunc quæ extat hujus nominis, ab antiqua fere leucæ spatio distat.

Nolanus] Nola antiqua Romanorum colonia in Campania, ubi adhuc multa vetustatis monumenta visuntur: et ubi Augustus Cæsar extremum diem clausit. Abest a Neapoli 14. mil. pass. propior Acerris et Sarno. *Bolanus* Cauchio arridebat, quod in *Nolanus* producatur prior syllaba, at, modo Virgil. fidem adhibeamus, *Bolani* quoque prior producitur syllaba: 'Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.'

221 *Adduntur graciles tecto breviore recessus*] Hanc templorum formam structuramque per tot sæcula vetustas ad nostram usque ætatem transmisit.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, antistes prædicat unde Deum.
Plena laborantes ægre domus accipit undas,
Arctaque confertis æstuat in foribus.
Maternum pandens gremium quo condat alumnos,
Ac foveat fœtos accumulata sinus.
Si bene commemini colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat,
Prisco more diem, quem te quoque, sancte magister,
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.

surgit locus gradibus sublimis, ex quo episcopus concionatur apud populum. Hoc templum ita sæpe implent Christiani, ut vix supplicum turmas contineat, ut euntes redeuntesque perpetuo confertæ evomant januæ; maternum Christianis pandit gremium, ipsos complectitur, necnon accumulata fovet gravidos sinus. Quantum memini, Roma pulcherrima Hippolyti festum agit idibus Augusti, hoc enim nomine antiqui decimum tertium illius mensis appellarunt. Jube, o sancte episcope, illud festum in aliorum numerum ascribi. Mihi crede, ille martyr invocantibus, ob diem suum natalem, salubriter aderit, et, quod hunc diem celebrarint, ipsos donabit præ-

NOTÆ

225 *Gradibus tribunal*] Inde enim sedentes in cathedra tribunali concionari solebant. Quod ritualium quoque librorum auctores docent. Eundem etiam Græcis morem fuisse, et hodiernus eorum mos ostendit, et quod de Chrysostomo a Socrate, et aliis, ut peculiare proditum est, illum in ambonem conscendisse, ut a pluribus audiretur. Concionabantur ergo pro gradibus aræ intra cancellos, qui βῆμα, seu ἱερατεῖον, h. e. tribunal, sive sacrarium, dirimebant a capso, quod illi ναὸν appellabant. Hunc enim locum indicat Gregorius Theologus, cum de Constantinopolitanis concionibus suis loquens in oratione ad episcopos 150. cancellos ab auditorum sese impellentium turba vim passos scribit.

226 *Antistes*] Quia primis temporibus uni episcopi concionem habebant ad populum: ipsorum enim munus est docere Christianos, et superintendere eis quibus præsunt, ut, teste Augustino, nomen ipsum denotat. Unde Concilium Carth. iv. 36. canone quoque stabilivit, ut peregrini episcopi ad concionandum invitarentur ab ejus civitatis, ad quam venissent, episcopo.

227 *Undas*] Undam pro copia sumi dixi sup. De Cypriano, de Cheled, de Eulalia, sup.

232 *Idibus Augusti*] Idus dicuntur octo illi dies, qui in singulis mensibus Nonas, id est quintum, aut septimum diem mensis, sequuntur; a verbo iduare, quod est lingua Hetrusca dividere; quia idus menses in duas partes fere æquales dividunt. In hoc adhuc erravit poëta, siquidem idibus Aug. ecclesia festum agit Hippolyti militis, non vero episcopi Portuensis.

Inter solennes Cypriani, vel Chelidoni,
  Eulaliæque dies currat et iste tibi.
Sic te pro populo, cujus tibi credita vita est,
  Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
  Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me, gramineo remanentem denique campo,
  Sedulus ægrotam pastor ovem referas.
Sic cum lacteolis caulas compleveris agnis,
  Raptus et ipse sacro sis comes HIPPOLYTO.

miis. Feriam hanc igitur impera, ut Cypriani, Cheledonii, Eulaliæ ferias imperasti. Sic Christus omnipotens te audiat implorantem pro populo, quem tibi commisit. Sic Deus fuget dæmonem ex tuo ovili, atque impediat quominus vel unus quidem e tuis diœcesanis fidem ejuret. Sic tu pastor sedulus me ignavum Christianum, me rebus terrenis deditum cures. Sic cum ovile tuum ecclesiam scilicet piis Christianis compleveris, cælum ascendas, addasque te socium sancto Hippolyto.

NOTÆ

245 *Caulas*] Stabula seu septa ovium: Græcum nomen C. detracto: nam Græci *αὔλας* vocant animalium receptacula, Virg. 'Cum lupus fremit ad caulas.'

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Duo sunt in sequenti Hymno, a quibus nonnulli Patrum ac Scriptorum Ecclesiasticorum dissentiunt; annus videlicet et locus, quo Sanctissimi Apostolorum Principes passi sunt. Prudentio enim nostro unus idemque dies fuit, pleno tamen innovatus anno, qui eos Cœlo transmisit; ac unus idemque locus sacro eorum sanguine respersus. Verum S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, Epiphanius, Hieronymus, aliique non solum eadem die, sed etiam eodem anno Sanctos Apostolos occubuisse asserunt, quibus adjungi debet Concilium illud Romanum 70. Episcoporum quod a Gelasio coactum dicitur. Atque hæc sententia ita demum recentiorum plerisque probatur, ut tamen contrariæ suum inesse pondus minime diffiteantur. Norunt enim, præter Poëtam nostrum, tradi eam a S. Aug. Serm. 296. et 381. ab Aratore II. p. 700. a S. Gregorio Turonen. lib. De Glor. Martyr. c. 26. et ex Græcis a Nilo apud Photium Biblioth. c. 276. aliisque nonnullis.

Et hæc quidem de anno. De loco autem par ratio non est. Quantumvis enim speciosæ sint recentiorum conjecturæ, qui Sanctos Apostolos diversis in locis animadversos fuisse contendunt, conjecturæ tamen sunt, quibus nemo prudens rerum æstimator, testem antiquum sane, ac sinceritate et eruditione ubique commendatum præferendum esse non fateatur. Cum itaque Prudentius apertis verbis dicat vs. 9. eandem paludem, quæcumque illa fuerit, utrorumque Apostolorum sanguine imbutam fuisse, uno, eodemque loco Sanctos Apostolos Martyrium complevisse in dubium revocare non audemus: uti nec, certis deficientibus monumentis, quisnam fuerit locus ille, definire. Rem totam accurate discussam, ac summa eruditione pertractatam, vid. apud Illustriss. Præs. Stephanum Borgia in Opere, cui tit. Vaticana Confessio B. Petri, Romæ edit. an. 1776. p. 81. et seq. Quæ etiam hic adjungenda forent de die et anno, quo Sancti Apostoli passi sunt, deque eorum festivitate, cultu, basilicis, reliquiis, ac locis, et rebus omnibus ob eorundem memoriam nobilitatis, cum non sint ejusmodi, quæ paucis perstringi possint, omittimus: præsertim cum Baronius, Arringhius, Tillemontius, Bottarius, Fogginius, Dionysius, viri omnes doctissimi atque eruditissimi, de iis tam multa scripserint, ut ceteris otium faciant.

XII. PASSIO BEATORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Paucis Sanctorum Apostolorum martyrium narrat, tum loca, quibus eorum reliquiæ asservantur, indicat ac describit, eorumque diem festum frequentissimo populo ac splendidissimo cultu fuisse celebratum testatur, in quo Romanum Pontificem sacra vota duplicare consuevisse.

Plus solito coëunt ad gaudia: dic, amice, quid sit.
Romam per omnem cursitant, ovantque.

Dic amice: unde Christiani solito magis conveniunt ut lætentur? Plebe omnis

1 *quid sic R. p. o. c.* Heins. ex conj.—7 *labitur* Weitz. *qui flumine lambitur*

NOTÆ

1 *Coëunt ad gaudia*] Longe antequam Apostolorum Basilicæ erigerentur, eo ipso tempore, quo Petrus et Paulus glorioso martyrio coronati sunt, loca sepulcrorum magna veneratione sunt habita. Unde ad hanc diem solennem ex diversis orbis regionibus innumerabilis hominum mul-

Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
  Pauli atque Petri nobilis cruore.
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
  Vidit superba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, flumine quæ lambitur propinquo,
  Binis dicatum cespitem tropæis.
Et crucis, et gladii testis, quibus irrigans easdem
  Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
  Pendere jussum præminente ligno.

per vices Romæ cursitat, atque ovat. Redit scilicet festum anniversarium claræ mortis SS. Apostol. Petri et Pauli; qui quidem eodem mensis die, sed non eodem anno insigni martyrii palma donati fuere. Palus Tiberina, quæ evolvitur in Tiberim propinquum, vidit ripas suas fuisse decoratas morte utriusque. Ibi enim Petrus in crucem est actus, et Paulus percussus securi: quibus suppliciis bini rivi sanguinis irrigaverunt herbas hujusce ripæ. Primo Petrus jussu Neronis cruce afficien-

NOTÆ

titudo religionis ergo Romam confluere consuevit. Quod colligere est ex iis, quæ Galla Placidia Augusta scripsit ad Pulcheriam imperatricem, et ex epist. 13. Paulini ad Severum, et 16. ad Delphinum, ubi vult episcopos etiam hinc inde ad eandem olim advolasse solennitatem.

3 *Festus dies triumphi*] Tertio Kalendas Julii sub Nerone Imperatore Petrum, capite ad terram verso, cruci affixum fuisse, Paulum vero securi percussum quis nescit?

5 *Innovatus anno*] Hujusce opinionis, scilicet non uno eodemque anno, sed anni vertentis occursu contigisse mortem Apostolorum assertores fuerunt Prudentius, August. atque Arator: quibus omnes alii scriptores adversantur. Quia etiam, ut refert Baronius, id, de diverso martyrii tempore, a quibusdam hæreticis fuisse vulgatum testatur Concilium Romanum sub Damaso.

7 *Tiberina palus*] Aquæ scilicet Tiberis simul collectæ sinum veluti efformant; ubi paululum quiescunt; deinde lento cursu et tranquillo ad nativum fluvii alveum redeunt; unde paludem Tiberinam appellat Prudentius. Nisi mavis Poëtam per paludem Tiberinam ipsum Tiberim intelligere, mare autem Tuscum, sive Tyrrhenum, in quod evolvitur duobus ostiis, per flumen propinquum. Sane utrumque sumeretur sensu valde improprio, sed satis familiari Prudentio.

11 *Neronis*] Ut omittam, quæ de sævitia, crudelitate, libidinibus, et arrogantia illius Imperatoris dicta sunt, quæque nota omnibus, non dico literatis, sed ignaris atque imperitis, verba Suetonii referam: 'Morte ejus ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent, pars Terram matrem, Deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent; alii uncum, et gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate.'

Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
  Ambire tanti gloriam Magistri;
Exigit, ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
  Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen:
  Hoc mente major, quo minor figura.
Noverat ex humili cœlum citius solere adiri;
  Dejecit ora, spiritum daturus.
Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
  Diemque eundem sol reduxit ortus;
Evomit in jugulum PAULI Nero fervidum furorem,
  Jubet feriri gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum:
  Ad Christum eundum est, jam resolvor, inquit.

dus erat capite sursum posito. Sed is timens ne adeo pulcherrima morte occumbendo videretur ambire gloriam Christi sui magistri, exorat ut inverso corpore tollatur in crucem, atque ad infimum crucis palum alligetur caput. Tortores igitur clavis figunt manus deorsum, pedes vero sursum. At quo illius caput est demissius, eo altior est animus. Noverat sane viam humilitatis ducere tutius ad cœlum; itaque antequam moriatur, dejicit vultum. Ut autem rota flexi anni percucurrit iter rotundum mundi: ut sol anno jam elapso reduxit diem vigesimum nonum Junii, Nero evomit in Paulum omnem suam iram, et jubet gentium Apostolum capite truncari. Jam Paulus mortem imminere prædixerat his verbis: Tempus est legibus naturæ sa-

Heins. in not.—13 *æmulandæ* Eg. W. superscr.—14 *tangi* Eg. *tantam* H.—20 *Defecit* Ed. Amst. 1631.—21 *flexi retro* Weitz. T. Bodl. in marg.—32

NOTÆ

15 *Exigit*] 'Omnium Sanctorum Patrum sententia, ac præconio liquet, Petrum capite deorsum verso, et in sublime pedibus elevatis, cruci confixum esse, idque factum ex animi sui sententia, cum asereret se indignum, teste Hieronymo, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus; sive, ut ait Theodoretus, quod vereretur ne eadem cum Christo passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret.' Ita Baronius.

19 *Ex humili*] Alludit ad verba Christi cap. XVIII. Matth. 'Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.'

24 *Magistrum*] Paulus ipse cap. XI. ad Romanos sese Gentium doctorem profitetur: 'Vobis enim dico Gentibus: quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.'

26 *Jam resolvor*] An afflatu quodam divino Apostolus mortem suam, diem, tempusque prædixerit in carcere detentus; utrum vero poëta alludat ad hæc verba Pauli, 'cupio dissolvi, et esse cum Christo;' apud te sit judicium.

Nec mora: protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense,
Non hora vatem, non dies fefellit.
Dividit ossa duum Tibris, sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra PETRUM regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.

tisfacere, ac Christum adire. Vix Nero hanc sententiam tulerat, statim Paulus vi rapitur ad supplicium, capiteque plectitur, et die et hora quam notaverat. Tiberis, ex utraque parte sacer Apostolorum sanguine, illorum ossa distinguit, dum fluit inter sacrata utriusque sepulcra. Ad dexteram templum aureum positum est, in quo Petri cadaver afficitur sepultura. Hic locus consitus est oleis, ac rivo irriguus; nam ex ipso montis cacumine aqua prorumpens in perennem fontem desiit, et feracem oleis: qui fons nunc fluit per loca marmorata, et lubricat clivum, donec ad



olivo Weitz. Vat. duo vel tres.—34 *Fontem* P. Vat. omn. præter unum. *Frondem* Weitz. T. Torrent. duo, Heins.—35 *murmura* A. *clivo* Bodl.—36 *corym-*

NOTÆ

29 *Dividit*] Seu loquatur de locis ipsis, ubi palmam martyrii adepti sunt, seu de basilicis ipsis positis, non est dubium quin fluvius Tiberis ossa dividat. Petrus enim in sublimi Janiculi cacumine passus est; basilicaque Vaticana ad radices Vaticani condita: quorum montium appellationes ob vicinitatem promiscuas fuisse constat veterum scriptorum auctoritate: Paulus vero mortem obiit ad Aquas Salvias, extra portam Ostiensem, tertio ab Urbe lapide, ubi Christianorum carnificina est aliquando habita: via quoque Ostiensi basilica D. Paulo posita fuit.

31 *Tectis aureis*] Constantinus Imperator in erectione illius templi primus omnium ligone ad fundamenta jacienda terram fodit, erutamque cophinis asportavit, ut colligere est ex antiquis actis Sylvestri papæ. Quot quantaque fuerint hujus templi ornamenta lege Damasi libellum de munificentia Constantini conscriptum.

33 *Liquor ortus*] Memini quidem id legere de D. Paulo, nam non tam sanguinis fluenta e sectis venis, quam lactis largiter fluxerunt; atque è trino saltu capitis excisi tres erupe runt fonticuli dulcis aquæ; at de D. Petro nusquam. Nisi velis poëtam loqui de fonte Mamertino, de quo plura in Hymno Baptist. quod sane a re alienum mihi videtur.

34 *Chrismatis feracem*] Propter maximam olearum copiam, quarum ex succo et liquore fit chrisma.

36 *Colymbo*] Oleis nempe virentibus, quod nomen deducitur a verbo Græco κολυμβάω nato: nam olivæ quædam condititiæ, quia propter suam levitatem salsilagini innatant, dicuntur colymbades, urinatrices. De quibus hæc habet Plin. XIII. 3. 'Colym-

Interior tumuli pars est; ubi lapsibus sonoris
  Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
  Musci relucent, et virescit aurum:
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri,
  Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
  Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum PAULI via servat Ostiensis,
  Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est: princeps bonus has sacravit arces,
  Lusitque magnis ambitum talentis.

olivetum pervenerit. Ast prope interiorem partem sepulcri aquæ labuntur blando susurro, volvuntur per candidum alveum, tinguntur superne variis picturis hinc et inde positis, ita ut muscus arborum reluceat, aurum vero virescat. Aquæ cæruleæ trahunt colorem ostri desuper picti in camera; et laquear cameræ fluctuum motibus agitari videtur. Illic pastor ipse præbet has aquas salubres Christianis, quos novit quærere fontem vitæ, Christum scilicet. Parte alia, qua amnis alluit ripam sinistram, sepulcrum Pauli apparet in via Ostiensi. Ibi ingens templum est et augustum, quod pius imperator condidit, cujusque ædificii circuitum pinxit sumtibus

bo Eg.—38 *nivale* H.—39 *superba* C.—44 *Vidit* Eg.—48 *Clausitque* F.—49

NOTÆ

bades sordida ulcera purgant, inutiles difficultatibus urinæ.' Isidorus vero de Re Rustica XVII. 7. dum recenset varia olivarum genera, ait: 'Crustumia idem et volemis dicta; eo quod volam compleat magnitudine, hoc est mediam manum: unde et involare dicimus. Quidam autem volemum Gallica lingua bonum et magnum intelligunt: Colymbades appellatæ.'

40 *Musci relucent*] Muscus dicitur villosa illa lanugo in arboribus ac saxis proveniens, sive herba, quæ in parietibus vel corticibus arborum nascitur, vel hæret. De Ostro sup. Hymn. 10. vs. 910. not.

41 *Cyaneus*] Cœruleus scilicet, quod cyani gemmæ colorem referat: de qua gemma multa in fine Psychom.

45 *Via Ostiensis*] Via Romæ dicitur Ostiensis, quæ Ostiam versus ducit in ostiis Tiberinis sitam, atque ab Anco Martio conditam: ita etiam porta Ostiensis, quæ nunc sancti Pauli porta appellatur. De titulo sup.

47 *Princeps bonus*] An de Constantino, an de Valentiniano, an de Honorio loquatur, non ita facile dignoscitur. 'Constantinus quidem erexit basilicam S. Paul. via Ostiensi; sed cum ob loci angustiam, inter Tiberim amnem et ipsam viam positi, non in eam amplitudinem, ut par erat, excitata videretur, Valentinianus junior Imperator de alia ibidem cum viæ Ostiensis detrimento amplioribus spatiis excitanda basilica scripsit ad Sallustium Urbis præfectum, anno 386. Honorio, et Evodio Consulibus. Eam tunc cœptam postea Honorius Imperator absolvit.' Baron. in annota-

Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
  Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas,
  Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus :
  Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo Patre conferente dotes,
  Urbi colendas quas dedit togatæ.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
  Lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
  Et his et illis perfruamur hymnis.

infinitis. Undique laminæ auri applicantur trabibus: cujus fulgor imitatur lumen ipsius solis orientis. Columnæ vero marmoreæ, consurgentes ordine quadruplici, fulciunt cameram auratam. Denique omnes arcus curvati obducuntur vitreis cancellis pictis varie: non aliter prata rubent floribus vernis. Deus contulit Christianis duo ornamenta fidei, ac dedit colendos civibus Romanis. Aspice, Romani ingrediuntur viam duplicem; una enim eademque die agitur festum utriusque. Nos acceleremus gradum, et petamus duo templa, ut dicamus laudes Sanctorum hic et



supplevit W.—53 *camyros* A. W. *cameros* H. *recurvat arcus* C.—60 *prefruamur* Eg.

NOTÆ

tion. Martyrol. Romani. Poëtæ autem modo credamus, ingens, altum, laqueatum auro, sublime erat templum illud: quæ omnia Valentinianum spectant aut Honorium potius quam Constantinum.

48 *Lusitque ambitum*] Usitatum hac significatione verbum Prudentio. Mox Hymn. 11. 'Luserat et minio russeolam saniem,' h. e. pinxerat. Quare non audiendi sunt, qui legunt, *clausitque magnis ambitum talentis*.

51 *Parias*] Marmoreas scilicet columnas, sed candidas. Parius enim lapis marmor est candidum e Paro insula, in mari Ægæo, et sculpturis aptissimum. Isidorus: 'Parius candoris eximii ligdinus cognomento.'

53 *Camuros*] Camurus a Græco καμπύλος curvus, rejecto π, et λ verso in ρ. Quidam a camera dici putant; et idem sensisse videtur Erythræus, cum dubitat an camerus, vel camurus sit scribendum apud Virgil. in Georg. 'Camuris hirtæ sub cornibus aures.'

Hyalo] Vitro: ὕαλος enim Græce, seu ὕελος vitrum, seu crystallum significat, ab ὕω pluo, siquidem vitrum pluviæ conglaciatæ non est absimile; vel ut quidam volunt, ab ἕλη splendor. Virg. Georg. IV. 'Carpebant hyali saturo fucata colore.'

Cucurrit arcus] Currere cum quarto casu eleganter jungitur, et Prudentiano more. S. Damasus de S. Agatha martyre: 'Lætior inde, magisque flagrans cuncta flagella cucurrit ovans,' Tertullian. adv. Marcion. lib. II. 'Denique si celeri primordia mente recurras, Invenies funesta nimis.'

Ibimus ulterius qua fert via pontis Hadriani
  Lævam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
  Mox huc recurrit, duplicatque vota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tu domum reversus,
  Diem bifestum sic colas, memento.

illic. Primo ibimus ultra pontem Hadriani; deinde progrediemur ad ripam lævam fluminis. Siquidem Pontifex Romanus facit sacrum prius trans Tiberim in templo Petri; postea accurrit ad templum Pauli, atque iterum ibi facit sacrum. Tibi sat est didicisse hæc Romæ: tu vero reversus domum, ne obliviscaris celebrare diem hunc dicatum et Petro et Paulo.

NOTÆ

61 *Pontis Hadriani*] Pons ille olim dictus pons Ælius, nunc 'Ponte di S. Angelo,' Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum transitur. Dion. 'Sepultus est Hadrianus in ripa fluvii, juxta pontem Ælium. Illic enim sepulcrum conditum. Jam Augusti monumentum erat repletum.'

64 *Duplicatque vota*] Romanus Pontifex primis illis sæculis una eademque die Pontificias functiones in utraque basilica exercebat. Cum hoc autem propter nimiam locorum inter se distantiam non sine nimio ac intolerabili fere labore perfici posse videretur, consultius visum fuit hanc mutare consuetudinem. Sanctus Gregorius Papa primus diversis diebus hæc festa celebravit. Unde fit commemoratio Sancti Pauli pridie Kalend. Julii. Consule Baron. Martyr. Rom.

65 *Domum reversus*] Jam sup. monui multis ex locis colligi posse Prudentium Romæ per aliquod tempus vixisse.

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Quod S. Gregorio Nazianzeno, Metaphrasti, aliisque Scriptoribus Græcis evenisse notat Baronius ad Martyrol. die 14. Septembr. ut scilicet alterum Cyprianum Magum Antiochenum, qui passus est cum Justina Virgine, cum hoc nostro Cypriano confunderent, id et Prudentio contigit; unde ea omnia, quæ a vs. 21. de hoc Martyre dicit, antequam in Christo renasceretur, de altero illo Cypriano intelligenda sunt. Nihil enim hujusmodi de S. Cypriano Carthaginiensi Episcopo et Martyre celeberrimo memorant vel ejus Acta, quæ sincera habemus, vel Pontius Diaconus, qui S. Præsulis vitam ac mortem scripto nobis reliquit. Vix alium e Martyrum numero ab antiquis Patribus tantopere commendatum invenies, quam Cy-

prianum, a S. Augustino præsertim, qui quinque de ipso habuit sermones omni laudum genere refertissimos; ac lib. II. De Doctr. Cr. c. 40. ‘Doctorem suavissimum et Martyrem beatissimum’ appellat; quæ verba Cassiodorus adoptavit in lib. Divinar. Lection. c. 28. Et sane haud ita facile est reperire, qui non solum ob vitæ sanctitatem illustri martyrio confirmatam, sed etiam ob transmissa posteris egregia ingenii sui monumenta Ecclesiæ Dei tam utilis fuerit, aut eidem carior, acceptiorque esse debeat. Ex ejus enim scriptis, tanquam ex armamentario optime instructo, depromere etiam nunc pergit Ecclesia, quæ ad sui suorumque dogmatum præsidium ac conservationem ducunt plurimum. Quod per singula decurrens ostendit cl. Ruinartius in Actis sinc. p. 173. ad quem, ne longe nimis evagemur, lectorem remittimus. Tam ex Pontio supra memorato, quam ex Actis, ac etiam ex Prudentio certo colligitur hujus Beatissimi Martyris mortem an. 258. prope Carthaginem contigisse, Valeriano et Gallieno Imperatoribus, die XIV. kal. Octobr. in qua die Cypriani memoriæ assignanda omnia concordant Martyrologia. Quam cito celeriterque Cypriani pro Christo functi fama orbem pervaserit, quot sub ejus nomine Basilicæ ædificatæ fuerint, quam ejus reliquiæ sortem expertæ, aliaque hujusmodi præter Ruinart. sup. citat. vid. S. Martyris Vitam novissimæ ejus operum Editioni Balutianæ præmissam, ac cl. Tillemontium Monument. Tom. IV.

XIII. PASSIO B. CYPRIANI MARTYRIS EPISCOPI CARTHAGINIENSIS.

Commendat initio clarissimam Martyris doctrinam, ob quam memoria ejus nunquam intercidet; tum eum Episcopalis muneris partes egregie obeuntem repræsentat, ac Martyrio obiter narrato ad Scriptorum ejus laudem denuo redit.

PUNICA terra tulit, quo splendeat omne quicquid usquam est,

Africa tulit sanctum, quo totus orbis splendeat, nempe Cyprianum, qui inde qui-

NOTÆ

1 *Punica*] Idem valens quod Carthaginiensis, quasi Pœnica, a Pœnis, et Phœnicibus derivatum nomen detracta aspiratione. Sumserunt enim originem Carthaginienses a Tyriis Phœnices populis.

Inde domo CYPRIANUM, sed decus orbis et magistrum.
Est proprius patriæ martyr, sed amore et ore noster.
Incubat in Libya sanguis; sed ubique lingua pollet:
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet, et vigere mundum,

dem traxit ortum: sed est ornamentum et doctor totius terræ. Is martyrium passus est Carthagini; sed colimus illum, et invocamus æque ac unum ex martyribus Hispaniæ. Ipsius corpus jacet in Africa, sed ipsius facundia est nota omnibus hominibus: ea una de corpore superstes, una morti non est obnoxia. Dum Deus sinet esse humanum genus, et mundum existere; dum libri, et volumina de rebus

5 *Illa s.* Eg. P. H. W. superscr.—6 *sinit* W. *mundo* C.—11 *actus imbuit*

NOTÆ

2 *Cyprianum*] Duo extitere Cypriani illustres tum doctrina, tum pietate. Is episcopus Carthaginiensis, alter Diaconus. Multi, præcipue sanctus Gregorius Nazian. Metaphrastes, et Græci in hoc errarunt, quod, licet patria, gradu, genere, tempore, actis, et loco martyrii sint dissimiles, utrumque confundant. Nam Cyprianus Diaconus, patria Antiochenus, ex mago Christianus, inde Diaconus, et una cum Justina sub Eutholmio præside, temporibus Diocletiani, in Sartagine positus Nicomediæ martyrium consummavit. Cyprianus vero episcopus Carthaginiensis, de quo hic agitur, antequam et ad Christianam religionem, et ad episcopatum vocaretur, Rhetoricam maxima laude Carthagine publice docuit: porro fuit genere illustris, potentia clarus, suæque civitatis senator primarius, atque disciplinis philosophicis insigniter ornatus. Sub Valeriano et Gallieno principibus, post durum exilium, capite plexus est 18. Kalend. Octob. sexto milliario a Carthagine juxta mare. Unde Prudentium in eundem errorem incidisse colliges, magnumque hunc episcopum fuisse male asserere.

Domo] Alludit ad hunc locum Virg. Æn. VIII. 'Qui genus? Unde domo? Pacemne huc fertis, an arma?' Quæ loquendi formula omnibus poëtis valde familiaris est. Hor. Epist. I. 7. 'Quære, et refer, unde domo? Quis?' Sil. lib. X. 'Ingentia bella Clusina venere domo.' Sidon. Epist. I. 11. 'Ceterum si requisisses, qui genus? Unde domo?'

4 *Incubat*] Ætate Prudentii ossa quidem jacebant in Africa: sed tandem, ut scribit Ado Archiepiscopus Vienn. 'Legati Caroli Francorum regis revertentes a rege Persarum Aaron, quod Carthago diruta esset, et loca venerabilia sanctorum Martyrum, rogarunt, ut ossa B. Cypriani eis ferenda permitteret. Qui rex continuo postulata concessit. Apud Arelaten servata fuere, usque ad Carolum Regem Ludovici Imperat. filium, qui jussit hasce reliquias transferri ad monasterium novum, quod augusto opere posuerat in compendio palatio suo.'

Libya] Africæ pars, a Libya Epaphi filia sic dicta, quæ mari Mediterraneo, Ægypto, Tripolitana regione, et Æthiopia circumcluditur; nunc regnum et desertum 'Barca.' Vulgo apud veteres pro tota Africa sumitur.

Dum liber ullus erit; dum scrinia sacra literarum;
Te leget omnis amans Christum: tua, CYPRIANE, discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloquii te cœlitus actus irrigavit.
O nive candidius linguæ genus! o novum saporem!
Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fovet, et pererrat artus,
Sic Deus interius sentitur, et inditur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, Pater, revela.
Deerat Apostolicis scriptis opulentus executor:
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo mage cruda hominum præcordia perpolita nossent
Sive timoris opus, seu mystica vel profunda Christi;
Unus erat juvenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,

piis extabunt, quisquis amabit Christum, leget tua scripta, o Cypriane; discet tua opera. Nam Spiritus Sanctus, quo Prophetæ fuere afflati, lapsus de cælo tibi infudit divinam facundiam. O lingua candidior nive, o novum eloquium! Spiritus Sanctus interius sentitur, et labitur in totas medullas eodem modo, quo ambrosia mitigat cor, imbuit palatum, penetrat animam, fovet mentem, currit per artus. Dic, o Deus optime, unde contuleris hominibus tam subitum beneficium. Deerat scilicet aliquis, qui redigeret ad praxim evangelium; itaque elegisti Cyprianum virum eloquentem, qui doceret cunctos homines; quique pulchre callens epistolas Divi Pauli posset disputare cum impiis, ut ingenià hominum plane rudia patrarent exculta ipsius sermonibus aut opus salutis, aut cognoscerent mysteria et arcana nostræ religionis. Is quidem in omnibus pravis artibus erat exercitatissimus juvenum; sæpe virginibus pudicitiam fraude eripuerat; nullum esse Deum credebat; quinetiam in

••••••••••••

Weitz.—12 *O liquor* T. Alt.—16 *opulenter* W. superscr.—29 *severum* Weitz.

NOTÆ

10 *Irrigavit*] Cypriani eloquentiam tam Latini, quam Græci Patres, et inter eos disertissimi, Lactantius et Gregorius Nazianzenus, mirum in modum extulerunt. Gelasius tamen Papa ejusdem opuscula reposuit inter apocrypha, nempe intelligens editos ab eo de rebaptizatione hæreticorum tractatus. Reliqua namque opera sunt ejusmodi, ut ea cum Latini, tum Græci fuerint inoffenso pede magna admiratione sectati.

21 *Unus*] Jam satis ostendi Cyprianum episcopum Carthaginiensem nunquam magicis artibus valuisse, sed alterum Cyprianum.

23 *Per sepulcra*] Inter alia incantationum genera, evocare Manes e tumulis et umbras, vetus est et usitatum ab omnibus magis. Qui plura cupit scire de his incantamentis, adeat Lucanum, qui libro sexto indu-

Quo geniale tori jus solveret, æstuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Christus,
Discutit et tenebras de pectore, pellit et furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Jamque figura alia est, quam quæ fuit, oris et nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in severam:
Deflua cæsaries compescitur ad breves capillos.
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Vivere justitiam Christi, penetrare dogma nostrum.

sepulcris magico carmine mulieribus, quæ deinde fefellerunt jura legitimi tori, semel atque iterum sui amorem excitaverat, multorumque torum contemeraverat. Sed, o bone Jesu, non solum tua gratia cohibuit luxuriam Cypriani, discussit caliginem mentis, et sedavit furorem, verum etiam effecit ut te dilexerit unice, te confessus fuerit, ut fuerit detestatus sua crimina. Hinc uno puncto temporis prima figura oris et nitoris mutata est in alteram. Vultus deposuit cutem mollem, atque induit asperam. Non aluit amplius capillos promissos, sed resecuit illos. Hinc habuit pios sermones, quæsivit cælum, observavit decalogum, expressit moribus le-

severa Bodl.—32 *Vivere justitiæ Christi* Weitz. *justitia* H. Bodl. Alt. Ro. C. A. Torrent. tres. *Justitiam bibere Christi* G. *Bibere justitiam Christi* T. *Ubere justitiam bibere Christi* Eg. *Justitiam imbibere Christi* Heins. in not. *nostro-*

NOTÆ

cit Sextum umbras consulentem: 'Aspicit astantem projecti corporis umbram, Exanimes artus, invisaque claustra timentem Carceris antiqui.'

30 *Deflua cæsaries*] Observare licet in his verbis veterem cultum cleri Gallicani, ac totius ecclesiæ occidentalis: ubi comam fluentem statim ponebant, qui se militiæ sacræ accinxerant. Et manent hujus moris vestigia in sacro ritu, quo fiunt clerici. Nam Episcopus quos cooptat, iis capillorum cinnos hinc inde delibat: quæ prima tonsura nominatur, et tonsi olim ejus gradus clerici. Olim enim revera tondebantur, nec postea integrum erat comam alere. Inde Concilii Carthaginiensis IV. Canon 44. 'Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat:' vel ut alii vet. lib. legunt, *tondeat*. Barbam igitur alebant, ut hodie Græci, et Latini non pauci. Ut prorsus non capiam, quod scribit Gregorius VII. ad judicem Caralitanum Epist. IX. 10. 'Totius Occidentalis ecclesiæ clerum ab ipsis ecclesiæ Christi primordiis barbam radendi morem tenuisse.' Latini tamen postea barbam plerique rasitarunt. Idque discrimen Græci Latinique cleri. Quod religioni nostræ nihil officere accurate disserit synodus Lemovicina: in cujus actis diei secundæ recitantur Canones synodi Bituricensis, quorum septimus clericos omnes tonsuram ecclesiasticam habere jubet, hoc est barbam rasam, et coronam in capite. Adeo variæ hac etiam in parte vices temporum fuerunt.

32 *Vivere justitiam*] H. e. legem divinam vita moribusque exprimere. Non vero *vivere justitiæ*, aut *justitia*, ut multi legunt. Ita enim Cathem. II. 33. 'vivere severum:' et 'vivere Bacchanalia' apud Satyricum: 'Qui

His igitur meritis dignissimus usque episcopale
Provehitur solium doctor, capit et sedile summum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus;
Constituere simul pœnam capitis Deum fatenti.
Millia terrigenum spurcissima jusserant sacrari.
Contra animos populi doctor CYPRIANUS incitabat.
Ne quis ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret:
Esse levem cruciatum, si modo conferas futura,

gem divinam, studuit dogmatibus fidei. Quibus virtutibus instructus electus est episcopus, et locatus in hoc altissimo gradu dignitatis ecclesiasticæ. Tum Valerianus Gallienusque tenebant summam imperii. Ambo addixerant morti omnes Christianos, nisi ii immolarent idolis, ut jusserant, quamplurima animalia terrena et lutulenta. Eruditus autem Cyprianus addidit animos populo, ne quis perderet veram virtutem egregiamque; ne quis degener terreretur aspectu mortis, quæ est pretium fidei. Dolores sunt leves, aiebat, quos unusquisque hic patitur, modo illos



rum B.—36 *capiti* Weitz. *Dominum* F.—41 *conferat* Weitz.—45 *quietem* W.

NOTÆ

Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.'

33 *Episcopale*] Jam porro senescentem Christo nomen dedisse sui ipsius testimonio constat: ac paulo post baptismum, adhuc neophytum et novellum, ad sedis episcopalis fastigium esse provectum, Pontius testatur. Vix autem adeptus est amplissimum illius dignitatis gradum, divitias in pauperes erogavit, carissimam conjugem, et dulces liberos Cæcilio presbytero, cujus nomen sumsit, quod ad fidem ab eo conversus fuerat, commendavit.

35 *Valerianus*] Tertio post mense Æmiliano sublato, rerum potitus est Valerianus cum Gallieno filio, quocum annum septimum libavit imperii, ac multis per id tempus barbarorum incursionibus res Romana lacerata est. Tyranni quoque complures variis in locis exorti, qui triginta numero percensentur a Trebel. Pollione. Cum igitur adversus Scythas, a quibus capta Chalcedon, Nicæa succensa, Ephesiæ Dianæ templum crematum fuerat, Valerianus ivisset; indeque contra Saporem Orientali limiti infestum esset progressus; ab eo captus, et vilis more mancipii habitus est, ut quoties equum conscenderet, incurvato eo pedem cervicibus ejus imponeret. Demum illum cute nudari, ac saliri jussit, ut testatur Eusebius.

Gallienus] Gallienus vero, a Martiano et Cecropio ducibus contra Aureolum tyrannum excitus, ad Mediolanum occiditur cum fratre Valeriano. Imperavit annos cum patre septem circiter, solus octo: nempe ab anno Christi 254. usque ad annum Christi 268.

41 *Esse levem cruciatum*] Alludit ad locum Epist. ad Roman. VIII. 18.

Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis et diem perennem,
Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim.
Nil grave, quod peragi finis facit, et quiete donat.
Se fore principium pulchræ necis, et ducem cruoris,
Seque gladio caput summittere, sanguinem dicare:
Qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur.
His ubi corda virum Christo calefacta præparavit,
Ducitur ante alios, Proconsule perfurente, vinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis, altius reposta,
Conscia Tartareæ caliginis, abdicata soli:
Clausus in his specubus sanctus CYPRIANUS, et catena
Nexus utraque manu, nomen Patris invocat supremi:
Omnipotens genitor Christi Deus, et creator orbis,
Christe parens hominis, quem diligis et vetas perire:

comparemus cum perenni beatitudine, quam Deus promisit piis viris. Est dulce emere fluxis cruciatibus tum beatitatem, tum vitam sempiternam. Nam hæc omnia supplicia fluunt, ac evolant cito; nihilque videtur grave, statim atque reperimus finem laborum, et spes quietis affulget. Mihi credite: tyranni meme primum cruciabunt; me præficient vobis ducem martyrii. Libenter summittam caput gladio, ac effundam pro Christo meum sanguinem. Qui ergo velint prospicere saluti suæ animæ, ii sese addant mihi comites. Vix inflammarat his dictis animum plebis, et præparaverat ad mortem obeundam, Proconsule furente, ducitur vinctus ante alios. Est Tyriæ Carthagini antrum altum, cæcum æque ac ipsi Inferi, nunquam admittens solem. Sanctus Cyprianus conjicitur in illud: qui ibi asservatus, et habens manus nexas, invocat Deum. O Pater æterne, inquit, genitor Christi, et Creator mundi: O Christe, parens hominum, quos amas, et liberasti; jam ego, cui cooperto

B.—46 *furoris* W. superscr.—49 *Is* P.—51 *abditis reposta* Weitz.—54 *utramque manum* Weitz. *superni* Ro.—55 *Christus Deus* B. Weitz. *Christe Deus* W.

NOTÆ

50 *Proconsule*] Baronius tunc Paternum Proconsulem fuisse in Africa probat tum ex Pontii diaconi exilii comitis testimonio, tum etiam ex Actis ipsis a Notariis diligenter exceptis. Ado vero scribit Galerium Maximum Proconsulem jussu Aspasii Paterni Consulis primo amandasse S. Cyprianum in civitatem Cordubitanam; deinde capite mulctasse in agro Sexti, ubi Proconsul pro reparanda sanitate degebat.

51 *Antra*] Aut de vico Saturni, ubi collectus ab astatore officli Cyprianus secesserat in hospitium illius, aut de agro Sexti illud esse intelligendum certum est. De Tartar. in Psych. de Ergastul. jam sup.

56 *Vetas perire*] Vult enim Deus, teste Apostolo, omnes homines salvos fieri.

Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum, miseratus abluisti,
Jamque tuus fieri mandas, fio Cyprianus alter.
Et novus ex veteri, nec jam reus aut nocens, ut ante.
Si luteum facili charismate pectus expiasti;
Vise libens tenebris ergastula cæca dissipatis:
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam: liceat fuso tibi sanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia judicem, tyranni
Neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam,
Ne cadat impatiens pœnæ, titubetve quis tuorum:
Incolumem ut numerum reddam tibi, debitumque solvam.
Vocibus his Dominum permoverat: influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum;
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, et fidem tueri.

peccatis, contaminato omni scelere tu bonus ductusque misericordia pepercisti; ego, cui imperasti te sequi, mutatus sum in alium hominem, exui veterem, indui novum, nec amplius reus sum et nocens, ut olim, modo meme expiaveris tua gratia. Tenebris igitur dissipatis non judica alienum a te invisere hunc carcerem cæcum: eripe meam animam de compagibus corporis, ac vinculis mundi: da mori pro te. Timeo enim ne crudelitas judicis convertatur in mansuetudinem, ipsiusque ira mitescat, atque excludar palma martyrii. Denique noli sinere ut aliquis e diœcesanis, quos mihi credideras, sit ignavus, aut impatiens doloris titubet, aut ejuret suam fidem; quippe quod opto tibi solvere debitum, necnon retinere in fide omnem hunc populum. Deus audiit preces justas Cypriani; ac Spiritus Sanctus influxit in Carthaginienses, ipsis ministrans animum invictum, constantiam, contemtum suppliciorum, cupiditatem gloriæ æternæ, amorem in Christum, permansionem perpetuam in fide, denique acrius ingenium: quibus omnibus stimulis derepente fuerunt incensi ad egregium de-

sed *Christi decus* superscr. quod in aliis.—61 *corpus* W. superscr. P. Bodl. Ro. Torrent. tres.—68 *Neu* Bodl. Ro. Torrent. tres. *titubetne* Eg. P. B. *titu-*

NOTÆ

70 *Influebat*] 'Adeo namque incaluerunt corda Fidelium Cypriani martyrio, ut omnes optarent cum illo mori, idque magnis clamoribus expeterent.' Baron. ann. 261. Idem iisdem fere verbis testatur Ado Archiep. Vienn. 'Et cum duceretur, populus fratrum plangens dicebat: Et nos cum eo decollemur.'

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam:
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet,
Urere tacta potens, et mortifer ex odore flatus.
Appositam memorant aram fovea stetisse summa,
Lege sub hac, salis aut micam, jecur et suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes,
Candida Massa dehinc dici meruit per omne sæclum.

cus martyrii emendum vita ipsa. Fama est fuisse in medio campi fornacem calcariam factam arte, cujus margines erant alti valde. Ibi lapides recocti jactabant flammas, coctus pulvis ardescebat; qui appropinquabant, torrebantur, halitus noxius et mortiferus exibat. Ara fuit posita prope hanc fossam profundam: cui tyrannus jussit imponere micam salis, et jecur porci, aut sponte sese abjicere in foveam. Trecenti inter illos cursu rapido immiserunt corpus in eam; quod calx ardens corrupit brevi, sic ut hæc tota multitudo martyrum fuerit demersa in profundo. Cineres illorum eluxerunt candore splendidissimo: animæ quoque ornatæ candore notabili ascenderunt in cælum; quare iste locus per omne tempus est dictus massa candida.

belque ne quis A. H.—73 *At* Eg. H.—80 *stitisse* Eg.—81 *aut suis* F. Eg.—

NOTÆ

81 *Lege sub hac*] Consule Adonem, aut Tabulas Ecclesiasticas, quæ ad verbum referunt tum Cypriani, tum Proconsulis dicta.

Salis micam] Hic, multisque aliis in locis, diversa denotat sacrificiorum genera, nempe salsas placentas offerre, incendere thus, aras ponere, victimas mactare. 'Ridiculosque Deos venerans sale, cespite, thure:' in Apotheos.

83 *Trecenti*] 'Nono kalendas Septemb. apud Carthaginem natalis Sanctorum Martyrum Massæ candidæ, qui passi sunt tempore Valeriani et Gallieni. Ferunt enim, inter alia supplicia, tunc a Præside clibanum calcis accensum, et in ora illius prunas cum thure exhibitas, et dixisse Præsidem Christianis: Eligite e duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati se ictu rapidissimo, Christum Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem, et inter vapores calcis pulverei sunt demersi.' *Ado.*

87 *Candida Massa*] 'Quod cum sese in fornacem calcariam, ipsis præparatam nisi Jovi thus incenderent, impellente divino Spiritu conjecissent, ex cineribus eorum calci permixtis una candida massa conflata fuerit.' Baron. Ann. 261. Agunt de iisdem Beda et Usuardus. Describitur nobile ipsorum martyrium a Pontio Diacono in Actis S. Cypriani. Uticæ autem præcipue agebatur horum solennitas, atque ea de causa S.

Lætior interea jam Thascius ob diem suorum
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Edere jussus erat, quid viveret: Unicultor, inquit,
Servo salutiferi mysteria consecrata Christi.
Ille sub hæc: Satis est jam criminis, ipse confitetur
Thascius; ipse Jovis fulmen negat: expedite ferrum
Carnifices: gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, et canit triumphans.
Flevit abire Christum mœsta Africa: quo docente facta est
Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur:
Mox tumulum lacrymans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum: tenet ille regna Cœli,

Interea Cyprianus lætior, quod sui diæcesani fuissent nati in cœlo, sistitur eminus Proconsuli furioso. A quo interrogatus, quisnam esset, quos Deos coleret, respondit, Christianus, adoro unum Deum, ac perago sacra mandata Christi nostri servatoris. Tum Proconsul: Jam satis est criminis; ipse Cyprianus fatetur se esse Christianum: ipse negat Jovem esse Deum. Eripite ergo, o carnifices, ensem vagina, ut hostis capitalis nostrorum Deorum luat ferro pœnam. Sanctus episcopus reddidit Deo debitas gratias, et cecinit exultans gaudio. At omnis plebs mæsta flevit de morte tanti viri, qui ipsam formarat ad pietatem, quique ipsam docuerat Verbum Dei sua singulari facundia. Mox lacrymans struxit sepulcrum, ibique condidit corpus tanquam sacras reliquias. Desine, o Africa, deplorare interitum sancti Cy-



86 *ardos vetat superna* Eg. *vehat* H.—88 *ob fidem* C.—90 *Edere jussus erat, quid viveret: Unicultor inquit* Weitz. Vat. duo, Eg. P. Heins. *Dogmatis atque loci jussus genus; Christianus inquit* F. G. W. B. Vat. duo. *jussus genus edere Christianus inquit* H. Alt. *Dogmatis atque loci jussus genus edere, Cyprianus inquit* A. *jussus genus edere Cyprianus* omisso *inquit* Bodl. Torrent. tres. *Tradere jussus erat quid viveret. Unicultor, inquit, Trado salutiferi* T.—91 *Trado* Vulg.—94 *Carnificis* F. Eg. B.—96 *obire* Weitz.—97 *dogma* Weitz. W. sed in W. *docte* superscr.—99 *boni tantum* Heins. in not.

NOTÆ

Augustinus serm. 115. Massam candidam Uticensem dictam esse refert. Idem S. Aug. in tractat. in Psalm. XLIX. 'Audite martyrum numerositatem, sola in proximo, quæ dicitur Massa candida.'

88 *Thascius*] Prænomen istud reperire est in Actis passionis ejus, et apud Paulum Diaconum. Ipseque Cyprianus Epist. 69. illo usus est: 'Cyprianus qui et Thascius Florentio, cui et Pupiano fratri salutem.' An vero sit Tatius, an Thascius, dubium est.

Diem] Nemo, nisi fallor, adeo rudis est rerum ecclesiasticarum, ut ignoret obitus diem dici martyrum natalem diem, quod tali die in cœlo nascantur. Cauchius *ob fidem*: sed nihil muta. Tale istud: 'Hic meus est, dixere, dies.'

96 *Africa*] Mundi quarta pars, maribus undequaque alluitur tribus, Mediterraneo ad Septemtrionem, Oceano ad Occidentem et Meridiem, Erythræo ad Orientem.

Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe:
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyæ populos tantum regit: exit usque in ortum
Solis et usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis.
Denique doctor humi est, idem quoque Martyr in supernis,
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

priani. Is enim, licet teneat cælum, tamen involitat mundo, neque deserit homines. Disserit adhuc, eloquitur, tractat liberaliter, docet, instruit, prædicit futura: non unos regit populos Libyæ, sed commeat ab ortu ad occasum solis: fovet Gallos, edocet Anglos, præsidet Italis, erudit Hispanos in fide Christiana; denique et doctor est apud nos, et martyr in cælo. Hic instruit homines; illic præstans munus deprecatoris nobis impetrat multa a Deo.

NOTÆ

104 *Hesperiæ*] Italiæ scilicet: quod nomen ipsi cum Hispania commune fuit, vel ab Hespero, qui primo obtinuit Hispaniam, indeque pulsus venit in Italiam; vel ab Hespero Veneris stella; Græci enim ex iis regionibus, quas habent ad Occasum, Italiam appellaverunt Hesperiam magnam, Hispaniam vero minorem Hesperiam.

Iberis] Hispanis; sive id nominis habuerint ab Ibero hujus oræ nobili flumine, sive ab Iberis Asiæ populis, unde commigrasse dicuntur.

106 *Dat patronus*] Quid? an Novatores atque Hæretici jam contendent primis illis temporibus ecclesiæ Christianos ea fuisse opinione Beatos nostras preces nec audire, nec plurimum posse apud Deum, ideoque non esse invocandos?

ADMONITIO IN HYMNUM SEQUENTEM.

Sanctæ Agnetis Virginis et Martyris memoria illustris admodum fuit semper in Ecclesia. Eam S. Martinus apud Sulpic. Sev. Dial. II. S. Maximus Episcopus Taurinen. Serm. de ead. Tom. III. Biblioth. PP. S. Ambrosius lib. I. De Virginib. c. 2. S. Augustinus Serm. 273. 354. Damasus Papa, aliique Ecclesiæ Patres, atque Scriptores passim celebrarunt; ita ut, teste Hieronymo in Epist. ad Demetriad. 'Omnium gentium literis atque linguis in Ecclesiis Agnetis vita laudata fuerit.' Ejus memoriam recolunt tam vetera, quam recentiora Latinorum Martyrologia diebus 21. et 28. Januarii; Græci autem in Menæis diebus 14. et 21. ejusdem

mensis, et iterum die 5. Julii. Quem ritum duplici die celebrandi S. Agnetis natale, veterem esse Romæ, ostendit Ruinart. in Act. sinc. p. 403. ubi etiam contra Bolland. contendit martyrium ejus contigisse an. Christi circiter 304. quod et visum fuit perillustri D. Evodio Assemano Tom. II. Act. SS. MM. Occident. p. 157. Sed de duplici hac S. hujus Virg. et Mart. festivitate plura habet eruditus Eques Franciscus Victorius Dissert. Philolog. Romæ edita an. 1751. quam adiisse neminem pœnitebit. Celeberrima a primis Ecclesiæ temporibus sub ipsius nomine Basilica cum Monasterio sibi adjuncto Romæ extabat, quæ nunc extra muros, via Nomentana, in qua S. Gregor. Mart. Hom. XI. et XII. in Matth. ad Popul. habuit in ejusdem S. Martyris die natali. De hac Basilica inter ceteros vid. Mabillon. in Itin. Ital. p. 83. De Reliquiis ejus translatis Constantinopolim sub Pulcheria Aug. temporibus Marciani Imper. scribit Theodorus lector lib. II. Collect. et Nicephor. IV. 10.

XIV. PASSIO AGNETIS† VIRGINIS.

Indicato Martyris sepulcro, narrat quomodo turpem in locum deducta, ut virginitas ejus violaretur, divinitus servata fuerit, moxque supplicio ad Christum transmissa, quam euntem in Cœlum poëtice describit, opem ejus implorans.

AGNES sepulcrum est Romulea in domo,
Fortis puellæ, martyris inclytæ.

Sepulcrum sanctæ Agnetis generosæ virginis, et martyris illustris, est in urbe

1 *Agnæ* Bodl. *Romuli* A.—26 *applicet* F. G.—27 *Menerva* Weitz. Eg. *regit*

NOTÆ

† *Agnetis*] Inter Diocletiani persecutionis martyres insigniter enituit S. Agnes Romana Virgo, duodecim tantum annos nata: cujus illustre martyrium laudarunt descripseruntque fere omnes scriptores: præcipue vero SS. Hieronym. August. atque Ambr. qui tres illos de Virginibus libros subtiles quidem, ac diligentes emisit de laudibus Agnetis. ' Romæ sub Præfecto Urbis Symphronio ignibus injecta, sed iis per orationem ejus extinctis, gladio percussa est 12. kalend. Februar.'

1 *Agnes* [*Agnæ*] Ut allusio sit in nomine. In Thuaneo tamen, multisque aliis, *Agnes sepulchrum est*, quo et castitas martyris designetur: 'Ἁγνὸς enim, 'Ἁγνὴ, castus, casta, Græce dicitur.

Romulea in domo] S. Damasus de ipsius basilica, quam posuit Constan-

Conspectu in ipso condita turrium
Servat salutem Virgo Quiritium :
Necnon et ipsos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est præstita Martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt jugali vix habilem toro,
Primis in annis forte puellulam
Christo calentem, fortiter impiis
Jussis renisam, quo minus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi judicis illice,
Nunc sævientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus

Roma. Hæc virgo sepulta in ipso conspectu Romæ consulit saluti Romanorum, atque etiam succurrit ipsis alienigenis, qui ipsam invocant puro et fidenti animo. Agnes donata est gemina corona, nempe virginitate læsa nullo peccato, et laude mortis voluntariæ. Legimus hanc martyrem primis annis vitæ suæ, cum vix esset nubilis, arsisse tanto amore Christi, tam fortiter denegasse facere jussa impia præsidis, ut nec obtulerit thus idolis, nec ejuraverit suam fidem. Fuerat tentata multis artibus, blandis scilicet sermonibus Symphronii, necnon minis trucis carnificis ; semper vero pertinax gerebat animum infractum ; ultroque non horrens mortem offerebat

NOTÆ

tinus via Nomentana, extra portam Viminalem, duo scripsit epigrammata, atque ibi habuit S. Gregorius papa Homiliam 11. et 12.

2 *Fortis puella*] Unde S. Hieronymus : 'Omnium gentium literis atque linguis præcipue in ecclesiis Agnes vita laudata est, quæ et ætatem vicit, et tyrannum, et titulum castitatis martyrio consecravit.'

4 *Quiritium*] 'Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus.' Metellus Numidicus apud Gellium c. 6. Quod nomen Romanis imposuit Romulus a Curibus Sabinorum urbe, ut Sabinos Romæ receptos sibi devinciret.

10 *Vix habilem toro*] Scriptores omnes Agnetem tunc vix natam fuisse duodecim annos notarunt.

13 *Idolis*] Ne putes id peculiare esse Prudentio. Poëtæ hujusce ætatis in idem inciderunt, spreveruntque verborum Græcorum quantitatem. Fortunatus in miraculis S. Martini, 'Idola dum cuperet Martinus sternere.'

16 *Judicis*] Symphronii Urbi Præfecti, cujus filius castam illam virginem deperibat.

Illice] Illecebris scilicet, atque incitamento ; quo sensu dicitur : 'Illex animi Venus.'

Ultro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus: Si facile est, ait,
Pœnam subactis ferre doloribus;
Et vita vilis spernitur: at pudor
Carus dicatæ virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram, ni caput applicat,
Ac de Minerva jam veniam rogat,
Quam Virgo pergit temnere virginem.
Omnis juventus irruet, et novum

suum corpus omnibus suppliciis: quare præfectus nesciens frænare suam iram, Poteris, inquit, tolerare facile supplicia, vincere dolorem, et spernere hanc vitam vilem; sed scio virginitatem consecratam Deo esse caram Virgini. Nisi ergo quamprimum exores aras, nisi petas veniam a Minerva, quam virginem tu virgo pergis contemnere, sine dubio te mittam in lustrum publicum, ut cuncti juvenes in te irruant,

F. G.—29 *inruit* Eg. A. W. *inruat* Vulg. Weitz.—30 *petat* Weitz. Vulg. *petit*

NOTÆ

25 *Lupanar publicum*] Lustrum, ganeumque, ubi meretrices prostant. Publicum autem; constat enim omnium fere poëtarum, ac sanctorum Patrum testimonio publica scorta, et alias publicæ libidinis illecebras manere consuevisse in fornicibus spectaculorum: 'Donec,' ut ait Hieronymus, 'sub Constantino Imperatore Christi evangelio coruscante, et infidelitas gentium universarum, et turpitudo deleta est.' Quam infelix et miseranda esset conditio virginis prostitutæ, pluribus describit Senec. Controv. II. 2. 'Misera includebatur cellula, in cujus fronte titulus superpositus nomen virginis prostitutæ, et pretium constitutum indicabat: moxque fiebat concursus libidinosorum ad meretricem novam.' Baron. Martyrolog. Roman. Unde Quintil. VII. 4. 'An deprehensus in lupanari cum aliena uxore, adulter sit, quæritur.' Sed aperte magis, magis plane rem totam explicat Cyprianus de Spectac. 'Si rursum perrogem, quo ad illud spectaculum itinere pervenerit, confitebitur per lupanarium, per prostitutarum nuda corpora.'

26 *Ad aram, ni caput applicat*] I. e. nisi osculetur amplectaturque aram Minervæ. Solebant enim antiqui, in magno discrimine et metu desperationeque salutis, amplecti Deorum simulacra, ut eorum fide tuti essent. 'Hic Hecuba et natæ nequicquam altaria circum, Præcipites atra ceu tempestate columbæ, Condensæ, et Divum amplexæ simulacra tenebant.' Virg. Æn. II. Aras quoque tangebant: 'Talibus orabat dictis, arasque tenebat.' Virg. Æn. VI. 124.

27 *Minerva*] Nata est e cerebro Jovis, armata et hastam quassans: Vulcani nuptias respuit, et servavit virginitatem. 'Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.' Quare Symphronius jussit Agnetem virginem Minervam invocare.

Ludibriorum mancipium petet.
Haud, inquit AGNES, immemor est ita
Christus suorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deserat.
Præsto est pudicis, nec patitur sacræ
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles:
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam publicitus jubet
Flexu in plateæ sistere virginem.
Stantem refugit mœsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico:
En ales ignis fulminis in modum

et ad te tanquam ad scortum novum fiat concursus. Tum Agnes exclamat; Christus nec immemor est suorum, nec me deseret, permittetve pudorem mihi tam carum eripi. Semper est præsto animis castis, atque impedit quominus illud præclarum donum virginitatis polluatur. Itaque, si voles, tinges ferrum meo sanguine, sed non inquinabis libidine meum corpus. Dixerat: judex jubet Agnetem exponi publice in flexu plateæ. Spectatores vero mæsti ab illa recesserunt, removeruntque oculos, ne aliquis aspiceret lascive sanctum locum. Forte tamen nescio quis convertit os in virginem, atque est ausus conjicere oculos impuros in hoc sacrum corpus. Statimque

A. W.—38 *jubent* Amb.—40 *Statum* H.—41 *Adversa* Eg. P.—59 *tunc juveni*

NOTÆ

39 *Flexu in plateæ*] Nimirum in fornicibus Circi Agonalis. Qui Circus nunc Navonius dicitur; vel exstructus fuit, vel instauratus ab Alexandro Imperatore. P. Victor in regione nona statuit 'Circum Alexandri, et Thermas Alexandrinas.'

43 *Intendit unus*] Quanquam nulla sit controversia, quin filius ipse Symphronii amore incensus, et cæcus libidine, lascivos oculos in Agnetem conjecerit, tamen de illius nomine omnes inter se disputant. Procopum maxima pars asserit dictum fuisse.

46 *Ales*] Angelum Agneti affuisse, servasseque incolumem, ut ipsa prædixerat, referunt scriptores. Unde S. Basilius de vera Virginit. 'Cum ferveret persecutionis immanitas, electæ virgines propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inviolatæ durarunt; eo scilicet, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, et integra earum corpora non sine prodigio, et virtute custodiente.'

Vibratur ardens, atque oculos ferit:
Cæcus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbisque deflent exequialibus.
Ibat triumphans Virgo, Deum Patrem
Christumque sacro carmine concinens:
Quod sub profani labe periculi
Castum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti: tum juveni halitum
Vitæ innovatum visibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur.
Accensus iram nam furor incitat
Hostis cruenti: Vincor, ait gemens.
I, stringe ferrum miles, et exere
Præcepta summi regia principis.

Angelus rapidus labitur tanquam fulgur cœlo, et perstringit splendore micanti oculos procacis juvenis. Qui juvenis jacens in pulvere plateæ anhelat. Socii tollunt de terra semianimem: et deplorant verbis funereis. Virgo vero ibat gaudens, et cantabat piis carminibus laudes et Patris æterni, et Christi, quia victrix conservarat pudicitiam, in periculo labis profanæ, cum invenisset lustrum castum, nec pollutum. Nonnulli dixere Agnetem fuisse precatum Jesum rogatu Symphronii, ut redderet vitam huic impudico mortuo; ac statim spiritum vitæ fuisse datum rursus oculis sanis juvenis. Agnes ascendit in cælum primo illo gradu: paulo post altero. Ferocitas enim sævi judicis inflammata movet iram: qui ingemiscens, Vincor, exclamat: i, satelles, educ ensem, et fac mandata regia Imperatoris. Ut martyr prospexit mili-

alitum Weitz. *tum invenit halitum* Vulg.—60 *visibus jussibus* C. in Ms. *v. sensibus* ex conj.—63 *Ascensus* Weitz.—65 *Astringe* Weitz. *I, stringe* Heins. Amb.

NOTÆ

58 *Redderet ut reo*] Utrumque legere est apud eos, qui rei gestæ capita singula persecuti sunt.

63 *Accensus*] Nonnulli tamen tot tantisque miraculis victum Symphronium mutasse sententiam scribunt, atque, ne Romanorum in odium incurreret, Aspasium crudelem scelestumque judicem constituisse, qui Agnetem igne, deinde securi damnavit.

Ut vidit AGNES stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quod potius venit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger:
Quam si veniret languidus ac tener,
Mollisque ephebus, tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic, hic amator jam, fateor, placet:
Ibo irruentis gressibus obviam,
Nec demorabor vota calentia:
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladii traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
Omnes tenebras, æthere celsior.
Æterne Rector, divide januas
Cœli, obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem, Christe, animam voca,
Cum virginalem, tum Patris hostiam.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.

tem truculentum adesse, et gladium strictum, alacrior ea est locuta: Gaudeo quod talis furiosus, crudelis, arrogans miles veniat potius, quam si juvenis languens amore, delicatus, effœminatus, unctus odoribus, qui me perderet amissione castitatis, veniret. Hic, hic amator est gratus, non nego; ibo obviam passibus ipsius venientis; nec detinebo ipsius ardentia desideria: abscindam inter mammas totum gladium, et attraham aciem ensis ad intimum pectus. Sic nupta cum Jesu, sublimior aëre præteribo omnes nubes cœli. O æterne Pater, aperi portas Paradisi clausas antea hominibus. Tuque, o Christe, voca meam animam te sequentem, quæ et est virginea, et victima tui Patris. Ita locuta colit supplex Christum capite prono, ut collum curvum exciperet facilius ictum pendentem. Tortor autem implet dextera tantam

C. Torrent. tres. *Stringe* Ro. T.—72 *efybus* Eg. H.—89 *subictu* B. Weitz. Gif.

NOTÆ

72 *Aromate*] Plurale tantum illud nomen reperitur apud Latinos. Colum. XII. 20. 'Reliqua aromata contusa, et cribrata paulatim insperges.' Ἄρωμα vero Græce et in singulari dicitur, ab ἄρω, quod suavia sint naturæ apta, eique roborandæ idonea; vel ab ἄρι et ὄζω, quod insignem quendam odorem spiret. Unde pro quocumque suavi ac jucundo unguento sumitur. De Ephebo sup.

Ast ille tantam spem peragit manu:
Uno sub ictu nam caput amputat:
Sensum doloris mors cita prævenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exilit. Angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm:
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetque, solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,
Quod vana sæcli mobilitas rapit:
Reges, tyrannos, imperia, et gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium:
Argenti et auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula:
Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula:
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum, et decus:
Et, quod malorum tetrius omnium est,

spem; nam abscindit caput uno ictu. Mors promta præripit sensum doloris. Deinde anima ex corpore expedita se attollit, et libera fertur in aërem. Angeli circumsteterunt illam euntem via alba. Agnes admiratur terram positam sub pedibus: sublimis intuetur nubes inferiores; ac deridet id, quod orbis solis circuit, quod tota terra versat, et commiscet, quod vivit in implicatione cæca rerum terrenarum, quod stulta inconstantia hujus mundi aufert, nempe principes, tyrannos, regna, et dignitates, splendorem honorum, quibus homines superbiunt stulte, copiam argenti et auri quæsitam a cunctis ob cupiditatem insatiabilem per diversa crimina, domus ædificatas multa magnificentia, nugas efformatas in pictis vestimentis, iram, timorem, desideria, pericula: modo diuturnam tristitiam, modo brevem lætitiam, fumidas tædas atræ invidiæ, quæ denigrant famam hominum, et honorem: et fœdam caliginem



Ind. Lucr. p. 470.—96 *Videtque* A.—102 *vim rabidam* A. H. P. B. *vim rabi-*

NOTÆ

94 *Miratur orbem sub pedibus situm*] Ex illo Virg. Eclog. v. 56. 'Candidus insuetum miratur lumen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.'

Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat AGNES, ac pede proterit,
Stans et draconis calce premens caput:
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et Inferis.
Nunc virginali perdomitus solo
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ:
Unam decimplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit:
Centenus extat fructus in altera.
O Virgo felix, o nova gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate:
Cui posse soli cunctiparens dedit

idololatriæ, quod malum est teterrimum omnium. Agnes conculcat illa, et proterit pedibus, stans recta, et comprimens vestigio caput dæmonis, qui crudelis suffundit veneno omnia terrena orbis, et dejicit in Inferos. Nunc obtritus planta virginea deprimit cristas capitis inflammati, nec victus audet se erigere. Interim Deus circumdat frontem martyris virginis duplici corona: fructus multiplicatus usque ad sexaginta terminat unam splendore æterno: fructus multiplicatus usque ad centum positus est in altera. O beata Virgo, o nova gloria, o illustris civis cæli flecte vultum decoratum duabus coronis ad nostras immunditias. Omnipotens tibi

dam sitis W. sed *vim rabida sitis* superscr.—122 *Mercis* Eg. P.

NOTÆ

121 *Decimplex sexies*] Hæc, et alia quæ sequuntur, debent referri ad parabolam seminantis, quam legimus apud Matth. cap. XIII. 'Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.' Unum potest alicui facessere negotium; nimirum quis fructus sit multiplicatus usque ad sexaginta, quis multiplicatus usque ad centum. Ego puto virginitatem sexagesimum denotare fructum, martyrium vero centesimum.

126 *Colluvionibus*] Sordibus, ac immunditiis, quæ ex concursu alicujus rei contrahuntur. Ita Cic. pro Sext. 'Ille nefarius ex omnium scelerum colluvione natus.'

Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si jecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

uni concessit reddere lustrum ipsummet castum. Splendor faciei faventis eluet meas sordes, modo impleas lumine meum cor. Nihil est impudicum, quod casta velis respicere, vel tangere parte extrema pedis.

NOTÆ

129 *Fornicem*] Nempe lupanar, et ganeum : quia, ut multis ostendi, meretrices in fornicibus spectaculorum prostabant.

ΠΕΡΙΣΤΕΦΑΝΩΝ LIBRI FINIS.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

APOTHEOSIS.

PRÆFATIO.

Apotheosis 'Αποθέωσις consecratio est, seu ritus ab Herodiano lib. IV. fuse descriptus, quo Pagani principes suos in Deorum numerum referebant, quod apud Romanos ab Augusto primum erga Julium Cæsarem factitatum tradit Suetonius in Jul. c. 38. Hoc autem titulo Poëta noster librum hunc ideo insignivit, quod in eo Christi asserit divinitatem, vel quod contra hæreticos agit alium sibi Deum fingentes, quam qui in Scripturis revelatus est, uti ex duobus ultimis alterius Præfationis verbis colligitur.

EST tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus.
Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est.

In Deo tres sunt supremæ personæ, tres virtutes personales, eadem potestas. Cor Patris producit Sapientiam, scilicet Filium suum. Spiritus Sanctus procedit ab

NOTÆ

Apotheosis] Omnes quidem norunt ἀποθέωσιν idem sonare, ac consecrationem, et relationem inter Deos. Quæ quibus cærimoniis fieret, Herodianus in princip. lib. IV. docet. At, cur hoc titulo suum librum insignierit Prudentius, dubium est. Ego puto eo nomine usum fuisse, quod Christum, cujus divinitatem suis erroribus hæretici oppugnarant, et ut ita loquar, deturbarant de solio, in illud restituat; aut, si mavis, quod refellat eos, qui animam docuerant Dei esse substantiam, vel ex Dei substantia: atque ita inter Deos collocarant.

1 *Tria*] Non desunt ex antiquis Patribus, qui absoluta nomina, et Personis tribus communia, plurali numero concipiant; non solum concreta, uti vulgo nuncupant, sed etiam abstracta. Gregorius certe Nazianzenus summus vir, et Theologus excellenti ratione dictus, in Oratione 13. de Trinitate loquens sic eam nominat, 'vitas, et vitam; lumina, et lumen; bona, et bonum; glorias, et gloriam; sancta, et ipsammet sanctitatem.' Gregorius 'tres splendores.' Jam cum sanctissimi Patres vel usurparint, vel ab aliis usurpata proba-

Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec numine major:
Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad sæcula, Verbum.
Edere sed Verbum Patris est: at cetera Verbi,
Assumtum gestare hominem, reparare peremtum,
Conciliare Patri, dextraque in sede locare.
Spiritus ista Dei complet: Deus ipse, fideles
In populos charisma suum diffundere promtus,
Et Patris et Christi virtutem in corpora transfert.

æterno ipsius ore. Pater nec est provectior ætate, nec potentior divinitate. Nam Deus sapiens edidit ex se semper usque in omne ævum Verbum, per quod Pater esset semper ad producenda tempora. Proprium est Patris gignere Filium; at reliquum est Filii: nempe gestare carnem humanam indutam, redimere homines mortuos peccato, reconciliare Patri, præbere sedem ad dexteram. Spiritus Sanctus perficit illa: ipse, qui et Deus est, facilis dispergere gratiam suam in plebem Christianam, transmittit in corpora virtutem et Patris et Christi.

4 *nomine* W. superscr.—12 *corpore* P. *tempora* W. superscr.

NOTÆ

verint; ut minime sunt propterea reprehendendi, quia sano sensu, et catholico ita loquuntur; sic non facile in eo sunt imitandi; nec alia de causa, nisi quod in usum aliter ista venerunt.

2 *Corde Patris*] Sequentia multis in locis explicantur; ac, quæ dicenda essent tum de generatione Filii, tum de processione Spiritus Sancti, dixi superius. Id unum animadvertas velim, Poëtam de hæresibus tractaturum nullam aliam Præfationem adhibuisse, quam fidei professionem: ut omnes intelligant ipsum, si forte peccret, recte tamen de fide sensisse. 'Nam de Deo etiam quæ vera sunt loqui periculum est, et non parvum,' ut ait Sixtus.

11 *Charisma*] Nomen illud Græcum idem est, ac muni[illegible], beneficium gratis collatum, m[illegible] donum: quæ omnia recte conveniunt gratiæ.

12 *Transfert*] Nempe spiritali missione, quæ fit, cum sine externis ullis, ac sub sensum cadentibus signis, spiritualia dona, quæ dicuntur charismata, tribuuntur. Quæ quidem multiplicia sunt, et præstantiora aliis alia: ut in priore ad Corinthios Apostolus tradit; ubi pleraque dinumerat; velut sapientiæ, scientiæ, fidei, curationum, prophetiæ, linguarum, sed præcipue caritatis.

ALIA PRÆFATIO.

Est vera secta? te, magister, consulo.
  Rectam ne servamus fidem?
An viperina non cavemus dogmata,
  Et nescientes labimur?
Arctam salutis vix viam discernere est
  Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
  Tortis polita erroribus:
Obliqua sese conserunt divortia,
  Hinc inde textis orbitis.
Quas si quis errans ac vagus sectabitur,
  Rectum relinquens tramitem;
Scrobis latentis pronus in foveam ruet,
  Quam fodit hostilis manus:
Manus latronum, quæ viantes obsidet,
  Iter sequentes devium.
Quid non libido mentis humanæ struat?
  Quid non malorum pruriat?

Est quidem vera religio? Sed a te peto, o Deus. An sequimur veram fidem? an vero non fugimus doctrinas perniciosas, et erramus per ignorantiam? Difficile est distinguere an[illegible] iter salutis ab itineribus deviis, quod varia trivia iniquorum, fucata mendac[illegible]tricabilibus occurrunt; bivia fallacia in unum conveniunt, vestigiis passim implicatis. Quos tramites si quis sequitur deceptus, et in incertum ambulans, declinans de vera via, cadet pronus in profundum fossæ occultæ, quam manus inimica cavavit: manus latronis, cum ea insidietur viatoribus, qui eunt obliquos calles. Quid hominum cupiditas non moliatur? Quodnam nefas non ardenter

4 *nescienter* Weitz.—5 *viam distinguere* T.—9 *Obliqua qua se* F. Torrent.

NOTÆ

9 *Obliqua sese conferunt divortia*] Unde Ambros. de Fide I. 4. 'Hæresis est velut quædam Scylla monstrosi portenti, distincta in varias perfidiæ formas.' De Orbitis sup. Perist. Hymn. 11. vs. 102.

18 *Quid non malorum pruriat*] Simile illud Horat. 'Audax omnia perpeti Gens humana, ruit per vetitum nefas.'

19 *Omnipollentis Dei*] Ita Omnivagus reperitur apud Ciceronem, omnivorus apud Plinium, omniparens apud Virgilium, apud Ovidium omnifer, omnifarius apud Suetonium; denique omnitenens, omnivolus, omnivalens.

Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus,
Fidem minutis dissecant ambagibus
Ut quisque lingua est nequior.
Solvunt, ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis!
Væ versipelli astutiæ!
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica.
Deque imbecillis subjugavit fortia,
Simplex ut esset credere.

cupiat? Oppugnant quæstionibus contumeliosis essentiam Dei omnipotentis; depravant fidem circuitibus verborum ambiguorum, prout unusquisque habet linguam pejorem; perrumpunt, implicantque difficultates quæstionum argumentis implicatis. Væ fraudulentis tricis calumniatorum; væ subdolæ subtilitati. Vera fides, molesta disputantibus, tollit nodos pertinaces. Quare Deus elegit, quæ mundus ducebat stulta, ut falsa sapientia vinceretur; et domuit fortia infirmis, ut fides simplex esset.



conferunt Cellar.—11 *Quæ* Ro. C.—22 *quisquis* W. B.—29 *dilegit* Eg. Bodl.

NOTÆ

24 *Syllogismos*] Intelligit argumenti, seu genus sophismatis fallaci stropha disserentes implicans. Alter Pseudomenos syllogismus dicebatur, alter sorites. Uterque a Græcis sumitur. Cic. de Divin. II. 'Quomodo autem mentientem, quem ψευδόμενον vocant, dissolvas?' Et de sorite Cic. eodem loco, 'Quemadmodum soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare.'

Plectiles] Juxta eandem metaphoram vocat syllogismos plectiles, id est, plexos, et colligatos simul. Quo verbo usus est Plautus in Bacch. 'Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis.'

25 *Sycophantarum*] Sycophanta pro mendace et c[illegible]re sumitur. Plaut. Amphitr. '[illegible] hic scitus est sycophanta, qui quidem sit meus Pater.' Quia e duobus servis Græci cujusdam alter ficus absumsit: alter, quis eas abstulisset, ignorabat. Quærenti eas domino sons innocentem accusavit. Unde, qui ficos devoraverat, culpamque in innocentem cavillando ac mentiendo rejiciebat, vocabatur sycophanta. De Strophis initio Psych. De Versipel. in Hymn. 9. Cathem.

29 *Stulta*] Divus Paulus 1 ad Corinth. cap. I. 'Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.' De Sophist. in Hymn. de sancto Romano.

Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
  Impingat in quem vanitas,
Signum caventi, non caventi scandalum:
  Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
  Incurrit id, quod obvium est.
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
  Ut recta sint vestigia.
Quis in tenebris hostis errantes tamen
  Pulsat, trahitque, et proterit?
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
  Frumenta sævus devorat:
Qui læta Christi culta fur interpolat,
  Addens avenas æmulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertiles
  Patitur colonus crescere:
Ne forte culmen fibra inanis spiceum
  Simul revulsa internecet.
Expectat ergo, dum dolosa et farrea
  Fervens coquat maturitas,

En petra scandali opposita, in quam superbia incurrat: signum est cautis, offendiculum imprudentibus: profligat hos, ducit illos. Dum cæcus explorat multa inscio pede, offendit ad id, quod occurrit. Ut nostri incessus sint recti, una fax fidei ferenda est ante gressus nostros. Sed quis inimicus pellit, et rapit, et conculcat incedentes per tenebras? is scilicet crudelis, qui absumit semen missum juxta viam prætereuntium; is latro, qui immutat segetes copiosas Christi: iis intexens avenas noxias, quarum lac veneficum agricola sinit tumescere in herbam abundantem, ne, minutis radicibus una forte detractis, stipulæ gravidæ aristis moriantur. Quare expectat donec æstas torrida afferat maturitatem sterilibus avenis, et frumento,

diligit P.—31 *Neque* P.—39 *Pax* P.—41 *Quos* C.—47 *fertilem* Weitz.—

NOTÆ

33 *Lapis ecce nostro fixus offensaculo est*] Luc. cap. XX. 'Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est; lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.' De quo loquens Paulus ad Romanos cap. IX. hæc habet: 'Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est.' Nempe Isai. XXVIII. 16. 'Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali: et omnis, qui credit in eum, non confundetur.'

Det ventilabro lecta quæque ut horreis,
  Urat recrementum focis.
Refert sed ipsa nosse, quæ messem necant
  Zizaniorum semina.

ut condat granario id omne, quod fuerit purgatum ventilabro, et torreat igni purgamenta. Verum utile est cognoscere ipsa semina zizaniorum, quæ nocent tritico.

51 *vitiosa et farrea* Vat. duo, B. W. superscr.—53 *Dat* B.—55 *negant* Eg. P. —56 *Zezaniorum* Weitz. Eg.

NOTÆ

56 *Zizaniorum*] Parabolam Christi de zizaniis, quam legimus apud Matth. cap. XIII. ad Hæreticos refert. Zizanium vero effigiem habet hordeo haud dissimilem, sed folium angustius, et hispidius, semen exilius in cortice aculeato, florem autem subpurpureum. Ac vitium est tritici, hordeique, nimia loci uligine corrupti, et pluviis diluti.

HISTORIA HÆRESUM.

[Ex ed. Delph.]

In hoc libro sex hæreses oppugnat Prudentius, et refutat; de quibus mihi nonnulla dicenda sunt, ut facilius intelligantur nostri Poëtæ argumentationes, quæ sæpissime a sacris Bibliis assumuntur.

DE PATRIPASSIANIS.

Prima igitur est eorum, qui vel duas, vel tres ipsas Trinitatis Personas in unam confundunt: adeo ut Patrem esse passum asserant. Quam propugnavit vehementius Noëtus Ephesius, ut testatur Epiphanius Hæret. 57. ubi satis haud accuratus est, cum ante Noëtum scribit neminem talem hæresim invexisse. Sub annum Christi 245. Noëtus prodiit. Ante hoc vero tempus jam illa hæresis erat audita. Hermogenes enim idem docuerat, et Praxeas; quem Praxeam singulari refellit libro Tertullianus. Ignatius quoque ad Philippenses scribens (quæ epistola inter septem ab Hieronymo illi ascriptas minime censetur) ejusdem mentionem facit erroris. Denique Athanasius in libro de Salutari Adventu Christi refert Valentinum antiquissimum hæreticum totam Trinitatem passam esse dixisse. Noëtus ergo Patrem, Filium, et Spiritum

Sanctum non natura solum, sed etiam Persona unum, et singularem esse Deum asseruit: iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures esse negant Deos. Unde est consequens, Patrem ipsum, ut et Spiritum Sanctum, carnem, ac mortem subiisse. Quod et illum asseverasse prodit Epiphanius num. 2. Noëtum hunc patria Smyrnæum facit Theodoretus in lib. 3. de Hæret. et ab Epigono quodam primo hæresis auctore, ac discipulo hujus Cleomene illam accepisse prodit. Quia vero ejusdem patrocinio dogmatis Sabellius deinde successit, a quo Sabelliani ortum accepere: quo nomine secta illa notior est, quam Noëtianorum, aut aliorum, qui eam docuerunt: de his sit satis.

DE UNIONITIS.

Sanctus Augustinus libro de Hæret. ad Quodvult Deum, Hær. 41. miratur, Epiphanium duas ex una fecisse hæreses, ac Noëtianos a Sabellianis distraxisse. 'Noëtiani enim,' inquit, 'difficillime ab aliquo sciuntur: Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam et Praxeanos a Praxea quidam vocant; et Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt; qui Praxeas et Hermogenes eadem sentientes in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt, sed unius sectæ plura nomina ex iis hominibus, qui in ea maxime innotuerunt.' Itaque puto Prudentium eadem fuisse opinione, neque eas, ut recte notat Heinsius, tanquam diversas sectas separandas esse. Poëta enim varia hujusce hæresis dogmata refutat separatim. Sabellius igitur natus in Libya, sive Pentapoli, ac Cyrenaica provincia, oppido Ptolemaide, quandoquidem ibi recens exortam hæresim illam ætate sua Dionysius testatur Alexandrinus apud Eusebium, sub tempora Decii, sive Galli, ac Volusiani cœpit virus suum spargere; cum Romanæ sedi præesset Stephanus, aut Sixtus: hoc est circa annum Christi 257. Hic unam esse Personam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti astruebat, Personarumque in Trinitate distinctionem explodebat: unde Unionitæ dicti fuerunt discipuli; dicebatque ea tantum esse nomina ad diversos effectus divinitatis insinuandos composita. Quamobrem illud deducebatur in consequentiam, ut sicut Filius, ita et Pater, et Spiritus Sanctus ab eis æque dicerentur incarnati et passi. Cui et aliud adjecit ex Hermogene mutuatus, nempe ut diceret materiam ingenitam esse. Sed nihil ad nos. Poëta Sabellium op-

pugnat tantum, quod non separaret Filii personam a Patris persona.

DE JUDÆIS.

Licet Judæi non sint proprie hæretici, nihilo tamen minus, teste Divo Thoma 22. quæst. caus. 9. artic. 6. Judæorum infidelitas, et contumacia potest dici hæresis, in eo quod Christianæ fidei in figura susceptæ omnino renitatur. Quo fit, ut Divus Augustinus, in sermone adversus quinque hæreses, Judæos inter hæreticos ponat. Inter alia quamplurima, illud præcipue volunt, Christum non esse verum, et natura Deum, sed hominem, seductorem, falsum Prophetam; aliumque Messiam, in lege promissum, expectant.

DE HOMUNTIONITIS.

Adversus Paulum Samosatenum, a patria sic dictum, Samosatis oriundum, quique ab summa egestate ad Antiochenæ sedis fastigium provectus Demetriano successit, imperatore Gallieno, agit, nisi fallor, Prudentius. Licet enim circa annum Domini 80. Tito imperante, et Anacleto summum Romanæ Ecclesiæ Pontificatum agente, Ebionitæ, a quodam Ebione nominati, asseruerint ex viro et muliere natum esse Christum, solamque naturam habuisse humanam; tamen hujusce erroris princeps et auctor dicendus est Paulus Samosatenus, qui hunc instauravit et nobilitavit. Christum enim, ut jam dicere cœpi, asserebat hominem esse merum, qui a Maria tam regnandi, quam vivendi sumsisset initium; quem tamen Deum nominabat: in quo discrepat ab Ebionitis. Ita scribit Athanasius in libro de salutari adventu: 'Paulus Samosatenus Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazareti in lucem editum, et inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax e cœlo, et sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazareti primum extare cœpisse: ut unus, inquit, supremus sit Deus, Pater.' Quanquam non simul atque est editus, Deum illum fuisse credidit, 'sed ex profectu virtutis Deum esse factum,' ut alibi idem refert. Contra eum prima Antiochiæ synodus est habita sub annum Christi 260. cui Firmilianus Cæsariensis, Gregorius Neocæsariensis, et ejus frater Athenodorus interfuerunt. Sed tum subdola tergiversatione Patrum studia Paulus elusit. Postea vero altero in Concilio An-

tiochiæ celebrato damnatus, ac sede sua deturbatus est: quæ cum cedere nollet, interpellato, qui tum imperabat, nec tum nostris ab rebus alieno erat animo, Aureliano, vi detrusus est anno Christi 270.

DE NATURA ANIMÆ.

Tot inter errores, in quos inciderunt homines disputantes de natura animæ, sane duo sunt præcipui; antiquorum scilicet Philosophorum, qui corpoream esse putarunt, et Gnosticorum, qui docuerunt aut esse Dei substantiam, aut ex Dei substantia. Hujus Anaxagoras anno ante Christum natum 500. Democritus 460. Lucretius 80. post Christum natum Tertullianus anno 200. et quamplurimi alii extitere assertores: illius autem fuit auctor, ut opinor, Mercurius Trismegistus. Ast anno post natum Christum 150. Gnostici, id est, cognoscentes, παρὰ τοῦ γνώστης gnarus, quorum Basilides princeps fuit, teste Hieron. vel, ut alii volunt, Valentinus; et Manes, a quo Manichæi, anno Christi 277. renovarunt. Utramque hæresim refellit Prudentius, licet præsertim agat cum Gnosticis, et Manichæis, vel, si fas est in his rebus facere conjecturam, cum Fortunato, qui floruit Prudentii tempore, nempe anno 405. contra quem a Divo Augustino solennis disputatio indicta fuit. Poëta quoque data occasione et paucis Apollinaristarum opinionem oppugnat, qui senserunt animam nasci a traduce, ex anima scilicet alia, sicut corpus ex corpore. Apollinarem Laodicenum hujus auctorem, cum Vitali ipsius discipulo, Damasus papa Romæ in Synodo damnavit anno 373. Quare non assentior Heinsio, qui vult ea ad disputationem adversus Homuntionitas referri debere. Et sane, ut colligere est ex iis, quæ diximus, Prudentius hæreses tantum, quas sua ætate nonnulli instauraverant, refutat.

DE PHANTASMATICIS.

Manichæorum fabulas, et commenta turpissima, longum est, ac supervacaneum, hoc loco persequi; cum ea pluribus explicata sint a sanctis Cyrillo Hierosolymitano, Epiphanio, Theodoreto, Augustino multis in libris. Quod ad præsens institutum attinet: 'Christum affirmabant fuisse,' inquit Augustinus, 'quem dicit nostra scriptura serpentem, a quo illuminatos eos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum, malumque dignoscerent. Eumque

Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse; ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.' Horum, quæ illi referunt, summa hæc est. Scythianus quidam Saracenus genere, in Arabia nutritus, mercaturam exercuit, ex qua ingens compendium nactus, postea in Ægyptum se contulit, et Alexandriæ Græcam linguam, Græcasque disciplinas didicit, præsertim Philosophiam, tum Aristotelis, tum Empedoclis, ac Pythagoræ; unde principiorum duorum, boni ac mali, transtulit. Tum libros conscripsit quatuor, unum mysteriorum, secundum Capitulorum, tertium, quod Evangelium inscripsit, quartum Thesaurorum. Posthæc in Judæam profectus Buddam se vocavit. Ibi apud anum viduam habitavit, ac periit divina vi deturbatus. Anus pecuniarum omnium ac librorum compos facta, mancipium Persicum emit nomine Cubricum, Augustinus Urbicum vocat. Is Manes appellari deinde voluit: quæ vox ὁμιλίαν, i. e. allocutionem, significat: Mannicheum, quasi manna fundentem, hunc nominavere postea discipuli, qui vulgo Manichæus dici solet.

CONTRA HÆRESIN QUÆ PATREM PASSUM AFFIRMAT.

Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculent male prodita linguam.
Ille Patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pavet ipsum
Objectare neci, duroque affigere ligno.
Passibilisne Deus? cujus species et imago
Nulli visa unquam: nec enim comprendier illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.

Multæ sunt pravæ hæreses: enumerabo tamen paucas, ne ea mendacia inquinent narratione linguam Christianam. Patripassianus amovens Patrem æternum ex solio amandat in angustas compages carnis humanæ, nec timet asserere illum obiisse mortem, et actum fuisse in duram crucem. An Deus igitur est passibilis? cujus effigiem et formam nullus unquam est intuitus; nam hæc majestas nequit compre-

2 *perdita* Eg.—3 *Illa* Eg.—13 *formam* Weitz.—18 *Sed patris tamen est* T.

Joannis magni celebris sententia præsto est,
Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetravit acumine visus,
Qui se forma hominis non induit, et Deitatis
Immensum assumto non temperat ore, modove.
Aut Evangelici pietas spernenda libelli
Jam, blaspheme, tibi est; aut nunquam visa beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis.
Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit,
Humanis aliquando oculis concurrere promtum:
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentique acie potuit nebulosus adire.
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit gnatum: nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum

hendi aut intellectu, aut visu, aut manu. Sententia nota Joannis Evangelistæ, affirmantis Deum nunquam potuisse cerni, est in promtu. Atqui ille Deus est Pater æternus; quem nullus oculus videns turbulenta hujus mundi pervadit e longinquo acie visus ignei; qui non assumsit formam hominis, qui non temperavit majestatem divinitatis corpore induto, aut alia ratione. Jam ergo, blaspheme, aut debes contemnere sanctitatem libri evangelici, aut fateri personam Patris æterni integram, non mistam mortalibus, nunquam visam fuisse. At, inquies, est tamen in Patre indicium sui, quod, nonnunquam paratum ad sese offerendum oculis hominum, licet aspicere: quod oculus quanquam debilis, quia sit glauco colore, aut vitiosus nimio humore, potuit intueri. Quicumque ex hominibus dicitur vidisse Deum, is vidit Filium infusum a Deo Patre; nam illud, quod exiens de Patre se præstitit visibile per

est deest Torrent. un. *fas est* Eg.—20 *clauso* Eg. P.—22 *memoratus* Nom.—

NOTÆ

9 *Joannis*] Scilicet cap. I. 'Deum nemo vidit unquam.' Anno Domitiani 13. Christianum in nomen ardere cœpit persecutio; in qua S. Joannes Apostolus in Patmon insulam relegatus scripsit Apocalypsin sub exitum Domitiani; cum antea Romæ in fervens demersus oleum illæsus abiisset. Necnon rogatus ab Asiæ episcopis contra Ebionem et Cerinthum scripsit suum Evangelium. Et ideo compulsus est edicere divinam nativitatem.

23 *Filius hoc est*] Filium Dei, non Patrem, quoties id in scripturis legitur, 'visum vel auditum ab hominibus,' asserit S. Justinus Mart. Dial. adversus Triphonem, S. Iren. III. 6. S. Cyprian. Testim. adv. Jud. II. 5. Tertullianus quoque vult 'Filium Dei Christum semper visum ab hominibus.' Sed in hoc peccat, quod crediderit, visum in vera etsi non nata carne.

Per species, quas possit homo comprendere visu.
Nam mera majestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo in se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,
Jam tunc dignati terras invisere Christi
Hospes homo, in triplicem numen radiasse figuram.
Hoc colluctantis tractarunt brachia Jacob.
Ipse dator legis divinæ accedere coram
Jussus, amicitiæ collato qui stetit ore
Comminus, et sacris conjunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.
Sed majora potens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini, plusquam mortale laborans,

species, quas homo posset accipere oculis, est Filius. Nam divinitas pura est infinita, nec invadit in oculos, nisi se vertat aliqua temperie. Abraham Pater progeniei generosæ, homo hospes Filii non recusantis jam tunc perlustrare terram, vidit illam divinitatem conspicuam in tribus figuris. Brachia Jacob luctantis tetigit illum divinitatem. Ipse Moyses lator legis divinæ, quem Deus jussit venire in conspectum suum, qui accessit prope vultu admoto familiariter ad vultum, et contexuit verba sua cum verbis divinis, agnovit se videre Filium sub imagine corporis. Sed aspirans ad majora, erexit animum ad optata negata homini; quia cupiebat id

25 *quam* Eg.—27 *nisi se* Weitz.—35 *effigiem* Put.—47 *moderatum est* T. Nom.

NOTÆ

30 *Triplicem figuram*] 'Apparuit autem ei Dominus in convalle Mamre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei, cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.' cap. XVIII. Genes. de Abrah. initio Psychom.

31 *Colluctantis*] Jacob octo et nonaginta natus annos, ad patrem e Mesopotamia rediens cum Angelo luctatus est, qui ipsi novum Israëlis nomen imposuit monumentum fortitudinis. Vide cap. XXXII. Genes. de Jacob in Hymn. matur.

32 *Dator legis*] Omnes norunt trans sinum Arabicum evadentes Israëlitas, mense tertio, qui est Sinvan, legem a Deo conditam accepisse manibus Moysis. Quare sit satis indicasse. Exod. cap. XXIV.

33 *Collato ore*] Quidam legunt verbum ad verbum. Septuag. ἐνώπιος ἐνωπίῳ; præsens præsenti. Exod. cap. XXXIII. 'Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum.'

35 *Christum*] An Deum, an Angelum Moyses fuerit allocutus, est dubium. Quidam enim Angelum fuisse dicunt, alii Deum. Unde Gregor. Magnus. 'Hinc est,' inquit, 'quod Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo dominus memoratur.' At, ut jam supra notavi, constat Poëtam ea fuisse opinione, Deum Moysi apparuisse. Quod unum ad rem meam pertinet.

Ipsum, quantus erat, sine corpore visere Christum.
Denique post multi sermonis mutua, postque
Conspectum præsentis Heri, et consortia longa,
Quæso, ait, ut liceat te nunc, Deus optime, nosse.
Respondit Dominus: Mea, non me, cernere justis
Posteriora dabo. Quid apertius, absque aliena
Quam sumat facie Verbum non posse videri;
Posse tamen, cum malit idem, nunquam Patre viso
Terrenis oculis, habitu se ostendere nostro;
Sæpe et in angelicas vel mortales moderatum
Induci species, queat ut sub imagine cerni?
Hoc Verbum est, quod vibratum Patris ore benigno
Sumsit virgineo fragilem de corpore formam.
Inde figura hominis nondum sub carne, Moysi
Objecta, effigiem nostri signaverat oris:
Quod quandoque Deus Verbi virtute coactum

quod erat supra mortale: nempè videre Filium ipsum sine corpore, et quantus erat. Denique post responsa mutua in longo colloquio; et post aspectum Domini præsentis, et societatem diuturnam; Oro, inquit, ut sit fas te agnoscere nunc, o Deus optime. Deus respondit: Concedam piis hominibus videre mea posteriora; sed nunquam me videre. Quid evidentius, Filium non posse videri sine aliena forma, quam oportet ut capiat; tamen posse videri, cum malit ipse apparere cum forma nostra? at suus Pater nunquam fuit visus oculis mortalibus: et dictum fuit illum sæpe adductum fuisse in effigies Angelicas, aut humanas, ut posset videri sub imagine. Filius est illud, quod productum ore benefico Patris induit in visceribus virginis carnem caducam. Hinc species humana, quæ apparuit Moysi, licet Deus nondum assumsisset carnem, traxerat effigiem nostri vultus: quia Deus, sumtu-

NOTÆ

41 *Nosse*] Philo putat Moysen, cum Dei gloriam videre petiit, intellexisse ideas, et potestates quæ sunt in Deo, et mente Dei: Tertullianus gloriam humanitatis Christi, quam ipse ostendit in transfiguratione in monte Tabori: S. Augustinus et S. Ambrosius essentiam divinam. Ut ut est, Prudentius assentitur SS. Ambros. et August.

43 *Posteriora*] Hac in re tam discrepant inter se scriptores, ut aliquid certi afferre nequeam. Adde, quod id ad intelligentiam auctoris parum conducat. Nam ad effectus, et testimonia sui amoris in Moysen, populumque referri debent; vel ad corpus lucidum, quod induerat Deus. De Moyse sup.

53 *Verbi*] Nempe Spiritus Sancti virtute; nam uti Verbum Patris appellatur Filius, ita Filii Verbum Spiritus Sanctus; quod apud Basilium legitur in quinto adversus Eunomium. 'Neque sine Filio facit Pater, neque Filius sine Spiritu. Propterea Dei quidem sermo est Filius; Verbum autem Filii, Spiritus.' Quem locum sanctus Thomas in primo Opusculo contra Græcos sic intelligit, ut Spiritus Sanctus Verbum Filii dicatur 'effective, in quantum sancti ab eo

Sumturus corpus faciem referebat eandem.
Sed tamen et sentam visa est excita cremare
Flamma rubum. Deus in spinis volitabat acutis,
Vulnificasque comas innoxius ignis agebat;
Esset ut exemplo Deus illapsurus in artus
Spiniferos, sudibus quos texunt crimina densis,
Et peccata malis hirsuta doloribus implent.
Inculto nam stirpe frutex vitiosus iniquis
Luxuriam virgis inhonesto effundere succo
Cœperat, et nodos per acumina crebra ligabat.

rus aliquando corpus formatum virtute sui ipsius verbi, referebat eundem vultum. Et tamen flamma excitata est visa comburere rubum spinosam. Deus volitabat inter spinas acutas; et ignis non nocens agitabat suas flammas ex natura vulnificas: ut Deus venturus in corpus spiniferum, quod vitia struunt multo stipite, et peccata horrida implent malis doloribus, præberet tunc exemplum sui. Nam rubus vitiosa, trunco inculto, incœperat emittere pessimo succo superfluitatem foliorum e ramis infelicibus: et nodabatur in multis extremitatibus. Sed tum fas erat videre frondes

memoratum Bodl.—54 *simulabat* B. W. superscr. m. sec.—55 *sentum* Vulg.—

NOTÆ

inspirati de Filio sunt locuti.'

56 *Rubum*] Mihi videtur Prudentius duo satis non distinguere. In monte enim Sinai Deus Moysi dedit legem, et in monte Horeb ipsi apparuit in rubo. 'Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui, sacerdotis Madian; cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.' cap. III. Exod.

57 *Comas*] An comas Dei ignis ageret vulnificas, id est vulnerabiles, ut ita loquar, an comas rubi vulnificas ob spinas: coma enim per metaphoram de arboribus, fruticibus, et herbis dicitur ab omnibus poëtis: Ovid. 'Frigidaque arboreas mulceat aura comas:' an comas ignis, i. e. flammas, alludendo ad comam, quæ ut flamma ignis, decus est capitis, et suprema pars, illudque cingit, quæ metaphora durior mihi videtur; apud te sit judicium.

Innoxius ignis agebat] Quare Sedul. lib. I. 'Ignibus innocuis flagrans apparuit olim Non ardens ardere rubus, nec juncta calori Materies alimenta dabat, nec torrida vivens Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu Frondea blanditiæ lambebant robora flammæ.'

58 *In artus Spiniferos*] Tale illud Cypriani lib. de Singular. Cleric. 'Abscindenda sunt ergo de agro vestro cuncta, quæ pungere et lacerare consueverunt, ne animus agricultoris in possessione sua malignis sentibus inseratur.'

62 *Luxuriam*] Plinius XVIII. 17. ponit inter vitia arborum, et segetum luxuriem, redundantiam scilicet germinis: et Cic. de Orat. II. 'Quod si hic noster Sulpitius faceret, multo ejus oratio esset pressior, in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate, inest luxuries quædam, quæ stylo est depascenda.'

63 *Nodos*] Crassior ille callus, circa quem veluti colligati simul rami esse

Cernere erat steriles subito splendescere frondes,
Accensisque citum foliis magno impete late
Collucere Deum, nec spinea lædere texta,
Lambere sanguineos fructus, et poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem tristes purgantur sanguine culpæ,
Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.
Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum
Lumen, imago Dei, Verbum Deus, et Deus ignis;
Qui sentum nostri peccamen corporis implet.
Nam lucis Genitor, Verbi sator, auctor et ignis
Creditur extra oculos, ut Apostolus edocet auctor,
Qui negat intuitu fontem Deitatis adiri:
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
Visibilis, cerni potis est qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est: latet os Patris illud,
Unde Deus: qui visibilem se præstitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale secuta est

infæcundas splendescere illico, et volatilem Deum lucere foliis ardentibus late cum magno impetu, et ignem non lædere contextum spinarum; sed attingere leviter fructus rubicundos, et poma rubra, perstringere germina vitalia ligni funesti. Siquidem perniciosa peccata eluuntur sanguine, quem reddit rubus contorta multis tormentis. Ergo nihil aliud visum fuit, quam lux, imago Dei, quæ debebat videri aliquando vestita carne: quam Verbum, qui est Deus, et ignis Deus, qui implet spinosum peccamen nostri corporis. Nam genitor lucis, Pater Verbi, et auctor ignis creditur non cadere sub aspectum: ut docet Apostolus scriptor, qui negat principium divinitatis posse cerni oculis. Credite mihi, inquit, credite mihi: nullus, nullus est intuitus Deum. Filius exiens de Patre est visibilis, is Pater Filii non est visibilis. Deus, qui factus est homo, potest videri; sed Deus, qui non factus est homo, non potest videri. Occultatum est illud os Patris, quod producit Filium Deum, qui venit olim sub aspectum, assumens sibi rem talem, qualem tormenta,

NOTÆ

apparent, nodus dicitur in arbore. Colum. de Arboribus cap. 3. 'Ejus imam partem, quam in terram demissurus es, acutissima falce juxta nodum sic, ne gemmam lædas, rotunda plaga amputato.'

67 *Lambere sanguineos*] Nempe tangere. Virg. Æn. II. 683. 'Tactuque innoxia molli Lambere flamma comas.' Sanguineos vocat fructus, et cruentos, quia ad sanguinis similitudinem rubent.

72 *Deus ignis*] Quibus aperte declarat poëta non Angelum, sed verum Deum Moysi apparuisse.

75 *Apostolus*] Joannes scilicet cap. I. 'Deum nemo vidit unquam.'

Passio, quæ corpus sibi vindicat: ardua nam vis
Est impassibilis; quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari,
Pura, serena, micans, liquido prælibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum:
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, et ante diem majestas cum Patre summo,
Immo animus Patris, et ratio, et via consiliorum,
Quæ non facta manu, nec voce creata jubentis,
Protulit imperium patrio ructata profundo.
Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis
Aspergunt, alapis non vexat palma relisis:
Nec perfossa cruci clavorum vulnera figunt.
His affecta caro est hominis, quam fœmina prægnans

quæ agunt in unum corpus, secuta sunt. Nam altum numen non subjacet doloribus, quia natura ignis superi non potest descendere ad supplicia terribilia; nec patitur vexari calamitatibus hominum. Illud purum est, tranquillum, coruscum, liberum in motu liquido, subditum nulli; quia est Dominus rerum omnium; illud non incœpit esse in tempore, sed erat Deus æque ac Pater æternus ante omne tempus, et antequam dies numerarentur; quinetiam erat animus Patris, et ratio, et via consiliorum; illud non fuit formatum manibus, nec creatum una voce Dei jubentis, sed emissum ex imo corde Patris protulit imperium. Ergo virgæ non lacerant illud; sputa non inquinant saliva; manus non lædit colaphis elisis, et plagæ factæ ex clavis, dum pendebat de cruce, in illud non penetrant. Sed corpus hominis, quem virgo gravida peperit ex utero secundum consuetudinem, sed sine conjuge, est



78 *Deusfons* Weitz.—83 *vendicat* Weitz.—91 *ratio, via* Put. T. Torrent. duo.—

NOTÆ

87 *Liquido motu*] Alludit ad Deum volitantem inter flammas rubi, et illæsum. Atque hoc exemplo utitur, ut ostendat carnis vitia nullo modo nocere Deo, licet sit in medio sanguinis, qui, quod liquidus est, movetur, et cujus motus signum est vitæ, et principium; unde antiqui philosophi docuerunt animam esse in sanguine. Ne quis tamen existimet poëtam credidisse divinitatem non aliter conjunctam fuisse corpori, quam rubo; quin immo infra oppugnat hunc errorem, et refutat.

91 *Via consiliorum*] Juxta illud Isaiæ cap. IX. 'Vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis.' Quod Lactantius diserte IV. 6. explicat: 'Idcirco autem illum Trismegistus δημιουργὸν τοῦ Θεοῦ dixit: et Sibylla σύμβουλον appellat, quod tanta sapientia et virtute sit instructus a Deo Patre, ut consilio ejus et manibus uteretur in fabricatione mundi.'

Enixa est sub lege uteri, sine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, et haurit acetum:
Ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.
Dicite, sacrilegi doctores, qui Patre summo
Desertum jacuisse thronum contenditis, illo
Tempore, quo fragiles Deus est illapsus in artus:
Ergo Pater passus? quid non malus audeat error!
Ipse puellari conceptus sanguine crevit?
Ipse verecundæ distendit Virginis alvum?
Et jam falsiloqua est divini pagina libri,
Quæ Verbum in carnis loquitur fluxisse figuram?
At non, qui Verbi Pater est, caro factus habetur.
Fige gradum Scriptura tuum; nil mobile et anceps

obnoxium his omnibus. Is homo conficitur fame, potat fel, et bibit acetum, is formidat imaginem mortis, is timet supplicia. O doctores sacrilegi, qui asseritis solium cœleste derelictum fuisse a Patre æterno illo tempore, quo Filius Deus induit artus humanos, dicite, ergo Pater passus est? Quid non audeat prava hæresis? Ergo Pater ipse formatus sanguine Virgineo adolevit? Ergo ipse implevit uterum Virginis pudibundæ? Folia igitur sacrorum Bibliorum sunt mendacia, quæ docent Verbum accepisse speciem hominis? Sed Pater, qui est Pater Verbi, non dicitur factus homo. O sacra Scriptura, firma dicta tua: non decet asseruisse ali-

97 *quem* P. C.—98 *Enisa* Put.—103 *inlabsurus* Put.—105 *Ille* Weitz.—115

NOTÆ

102 *Thronum*] Thronus, mere Græca vox, nec usitata Latinis. Extat enim apud Plinium solummodo in xxxv. 9. 'Magnificus est Jupiter Zeuxidis in throno, astantibus Diis.'

104 *Ergo Pater passus*] Patripassianorum enim hæresim duplici argumento refellit. Quorum primum est, quo antiqui Patres usi sunt, videri non potest Pater, ergo nec pati. Antecedens comprobat testimoniis sacris. Joan. I. 'Deum nemo vidit unquam.' Et VI. 'Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.' Exod. XXXIII. 'Faciem meam tibi videre non licet, neque enim homini fas est videre me, quin vitam amittat.'

105 *Ipse puellari*] Alterum vero ita informatur. Si Pater passus est, ergo induit carnem humanam in utero Mariæ, falsum consequens, ergo et antecedens. Biblia, inquit, ut probet minorem, docent verbum accepisse speciem hominis, nullibi autem Patrem Verbi. Joan. I. 'Verbum Caro factum est.' Quæ admiscentur historiæ Abrahami Gen. XVIII. Moysis Exod. III. trium juvenum Babyloniorum Daniel. III. ostendunt tantum abesse, ut mera et infinita Patris majestas humanis oculis ab aliquo fuerit conspecta, ut ne filium quidem mortalium quis aliter unquam viderit, quam per species, quas possit homo comprehendere visu.

Affirmasse decet: Pater est, quem cernere nulli
Est licitum: Pater est, qui nunquam visus in orbe est.
Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumque recepit
Cum voluit: Verbo perstrinxit viscera puræ
Virginis, et Verbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris virtute et numine præsens
Semper adest quocumque loci: nec pars vacat ulla
Majestate Patris; nusquam est genitor Deus absens:
Per Verbum sed semper adest; atque inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum jam tempore versor,
Et Patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
Est invisibilis donum Patris, edere natum
Visibilem, per quem valeat Pater ipse videri,
Nec solis sanctorum oculis, sed lumine cassis.
Cæcorum cæcos loquor, atra socordia quorum
Corde tenebroso verum perpendere nescit.
Quem si perspicuum mortalibus infitiaris,
Fare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus

quid mutabile et dubium. Pater est is, quem fuit licitum nemini videre: Pater est is, qui nunquam fuit visus in hoc mundo, et qui non fuit conspicuus hic oculis humanis. Dedit suum Filium visibilem, et, cum voluit, recepit Filium quem dederat; implevit Filio viscera castæ Mariæ, et formavit Filio corpus puerile. Profecto ipse Pater est semper præsens in omnibus locis terræ potestate, et immensitate; et nullus locus est vacuus a divinitate Patris; Deus Pater in nullo loco abest. Sed semper adest per Filium, quare Filius dicit Philippo: Vivo tecum jam a longo tempore, et affirmas te non cognoscere meum Patrem, quem vides in me? Est munus Patris invisibilis reddere suum filium visibilem, per quem Pater ipse possit cerni, non solum oculis piorum, sed oculis privatis luce; intelligo cæcos cæcorum, quorum improba desidia non potest investigare veritatem cum corde cæco. Si negas illum fuisse visum ab hominibus, dic age, quis sit ille quem Nabuchodonosorus

perstrinxit T.—118 *ubicunque loci* C. Eg. P. *et ubique loci* Ro. in marg.—128

NOTÆ

118 *Quocumque loci*] 'Deus enim,' ait Philo lib. II. Allegor. legis, 'implet omnia, penetrat omnia, et nihil omnino seipso vacuum relinquit. Et quem locum occupabit quis, in quo non sit Deus?' Hinc Trismegistus vult 'mundum esse vas divino numine plenum.'

120 *Philippo*] 'Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem.' Joan. cap. XIV.

129 *Tyrannus*] Nabuchodonosorus, elatus successibus, primum coli se pro Deo voluit, ingentique sibi, ut quibusdam placet, ex auro erecta statua, nu-

Innocuas inter flammas procul expatiantem,
Calcantem rapidos inadustis fratribus ignes.
Nempe ait: O proceres, tres vasta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus; additus unus
Ecce vaporiferos ridens intersecat ignes.
Filius ille Dei est; fateorque et victus adoro:
Irrisas removete faces, tædasque tepentes
Subtrahite: frìget succensi sulphuris ardor.
Filius (haud dubium est) agit hæc miracula rerum;
Quem video, Deus ipse, Dei certissima proles.
Imperat immensis ardoribus, et domat iras,
Insultans famulante rogo, piceosque furores
Comprimit, et rabiem flammarum algescere cogit:
Barbaricos calida aura sinus non tangere jussa
Præterit, et tenues stridens transcurrit amictus.

videt ab arce Babylonis ambulantem procul inter flammas non lædentes, et proterentem ignem ferventem, quo tres fratres non concremantur. Nam inquit, O aulici, tres homines tantum injecti fuerunt in magnum ignem fornacis, in qua non licet respirare; en quartus additus, qui lætus incedit per flammas vaporiferas. Ille est Filius Dei, et agnosco, et victus adoro illum. Auferte carbones vanos; extrahite titiones inutiles; ecce calor sulphuris accensi frigescit. Filius Dei, id est certum, patrat hus res portentosas; est Deus ipse, quem intueor, Filius Dei certissimus. Is imperat incendiis vehementibus; et igne obtemperante irridens me sistit furorem illius; et frangit vim picis, et adigit rabiem flammarum languere. Ventus calidus, quia Deus jussit vestes pretiosas non lædi, it ultra, et perstringit stridens vesti-

invisibilis F.—127 *verbum* T.—130 *inspatiantem* Weitz.—132 *tris* Put.—135 *fateor quem et victus* G. A. *fateor quem victus* Bodl.—137 *en! friget* Weitz.—

NOTÆ

minis ritu adorari eam jussit. Quam impietatem libere detrectantes Hebræos tres, Ananiam, Azariam, Misaëlem vivos in ardentem fornacem mandavit abjici.

131 *Fratribus*] Non sanguinis, sed gentis, et fidei communione fratres.

135 *Fateorque et victus adoro*] In Oxonio: *Fateor quem victus adoro.*

137 *Subtrahite: friget*] Produci a Prudentio syllabam natura brevem duabus consonantibus subsecutis, idque frequentissimum, jam monui. Quare τὸ *en* non admittendum esse censui: *Subtrahite: en friget.*

143 *Barbaricos sinus*] I. e. pretiosas vestes. Liv. 'Barbarica supellex.' Lucret. 'Vestis barbarica,' quo nomine Phrygiam intelligendum esse monet Turnebus. Unde et barbaricarii in jure civili, textores artificesque barbaricæ vestis, qua ex auro et coloratis filis effigies hominum et animalium exprimuntur. Aliter Phrygiones dicuntur.

Ipse per Assyrios metuit vapor ire tiaras;
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro.
Hæc ait; et varios jubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosque, tubasque.
Stulta superstitio tacuit: vox festa quievit,
Quæ male conspicuæ celebrabat imaginis aurum.

menta subtilia. Flammæ ipsæ metuunt accedere ad pileos Hebræorum, ne capilli sparsi per humeros infuscentur fumo amaro. Nabuchodonosorus ita loquitur; et jubet organa, sambucas, citharas, et fistulas, et tubas, omnes cantus desinere. Ille falsus cultus cessavit, symphonia, qua stulte celebrabant statuam auream positam



145 *Assyrios* Put. *vetitus vapor* Weitz.—153 *Concentu triplici* Weitz.—159

NOTÆ

145 *Assyrios*] Judæi et Assyrii sæpe confunduntur. Europæi enim, regionum illarum ignari, quicquid a mari Sidonio ad Euphratem usque patet, modo Syriam, modo Assyriam vocarunt, et populos modo Syrios, modo Assyrios.

Assyrios tiaras] Apud Claudianum quoque masculino genere: 'Terrisque procul venerandus Eois Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras.' Et apud Virg. Æn. VII. 247. 'Sceptrumque, sacerque tiaras, Iliadumque labor, vestes.'

Tiaras] 'Quartum est genus vestimenti rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, et pars altera ponatur in capite. Hoc Græci, et nostri *τιάραν*, nonnulli galerum vocant. Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comas tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta est constrictum, ut non facile labatur ex capite.' Ita Hieron. ad Fabiolam. Prudentius adhibuit pro quocumque capitis tegmine.

148 *Organa*] Græci illud nomen assumunt pro omni musico instrumento, quod spiritu inflatur. Isidorus II. 20. Mathem. de secunda divisione, quæ organica dicitur, multa scribit. Quibus satis intelligitur apud antiquos organa fuisse ejusdem figuræ, quam apud nos, duo enim organorum erant genera, *ὄργανα ἐμπνευστὰ*, quæ spiritu oris inflabantur, et *ἐντατὰ ὄργανα*, quæ intentione perficiebantur.

Sambucas] Nomen adhuc Græcum, triangulum instrumentum musicum significans, quod ex inæqualibus longitudine sicut et crassitudine nervis efficitur. Suidas: *ὄργανον μουσικὸν τρίγωνον, ἐν ᾧ τοὺς ἰάμβους ᾖδον.*

Citharas] 'Forma citharæ initio similis fuisse traditur pectori humano, quod veluti vox de pectore, ita ex ipsa cantus ederetur, appellataque eadem de causa. Nam pectus Dorica lingua *κιθάρα* vocatur: paulatim autem plures ejus species extiterunt.' Hieron. vero scribit effici in modum Δ literæ cum chordis viginti quatuor, et per digitos ictibus in diversis modis concitari.

Calamos] Calamus arboris genus concavum, et fistulis conficiendis accommodatum.

Tubas] Primum a Tyrrhenis inventa fuit tuba. Virg. 'Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.'

Carmina sanctorum resonant jam sola virorum,
Triplice concentu Regem laudantia cœli:
Qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,
Ignibus et mediis securos texit alumnos:
Semper in auxilium Sermo Patris omnipotentis
Descendit servando homini: mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curavit amore:
Ut socianda caro, Dominoque implenda perenni,
Degenerem vitam, quæ tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret heri, similesque per artus
Cernere consortem terreni assuesceret oris;
Participemque suum visu velut obside nosse,
Et consanguineo paulatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam: nunc Spíritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
Nunc nova materies, solidata intercute flatu,
Materies, sed nostra tamen, de Virgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,

ante oculos, siluit. Jam audiuntur uni cantus sanctorum puerorum, laudantes harmonia trium vocum Dominum cœli, qui creavit mare, et mundum, et stellas micantes, et qui conservavit incolumes suos famulos in medio igne. Filius Patris æterni venit semper auxilio homini servando. Ob suam benevolentiam in nos semper amavit conjungere sibi humana, ut homo conjunctus, et veluti plenus Deo æterno mutaret ad exemplum Domini vitam deformem, quam tunc vivebat more belluarum; et membra similia illum assuefacerent videre Deum participem formæ terrestris, et cognoscere suum socium vultu tanquam obside, et appropinquare sensim ad Christum suum fratrem. Homo ergo fuit olim carnalis; nunc vero Sanctus Spiritus evexit illum hominem ad naturam essentiæ divinæ, cum infudit in carnem Deum ipsum, qui purgat quod est humanum. Nunc nova materies corporata Sancto Spiritu illabente in viscera Mariæ, sed tamen nostra materies, formata ex sanguine Virginis, est immunis corruptelæ antiquæ originis, accipiens a suo Sancto Spiritu

quam Weitz. T.—160 H. vs. deest Put. *fragilesque per artus* T. *similesque per actus* Bodl. Ro. Nom. P. Torrent. tres.

NOTÆ

151 *Carmina sanctorum*] Illud canticum notum est omnibus.

156 *Descendit*] Nunc, ut aliis in locis, ad Filium Dei refert ea, quæ alii facta fuisse per Angelos existimant. Ipse Prudentius vers. 23. hujusce libri dicit rationem: ‘Nam Filius hoc est, Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum.’

Immortale bonum proprio spiramine sumens.
Filius ille hominis, sed Filius ille Tonantis,
Jam solus vultum Patris aspicit et videt ipsum.
Nemo Patrem novit nisi Filius, et cui monstrat
Filius, et nostri mediator et Omnipotentis.
Denique concludam brevis ut compendia summæ:
Non Pater in carnem descendit, sed Patris arcem
Sumta caro ascendit. Natus per utrumque cucurrit.

CONTRA UNIONITAS.

Cede, profanator Christi, jam cede, Sabelli,
Depositorque Patris, Natique insane negator.
Nonne Patrem violas, dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet:
Nec vocitare Patrem potis es, quem germine fraudas.
Sed fortasse velis patriæ pietatis honore
Despoliare Deum, contentus nomine nudo,
Quod Deus est, adimasque decus Patris, et generis vim.

bonum immortale. Ille est Filius Virginis, sed ille est Filius Dei, qui unus intuetur faciem Patris, et cernit ipsum. Nullus cognovit Patrem præter Filium, et illum, cui Filius, reconciliator et hominis et Dei, ostendit. Denique definio paucis, veluti compendio horum quæ dixi: Pater æternus non descendit in terram assumens naturam humanam, sed natura humana conjuncta divinæ ascendit in sedem Patris. Filius ivit per utrumque.

O Sabelli, violator Christi, agnosce te victum: O et oppugnator Patris, et stulte eversor Filii, jam agnosce te victum. Nonne deles Patrem, quando non vis fateri esse Filium? Nam nisi sit Filius, non est Pater; neque potes vocare Patrem illum, quem spolias Filio. Esto, velis forte detrahere Deo gloriam amoris paterni, et oppugnes decus Patris, et virtutem generandi, quia Deus est contentus uno no-

NOTÆ

178 *Cede*] Sabellio objicit nihil aliud sentire, quam quod Idololatræ, Philosophi, et barbari credidere, qui omnes ad unum omnem potestatem uni Deo tribuerunt. 2. Deinde ostendit homines testimonio Prophetarum, et animet oculis novisse Christum esse Deum æternum, ergo scelus esse denegare Deo jus, et nomen Patris, qui produxit ex se Christum. 3. Tertio explicat, quid sentiat de Trinitate Ecclesia; unde concludit: ubi est qui gignit, et qui gignitur, ibi est Pater, et Filius; atqui in Trinitate est qui gignit, et qui gignitur, ergo est Pater, et Filius. 4. Denique testimonio Moysis, qui dicit Deum creasse hominem, et ipsi dedisse effigiem Dei, ergo Pater non erat solus, et Deus astabat juxta Deum formantem.

Ecquis in idolio recubans, inter sacra mille,
Ridiculosque Deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum, et super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, et Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio, variis instructa ministris.
Quæ gens tam stolida est animis, tam barbara linguis?
Quæve superstitio tam sordida, quæ caniformem

mine. Sed quis prostratus in fano idolorum inter quamplurima sacrificia, et adorans falsos Deos sale, ara, thure, non credit esse unum Deum omnipotentem, et supra omnia? Quanquam voveat aras fumosas Saturno, Junoni, Veneri, et aliis monstris, tamen quoties spectavit cælum, tribuit omnem potestatem uni Deo, cui obedit varius ordo Angelorum, qui constat ex pluribus famulis. Quis populus est adeo inops mentis, adeo barbarus sermone? Aut quæ superstitio est adeo cæca, ut collocet in throno

186 *Et quis* Weitz. *Nec quis* Eg. *Ut quis* W. sed *Et* superscr.—197 *aut*

NOTÆ

186 *Idolio*] Εἰδωλεῖον, fanum, quo idola coluntur. Paulus 1 Cor. VIII. *Ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε, τὸν ἔχοντα γνῶσιν, ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον*, 'in idolio recumbentem.' In templis usitata fuit incubatio religionis causa; quod ex Plauto constat.

188 *Solum*] Ac si diligenter hæreseon antiquarum historias perlustrare volueris, et eorum, qui de his commentati sunt, velut Epiphanii, Theodoreti, aliorumque scripta legere; scies nullam fere illarum extitisse, quæ non plures Deos constitueret, in iisque præcipuum aliquem, et summum conditorem ceterorum, ac moderatorem. Hesiodus apud Clementem Alexandr. 'Ipse etenim rex cunctorum dominusque gubernat Numina: non Deus huic alter contendere possit.' Sophocles: 'Unus profecto est, unus est tantum Deus: Plerique nostrum mente sed capti Deum Simulacra nobis, ceu mali solatium, Consecravimus.'

189 *Cythereis*] Veneri, cui dicata sunt Cythera, insula Mediterranei maris.

191 *Attamen in cœlum quoties suspexit*] Cicero ipse Orat. de Haruspic. respons. eodem utitur argumento: 'Etenim quis est tam vecors, qui aut, cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat?'

193 *Virtutum ratio*] Omnes interdum Angelorum ordines ordinis cujuspiam vocabulo nuncupantur, maxime Angelorum; quia non extremi tantum ordinis spiritus, sed supremi etiam, allegari nonnunquam ad homines, et nuntiorum fungi munere, complures existimant. Ac 'Virtutum,' quia beatæ illæ mentes tria hæc habent, essentiam, vim sive virtutem, et efficientiam. Unde Hilarius universe sic accipit lib. III. 'Virtutes in cœlo plures sunt, et efficientes, et æternæ: sed unus Unigenitus est Filius.'

Latrantemque throno cœli præponat Anubem?
Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra Deabus
Dat solium, quamvis olidam persolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus rimetur et exta.

cœli Anubin caniformem et latrantem? Nullus dat solium super stellas Deabus Cloacinæ aut Eponæ, licet veneretur acerra olenti, et quærat manibus scelestis ima

Tiphonæ Bodl. Nom. *aut Hippo* Vulg.—198 *solidam* Weitz.—201 *hircosos* Cy-

NOTÆ

196 *Anubem*] Inter præcipna Ægyptiorum numina Osiris rex, ejusque uxor Isis, et Anubis recensentur. Quia autem gestabat canem, tanquam armorum insignia, ut vult Diodor. vel quia venator erat, sub forma canis illum coluerunt; ἄνουβις enim lingua Ægyptiaca dicitur canis. Alii putant Mercurium coluisse Ægyptios sub forma canis.

197 *Cloacinæ aut Eponæ*] Aut Hippo. Sic et Hippo pro Epona apud Fulgentium de vocabulis antiquis, ubi inter Semones recenset Priapum, Eponam, Vertumnum. Apud Juvenal. Sat. VIII. 'Jurat Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.' Ubi turbant simili modo vetusti codices. Quorum plerique *Hippo*, *Yponami*, et *Ypona*. Nam præerat illa stabulis. Unde et apud Apuleium Metamorph. III. 'Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Eponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis, et quidem recentibus fuerat ornatum.' Fit et Eponæ Deæ bis mentio in Gruterianis inscriptionibus. Giselinus rejicit hanc Scripturam, quod, ut ipsiusmet verbis utar: 'Scioli barbaram vocem substituentes media longam corripuerint. Sed quam male, quis non videt?'

Cloacinæ] L. Cœlius Lactantius Firmianus I. 20. de Diis Romanorum propriis, et eorum sacris agens hæc habet: 'Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit; et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.'

198 *Olidam*] Juvenalis, in mentione hujus Deæ, eodem epitheto utitur, cum Damasippus sacrificans Jovi 'Jurat Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.' Si præsepibus simulacra fuerint vicina, nil mirum olidas fuisse acerras.

Acerram] Arculam thurariam, scilicet ubi thus reponebant. Festus male vult etiam sumi pro ara, quæ ante mortuum poni solebat, ut notat Dacerius. Virg. Æn. v. 745. 'Et plena supplex veneratur acerra.'

199 *Molam*] Mola placentæ quædam species, quæ fiebat et sale illius anni, et farre salso, tosto, et molito, unde mola appellabatur: et victimæ dicebantur immolari, quia et frons victimarum, et foci, et cultri hac mola spargebantur. Virg. Ec. VIII. 'Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.' Virgines Vestales tres maximæ ex Nonis Maiis ad pridie Idus Maias alternis diebus spicas adoreas in cornibus messuariis ponunt, easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre Virgines ter in anno molam faciunt; Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto, et sale duro.

Exta] Victimarum interiora, quæ

Consule barbati deliramenta Platonis:
Consule et hircosus Cynicus quos somniat, et quos
Texit Aristoteles tota vertigine nervos.

viscera, et imam molam. Consule deliria barbati Platonis: consule quoque subtilitates, quas obsceni Cynici somniant, et quas Aristoteles concinnat flexis ambagibus.

****

nicos F. G. W. B. *quos* Put. F. G. W.—202 *Aristotelis* W.—203 *laberinthus*

NOTÆ

maxime extant, cor, pulmo, lien, jecur. In sacrificiis exta celeriter extrahebantur, et adhuc spirantia ac palpitantia inspiciebantur. Ex quibus colliges hæc tria semper conjungi. Lactant. VII. 6. 'An ut illis far, et merum demus, et odorem thuris, et sanguinem pecudum.' Prudent. sup. vs. 187. 'Deos venerans sale, cespite, thure.'

200 *Barbati*] Inter philosophorum insignia, promissa barba, atque in pectore propexa, nobilissimum fuit, ac certissimum. Unde illud: 'Si promissa facit prudentem barba, quid obstat Barbatus possit quin caper esse Plato.'

Deliramenta] Licet enim tam elegantes, tam copiosos dialogos scripserit Plato; Phædrum tamen, et Symposium, aliaque ipsius opera esse deliramenta, meraque commenta, quod nec fidei luminibus, nec veritate nitantur, dicere possumus. Quare apud A. Gell. I. 9. legere est: 'Est etiam, pro Jupiter! qui Platonem legere postulet, non vitæ ornandæ, sed linguæ orationisque comendæ gratia, nec ut modestior fiat, sed ut lepidior.'

Platonis] Plato divinus ille Philosophus, quem ex aëria mente susceptum a patre ferunt, cujus in cunis parvulo dormienti apes in labellis consederunt, singularis in dicendo suavitatis præsagium, natus est Athenis anno primo Olympiadis 88. qui ante Christum est 428. Socrati primum 7. annos operam dedit: tum longinquis in peregrinationibus alios alibi audivit. Reversus in patriam Aristotelem habuit discipulum. Obiit ætatis anno 66.

201 *Hircosus*] Obscœnus, libidinosus, aut tetrum olens instar hircorum. Juven. Sat. III. 'Hic aliquis de gente hircosa centurionum.'

Cynicus] Cynici Philosophi, sectatores Antisthenis, sive a Cynosarge gymnasio, sive ab eo, quod canum more in propatulo coire non dubitarent, quemadmodum de Crate et Hipparchia tradit Laërtius. Ii soli morali innitebantur. Lactant. III. 15. de Philosophis, et vera sapientia: 'Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, si a canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt?' Diogenes ex hac secta fuit.

202 *Aristoteles*] Philosophorum Princeps, Stagiræ in Macedonia natus, Platonis auditor, præceptor Alexandri. Ejus mors incidit in annum ante Christum trecentesimum-vigesimum.

Tota vertigine] An de sorite, in quo ex uno concesso ad multas conclusiones connexas assurgitur; an de Pseudomeno, qui fallaci stropha disserentes implicat, intelligendum sit, dubium est. Id unum constat, Poëtam loqui de dialectica, cujus

Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error
Circumflexus agat, quamvis promittere et ipsi
Gallinam soleant, aut gallum, clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum ;
Cum ventum tamen ad normam rationis et artis,
Turbidulos sensus, et litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in unum,
Cujus ad arbitrium sphera mobilis atque rotunda
Volvatur, serventque suos vaga sidera cursus.
Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille
Non sit, et erecto spectet cœlestia vultu ;

Quanquam labyrinthus anceps, et error ambagiosus illudat hos omnes: quanquam et ipsi soleant vovere Gallinam, aut Gallum, ut Deus Æsculapius velit se præstare propitium morientibus. Tamen, cum se dirigunt ad regulam rationis, finiunt et opiniones intricatas philosophiæ, et argumenta controversa modis difficilibus; tribuendo omnia uni Deo; cujus ad voluntatem cœlum mobile, et rotundum vertatur, et stellæ palantes agant suos cursus. Natura hominis non patitur, modo homo intueatur cœlum oculis erectis, nec fiat moribus tanquam bellua, non patitur, inquam, ut neget



Weitz. B. W. sed in W. *laborinthus* superscr.—207 *Convertunt t.* Weitz.—

NOTÆ

principia tam belle, tam scienter docuit Aristoteles; præcipue vero ut sophismatum fallaciæ dignoscerentur. Quorum ambages et circuitus Cicero Acad., IV. exprimit: 'Atqui habebam molestos vobis, sed minutos, Stilbonem, Diodorum, Alexinum, quorum sunt contorta et aculeata quædam sophismata.'

205 *Gallinam*] Æsculapio ab antiquis, dum mors imminebat, gallus immolabatur. Lactant. de falsa sapientia III. 20. 'Quis jam superstitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quos Socrates Athenis auctoritate confirmavit sua? Illud vero nonne summæ vanitatis, quod ante mortem familiares suos rogavit, ut Æsculapio gallum, quem voverat, pro se sacrarent? Timuit videlicet ne apud Rhadamanthum recuperatorem voti reus fieret ab Æsculapio.' Quæ omnia ipse Plato retulerat prius.

Clinicus] Κλινικὸς medicus qui in lecto decumbentes invisit. Martial. 'Sotæ filia Clinici;' ἀπὸ τῆς κλίνης, unde et *Clinice* medicina dicta ab ipso Plinio. Æsculapius vero κατ' ἐξοχὴν Clinicus appellatur, sive quod ægris lecto affixis opitulari credatur, sive quod medicinæ, nempe Clinices, auctor sit, et repertor.

209 *Numen in unum*] Id enim adeo omnibus hominibus est a natura insitum, ut vel inviti unum esse Deum fateantur, nec ignorare possint. Sed de his satis vs. 188.

210 *Sphera*] Σφαῖρα, figura in rotundum formata, partibus cunctis æqualis in solidum. Isidor. XIII. 5. 'Sphæra cœli dicta, eo quod species ejus in rotundum formata sit: sed et quicquid tale est a volubilitate sphæra a Græcis dicitur, sicut et pilæ, quibus ludunt infantes.'

Non recipit, neget ut regimen pollere supremum.
Istud et ipse Numæ tacitus sibi sensit haruspex,
Semifer et Scotus sentit, cane milite pejor.
Sed nos qui Dominum libris et corpore jam bis
Vidimus, ante fide, mox carne et sanguine coram,
Quique voluminibus vatum, cruce teste, probatis,
Rimantes digitos costarum in vulnera cruda

esse supremum gubernatorem. Et Augures ipsi creati a Numa senserunt illud intra se; et Scoti semiferi crudeliores quam canes castrenses sentiunt. Sed nos, qui jam bis vidimus Christum, semel testimonio scriptorum, et semel vestitum corpore; olim fide auctorum, nunc ob oculos in carne et sanguine; nos qui, postquam crux testis fecit fidem librorum Prophetarum, misimus digitos exploratores in vulnus re-

---

208 *Turpidulos* Eg.—216 *Cottus* Weitz. W. B. superscr. *Gothus* F. B. a m.

NOTÆ

215 *Numæ haruspex*] Numa rex secundus, qui Romanos bello ferociores ad humaniorem vitam religionis specie transtulit, Pontifices, Augures, Salios, ceterosque per sacerdotia descripsit. Quare Prudent. vocat Haruspices Numæ. Regnum, quod 43. annos tenuit, auspicatus est annis ante Christum 651.

Haruspex] Ne longior sim, cum de his multa multi scriptores dixerint, breviter indicare satis erit. Auguriorum igitur quinque potissimum genera recensentur; unum e cœlo, alterum ex avibus, ex pullis tertium, quartum ex quadrupedibus, quintum ex diris peti solebat. Nam ad Augures pertinuit ex cantu volatuve avium, aut ex pullorum tripudiis, aut ex hostiis inspectis futura præsagire.

216 *Semifer et Scotus*] Cum omnes nationes paulatim mitescerent, deque ferinis moribus, et victu nonnihil remitterent, idque vel usu aliarum gentium, et commercio, vel sacra Christi fide annunciata, soli Scoti etiam tum sibi similes perstiterunt, æque scilicet feri ac bruti: ut testatur S. Hieron. lib. II. contra Jovian. ‘In Gallia vidi Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, et cum per sylvas porcorum greges, ac armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates, et fœminarum papillas solere abscindere, et has solas ciborum delicias arbitrari.’

Scotus] Non *Gothus;* omnes enim uno consensu primam in *Gothus* corripiunt. Scotia autem ab Anglia ad Ortum Tueda, ad Occasum Solveo flumine diremta.

Cane milite] Quod semper inter cadavera degant, atque alantur sanguine canes Castrenses, rabidi sunt, et crudeles. Apud nos videmus idem accidere canibus laniariis.

217 *Libris*] Intellige Vetus et Novum Testamentum, Prophetarum libros, ac scripta Apostolorum.

220 *Rimantes digitos Mersimus*] Thomæ incredulo Christum, quis esset, explorandum quodammodo ac periclitandum, et tractandum manibus dedisse omnes sciunt. ‘Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.’ Joan. c. XX.

Mersimus, et manuum visu dubitante lacunas
Scrutati, æternum regem cognovimus Jesum,
Abjurare Deo titulum nomenque paternum
Credimus esse nefas, qui regem protulit ex se:
Non regem populi Parthorum, aut Romulidarum,
Sed regem summæ, et mediæ rationis, et imæ,
Atque ideo rerum dominum, et super omnia regem.
Carnis habet medium, summum Patris, et Stygis imum.
Defluit his gradibus, rursusque revolvitur in se:

cens lateris; et quia vix credebamus oculis, investigantes foramina manuum, novimus Christum esse Deum æternum; putamus esse scelus denegare Deo jus et nomen Patris, qui produxit ex se Regem: non quidem Regem gentis Parthicæ aut Romanæ, sed Regem supremæ stationis, et mediæ, et infimæ, ergo Dominum omnium rerum, et rectorem omnium rerum. Possidet medium carnis, summum Patris, et infimum Inferorum. Descendit his gradibus, atque iterum redit ad se. Est Deus, et est



sec.—218 *fidem* P.—219 *Quinque* A. Eg.—223 *Deum* P.—226 *regionis* Gif.

NOTÆ

222 *Cognovimus Jesum*] Semel atque iterum in eundem errorem incidit alibi. 'Utque homini, atque Deo medius intervenit Jesus.' Psychom. 766. 'Bile sub obliqua, pretiosam proderit Jesu Impendisse animam.' Ibid. 779.

225 *Parthorum*] Parthi Asiæ populi eas regiones olim occuparunt, quæ jam dicuntur 'Arach,' provincia Persidis, et Zagathea, Tartariæ ditio.

226 *Regem summæ, mediæ, et imæ*] Ut refutet Marcionem, qui teste Epiphanio lib. I. contra hæreses, hæresi 42. tres Deos agnovit, unum invisibilem, invisibilium conditorem, alterum visibilem, mundi hujus auctorem, tertium vero diabolum inter utrumque medium.

Rationis [*Stationis*] Stant pro hac scriptura membranæ constanter. Ita 'stationem' pro imperio terrarum Lucanus videtur posuisse apud Neronem: 'Cum tu statione peracta Astra petes serus.' Sic et Tiberio Velleius Paterculus apprecatur, ut 'longissima statione mortali fungatur.' Quare haud legendum esse, *rationis*, censui.

228 *Carnis medium*] Tria veluti imperia, seu tabulata, ponit Prudentius; quorum primum occupat divinitas, alterum humana natura, Orcus ultimum. An quæ sequuntur, jam indigent interpretatione? Christus Deus naturam humanam induit, atque actus in crucem mortem obit, petitque Inferos. Quid clarius? Quid apertius? Deus est, ergo jure sibi vendicat supremam stationem: verus est homo, ergo mediam ipsi stationem denegare non possumus: Tartarum, Patresque limbi adit, ac reducit; nonne ergo dominationem habuit in Inferos? Audi Fortunatum: 'De Patre natus habens divina, humanaque Matre, De Patre sublimis, de genitrice humilis.' De Styg. in Psych.

Est Deus, est et homo: fit mortuus, et Deus idem est.
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
Ut sursum Patris in gremium replicata reportet
Mortua quæ fuerant, ipsos quoque subvehat artus.
Hæc fore cum veterum cecinissent organa vatum;
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela
Experti, heroum tandem intelleximus orsa
Priscorum, et viso patefacta oracula Christo.
Hæc est nostra salus, hinc vivimus, hinc animamur:
Hoc sequimur; nunquam detracto nomine nati
Appellare Patrem, Patris et sine nomine nunquam
Natum nosse Deum; nunquam nisi Sanctus et unus

homo: moritur, tamen idem est Deus. Explet cuncta officia naturæ infimæ, ut referat sursum in sinum Patris recollectum id omne quod perierat, atque etiam evehat corpus ipsum. Cum antiqui Prophetæ annuntiavissent in cantibus hæc eventura, nos convicti nostris oculis, nostris manibus, illius incessu, voce, sermone tandem agnovimus ea, quæ veteres heroës cœperant referre, et oracula patefacta Christo viso. En principium nostræ salutis, hinc vivimus, hinc animamur. Observamus illud, nempe nunquam nominare Patrem, quin nominemus Filium; et nunquam nominare Deum Filium, quin nominemus Patrem; nunquam nominare et Patrem, et Filium,

Ind. Lucr. *stationis* Heins. in not. Delph.—230 *et fit mortuus* B.—232 *Et* A.

NOTÆ

232 *Reportet Mortua*] Illud potest referri ad Sanctos et Patriarchas, qui Jesum reviviscentem et prævium secuti sunt, qui exierunt e monumentis, qui sua recepere corpora, et cœlum ascenderunt; vel ad Corpus ipsum Christi, quod in cœlum evexit, transtulitque die Ascensionis; vel denique ad omnia hominum corpora, quæ virtute et meritis Christi mortem illudent, teste Apostolo ad Corinthios.

235 *Nos oculis, manibus, congressu*] Ne color ullus, prætextusque superesset ambigendi, quin verus esset homo, non vero phantasma, nunc viator et hospes, nunc obsonator et conviva visus est, ita ut per triginta annos et amplius sese obtulerit videndum, fuerit obnoxius omnibus ærumnis, doloribus, atque infirmitatibus.

241 *Nisi sanctus et unus Spiritus intersit*] Ab ipsis Apostolorum temporibus fideles id cecinisse, et absque scripto ecclesiæ traditum, atque ab omnibus Catholicis ubique usurpatum S. Basilius pluribus docet; neque etiam putat a Concilio Nicæno fuisse statutum, ut hymnus: 'Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto' in fine cujusque Psalmi caneretur; siquidem post hanc Œcumenicam synodum diversæ fuerunt diversarum ecclesiarum consuetudines. Sed contra Arii blasphemias consensu tam Orientalis quam Occidentalis ecclesiæ synodus addidit: 'Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, amen:' ut habetur

Spiritus intersit, natumque Patremque vocare:
Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu
Tres faciam; tribus his subsistat sed Deus unus.
Nec Pater ipse autem qui Filius: ut, quia Natum
Scimus ab Innato, vere Pater, et sata vere
Sit soboles: nec sit genitor sibi Filius ipse.
Perquam ridiculum est et futile, natus ut ex se;
Sive Pater natus fuerit, sive ipse repente
Nascendi nova materies, ac se Deus ultro
Ediderit, natumque sibi se fecerit ipsum.
Nil falsum aut mendax divina vocabula fingunt.
Qui Pater est, gignendo Pater: tum Filius, ex hoc
Filius, auctore quod sit genitus Patre summo:
Summus et ipse tamen: nec enim minor, aut Patre dispar.
Unde in utroque operis forma indiscreta, nisi omnem
Vim majestatis Patriæ generosus haberet

quin ponamus Sanctum Spiritum et unum. Tamen volumus has Personas esse tres, ita ut non admittamus tres Deos discretos disjunctione integra, sed illæ tres Personæ efficiant unum Deum. Verum persona Filii non est persona ipsa Patris; ut sit verus Pater, et sit verus Filius productus, nec Filius producat se ipsum, nam scimus Filium productum fuisse ab innato. Est res maxime ridicula et futilis velle, ut Filius se producat; aut Pater fuerit Filius; aut Deus ipse subito et sponte ediderit se, et se fecerit suum Filium. O nova ratio nascendi. Hæc nomina divina nihil significant falsum et mendax. Pater est Pater quia gignit; et Filius est Filius ex hoc, quod gignatur a Patre, scilicet a Patre summo. Tamen Filius est summus, nam est æque potens, et idem ac Pater. Unde enim uterque daret similem speciem suis operibus, nisi Filius inclytus haberet eandem

Eg. *rursum* Weitz.—247 *sobolis* Eg. *suboles* Weitz.—248 *futtile* Eg. Weitz. H. vs. sequenti postponitur Weitz.—254 *Auctore quod* esse in Vatic. præstantioribus ait editor Parmensis. *auctore ut genitus qui sit* Weitz. Delph. *auc-*

NOTÆ

in Concilio Vasensi primo, seu Vasionensi dicto, celebrato in Gallia temporibus Constantii imperatoris sub Nectario episc. Viennensi. Annal. eccl. ad ann. 325.

245 *Nec Pater ipse autem qui Filius*] Non quod Pater et Filius diversam habeant substantiam; natura enim una est atque eadem; sed prædicata illa notionalia, ut loquuntur Theologi, Paternitas, Filiatio, spiratio inter se distinguuntur, ita ut dici non possit Pater est Filius, Filius est Pater. Unde Concil. Lateran. 'Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta.'

248 *Perquam ridiculum est*] Omnes hunc præponunt illi, *Sive Pater natus fuerit.* Quem sic constituit Puteanus, *Sive supernatus fuerit.* Supernasci verbum elegans, quo Plinius usus est XIX. 8. 'Et succo ejus profluenti supernasci caulem.'

Filius, idque Deus genitor, quod Filius, esset?
Pergunt ulterius scrutantes, quid sit idipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta diesque
Prævenit antiquos, et principium super ipsum
Eminet, et, quodcumque potest homo quærere, transit.
Cum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generavit, unus et unum,
Integer integrum: non cœptum, sed tamen ortum,
Et comperpetuum retro Patris, et Patre natum.
Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset
Filius, extendens nec se substantia tractim

virtutem quam Pater suus; nisi Pater æternus esset id, quod est Filius? Ultra progrediuntur quærentes, quid intelligamus per illud gignere; si licet erigere cogitationes humanas ad mysterium, quod antecedit omnia sæcula, et primos dies, et non novit aliquod initium, et præcedit id omne, quod homo potest concipere. Cum sit tam arduum agnoscere prima semina elementorum; quisnam homo poterit investigare ea, quæ Deus gesserit ab omni ævo? aut quomodo genuerit Filium, qui non habet principium? Scimus id unum, nempe esse scriptum Filium esse Deum, quem Pater non genitus genuit. Unus genuit unum: totus totum; qui non incœpit, licet ortus sit; qui semper ante fuit æternus æque ac Pater, licet sit productus a Patre. Tamen Pater non est sectus, ita ut Filius sit pars Patris; nec substantia

tore genitus quod sit Heins. In ed. Parm. totus versus sic exhibetur, *Filius, auctore quod genitus sit Patre summo,* errore typogr. ut videtur: ergo mutavimus.—259 *quod* Eg.—260 *tendere gressus* Weitz. Eg. P. Bodl. in marg.—262 *Sprevit* P.—268 *Deum quem* Weitz. Delph. *Deumque* A.—271 *retro patri, sed* Weitz. *patris retro sed* F. *patri retro* B. *patri retro*

NOTÆ

264 *Principiorum Semina*] Modo quis Philosophorum scholas paulisper frequentarit, sane quot in varias sententias de hac re iverint, non ignorabit. Illud æternæ noctis chaos, illa materia prima, atomi, et vacuola testantur. Supra captum, intelligentiamque hominum id videtur, omnia una Dei voce ex nihilo posse emergere: 'Dixit et facta sunt.'

268 *Hoc solum scimus*] Unde Clemens Alexandrinus in quinto Stromat. Quoniam enim cujusque rei principium invento difficile est, omnino primum et antiquissimum omnium principium ad demonstrandum erit difficile. Quare Poëta: 'Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus.' Nam, qui aliter de hac divina essentia disputant, facile in errorem incidunt.

Produxit, minuitque aliquid de numine pleno;
Dum mutata novum procudit portio Natum.
Non convertibilis, nec demutabilis unquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit: atqui
Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sine lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando est, ut proditus ignis
Ignem deminuat? quando Pater et Deus et lux,
Non lucis Deus et Pater est? qui, si Pater olim
Non fuit, et serum genuit post tempora natum,
Fit novus, inque novum jus proficit? absit, ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus, et genitor, lumenque et gloria semper
Ille fuit: nec post sibi contulit, ut Pater esset.

Patris produxit Filium se explicans in proceritatem, aut sustulit aliquid de integra divinitate, cum portio mutata gignit Filium novum. Deus non potest converti, nec mutari; nec se nudat aliqua re, cum gignit; sed est Deus totus ex toto, est lumen de lumine. Sed, inquies, quando lumen est sine lumine? Quando lux splendens non habet splendorem? Quando igitur ignis genitus attenuat ignem? Quando Pater, et Deus, et lux, non est Deus lucis et Pater? Quomodo Filius fit novus, quomodo nova persona producitur, si Pater non fuit aliquando Pater, et si non genuit post aliquod tempus Filium suum tardum? Absit ut concedamus plenitudinem accedere huic, qui non potest accrescere. Pater semper fuit et Deus, et Pater, et lumen, et gloria, nec sibi dedit Filium in tempore, ut Pater esset. Quare

et Heins. in not.—273 *tactim* Eg.—277 *atque* A.—280 *prodigus* Weitz. Gif. Ind. Lucr. p. 483.—281 *diminuat* Weitz.—290 *dubites* Weitz. W. B.—293 *et*

NOTÆ

275 *Portio Natum*] Extiterunt nonnulli Hæretici, qui e tribus Trinitatis Personis nullam dici adæquate Deum ausi sunt docere, sed quamlibet esse partem Dei cum duabus aliis constituentem Deum.

278 *Totus et ex toto Deus*] 'In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.' Joan. I.

280 *Proditus ignis*] Apud Nasonem de igne, 'Lumine qui semper proditur ipse suo:' proditus ignis, hoc tamen loco, qui porro extenditur. Sic Nonius illud Maronianum accepit, 'genus alto a sanguine Teucri Proderet.'

287 *Post sibi contulit*] Quanquam adversus Unionitas agat Prudentius, Arii tamen impia dogmata egregie refutat, cum, quid sentiat Ecclesia, quid Concilium Nicænum, tam fuse recenset. Quid enim Arius? Audi Alexandrum apud Socratem I. 13. et Theodoretum I. 4. 'Docuit Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum non esset Pater; non ab æterno Verbum Dei fuisse, sed ex nihilo ortum esse; nam Deum qui est, eum cum non erat, ex

Sic fit, ut æternum credamus cum Patre Christum,
Illo auctore satum, cui nullus præfuit auctor.
Hæc tu si dubitas nati mysteria Christi,
Perdite, catholica non es de plebe, sed unus
De grege thurifero venerator, Deucalionum
Devotus cippo, ficulni et stipitis unctor.
Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurre scrinia primi
Scriptoris: quem non Bardus pater, aut avus augur

dicimus Filium esse æternum cum Patre, productum fuisse ab illo Patre, quem nullus Pater produxit. Si tu nutas in illis mysteriis generationis Filii, o miserande, non es de gente Christiana: sed unus es ex iis qui ingerebant thura idolis; es cultor statuarum Deucalionis; unctor trunci ficulni. Ah potius investiga mysteria Dei in fonte ipso antiquitatis: evolve libros primi scriptoris, qui nec dicit id, quod spectat Deum, a patre poëta, aut ab avo vate, nec ab altrice loquacissima, nec ex

deest Bodl. *auctor* P. superscr.—295 *et scrinia* Fuld.—301 *eloquio* Weitz.—

NOTÆ

eo quod non est procreasse, et propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. Creatum enim, et factum esse Filium, eundemque neque essentia Patri similem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram ejus sapientiam esse, sed per abusionem Verbum, et sapientiam dici,' &c. Vide Baron. ann. 318.

292 *De grege thurifero*] Nam venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. Joan. IV.

De grege] Ita Cicero in Q. Cæcil. 'Nisi quem forte ex illo grege Oratorum.'

Deucalionum] Vult ipsiusmet Deucalionis filii Promethei, atque Pyrrhæ mariti statuas coluisse veteres, quod is, cessantibus diluvii aquis, humanum genus perditum restituisset, conjiciens post tergum jussu oraculi lapides, qui in mares vertebantur. Vel forte intelligit falsos quoscumque Deos, qui Deucaliones, liberi nempe Deucalionis atque posteri vere fuerunt.

293 *Cippo*] Idolis et simulacris. Cippus enim columnam cum inscriptione significat, aliudve ejusmodi monumentum, quod rei alicujus memoriam prodit. 'Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat; hæredes monumentum ne sequeretur.' Horat. Sat. I. 8.

Ficulni stipitis] Ita Horat. Sat. I. 8. 'Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum; Cum faber incertus scamnum, faceretne Priapum, Maluit esse Deum.'

295 *Primi Scriptoris*] Satis aperte declarat se locutum fuisse de Moyse: 'Nimirum meminit scriptor doctissimus illo Orbis principio non solum, &c.' quæ verba ad unam Genesim referri queunt. Nemini autem, ni fallor, latet nullum ante hoc tempus librum scriptum fuisse, qui saltem ad nos pervenerit. Nam quod tradunt nonnulli de Jobi prophetia, tam incertum est, tam obscurum, ut vix fides illis adhibenda sit.

296 *Bardus*] 'Gallice cantor appellatur,' teste Sexto Pompeio Festo,

Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sago clangore loquax et stridula cornix,
Rem docuere Dei: sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, seque ac sua summa retexit.
Nimirum meminit Scriptor doctissimus, illo
Orbis principio non solum nec sine Christo
Informasse Patrem facturæ plasma novellæ:
Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli
Ora Dei. Quidnam est aliud, quam dicere, solus
Non erat; atque Deo Deus assistebat agenti,
Cum Dominus faceret Domini sub imagine plasma?
Christus forma Patris, nos Christi forma et imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,

fabula veteris famæ, nec ex strepitu præsago cornicis garrulæ, et strepitantis: sed Deus ipse apparens coram ante oculos ipsius, ipse benignus docuit in colloquio amico Moysem timidum, et se fecit notum ipsi, ac sua mysteria. Scilicet is scriptor scientissimus narravit Patrem in principio hujusce mundi non unum, non sine Filio formasse novam fabricationem hominis. Nam dicit, Deus creans hominem illi formavit et dedit effigiem Dei; nonne est idem, ac si diceret: Pater non erat solus; et Deus astabat juxta Deum formantem, cum Deus faceret hominem ad imaginem Dei? Filius est effigies Patris, nos sumus effigies et imago Filii; bonitate Patris fingimur ad similitudinem Filii, qui Filius debebat arripere post aliquot tempora nostram similitudinem. Possum, si vis, tibi afferre ex sacris Bibliis quamplurima

NOTÆ

'qui virorum fortium laudes canit, a gente Bardorum;' de quibus Lucanus: 'Plurima securi fudistis carmina Bardi.' Hodieque, ut recte observavit doctissimus Vossius, Britannis *Bard* dicitur, qui versibus pangit facta illustria. Et vetus Celtarum lingua eadem fuit quæ Britannica.

298 *Nec sago clangore loquax cornix*] Ex cantu volatuve avium futura præsagivisse veteres nemo ignorat, maxime vero ex cantu cornicis, ut colligere est ex Virg. Ecl. I. 'Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix,' et ex Cicerone, De Div. II. 'Quid habet augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?' Apertius vero ex Lucret. lib. V. 'Cornicum ut sæcla vetusta Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere, et interdum ventos aurasque vocare.'

305 *Dedit olli Ora Dei*] 'Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.' cap. I. Genes. Ac Sapient. cap. II. 'Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.'

312 *Possum multa sacris exempla excerpere libris, Ni refugis*] Virg. Georg. I. 176. 'Possum multa tibi veterum præcepta referre, Ni refugis.'

Ni refugis, quæ te doceant, non in Patre solo
Vim majestatis positam, sed cum Patre Christum
Esse Deum; velut illud ait Genealogus idem :
A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas.
Quis Dominus, de quo Domino, si solus ab arce
Siderea spectat Pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam Domini Patris ignibus iram
Spargebat Dominus: sunt unum fulmen utraque.

ADVERSUS JUDÆOS.

HÆC si Judaicos sic intellecta rigassent
Auditus, stupidas ut possint tangere fibras,
Audissent Dominum virtutum, qui pereuntes
Venerat ut servaret oves : sed ab auribus omnis

exempla, quæ docebunt te divinitatem non esse positam in uno Patre, sed Filium esse Deum æque ac Patrem, ut idem genealogus asserit illud dicens : Dominus pluit in Sodomam ignem a Domino. Quis Dominus, a quo Domino, si Pater unus respectat e cælo sidereo, aut inceditur ira? Filius igitur Dominus exercebat iram armatam ignibus Patris Domini ; ambo sunt unum fulmen.

Si illæ res ita conceptæ implevissent aures Judæorum, ut possent movere nervos stupefactos, ii audivissent Deum potestatum, qui descenderat ut conservaret populum pereuntem. Sed jam cuncta ornamenta ceciderant ex auribus, et populus for-

316 *flammas* Weitz. *flamma* C.—320 *uterque* F. G. *utraque uterque* C.
322 *aut possent* Weitz. et al. *ut possent* quidam.—331 *Regis* Eg.—332 *per-*

NOTÆ

316 *A Domino Dominus flammam pluit*] Quomodo Sodomam, aliaque oppida propter execranda flagitia, ac præposteram libidinem pice ac sulphure animata cœlestis flamma consumserit, dicam initio Psychom. Nunc id unum, quod ad rem nostram facit, colligam ex testimonio Genes. c. XIX. 'Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo,' non unum fuisse Dominum, ergo Patrem et Filium fuisse.

322 *Fibras*] Cum fibræ rerum omnium extremitates significent, hic sumi certum est pro cochlea, aut labyrintho, aut nervo illo, qui soni impressionem refert in cerebrum.

324 *Ut servaret oves*] Alludit ad verba Christi : 'Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant, domus Israël.' Cap. XV. Matth.

Ab auribus omnis Fluxerat ornatus] Quanquam referat ea, quæ leguntur Exod. c. XXXII. 'Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque, et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron :' tamen belle omnino eodem sensu accipere possumus, quo Tertull. Scorpiac. cap. 3. accepit : 'Urgetur Aaron, jubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in judicium sibi vera ornamenta aurium,

Fluxerat ornatus, caput et jam coctile Baal
Finxerat, auriculasque suo spoliarat honore.
Dux populi peccantis adest de monte corusci
Luminis, alloquioque Dei, tabulasque tremendo
Incisas digito cæca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs, non visura profundæ
Legis in effigie scriptum per enigmata Christum.
Infelix, quæ luce oculos præstricta paventes
Texerit, et presso faciem velarit amictu!
At nos rejecto Christum velamine coram
Cernimus, atque Deum vultu speculamur aperto:

marat statuam coctilem idoli, et spoliarat aures suo decore. Moyses ductor populi perfidi redibat e monte lucis coruscæ, et e collocutione cum Deo; et apportat ad tabernacula infidelia tabulas legis scriptas manu potenti. Sed populus non visurus in imagine legis insculptæ Filium Dei scriptum ænigmatice, prostravit se. O infelix, qui obcæcatus lumine præcluserit oculos pavidos, et operuerit vultum pallio collecto! Sed nos deposita veste coram aspectamus Christum, et vultu detecto intuemur



stricta Eg. P.—334 *detecto* Weitz.—342 *Non sis* Eg. P. W. B.—346 *in cæca*

NOTÆ

Dei voces.' Quæ verba, ni fallor, apte ad mentem Prudentii.

325 *Coctile Baal*] Jam monui omne idolum, omne simulacrum dici posse Bahal; quare mihi sit satis indicasse illud idolum, illud coctile Baal habuisse figuram vituli aurei, quem Hebræi, dum Moyses legem a Deo conditam accipiebat, conflarunt atque adoraverunt: 'Et fecit ex eis vitulum conflatilem.'

327 *Dux populi*] Juxta verba cap. 3. Exod. 'Sed veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël, de Ægypto.'

Peccantis] Nam Hebræi idololatræ, ad scelus alacres atque expediti, mane surgunt, et super novum altare vitulo vitulos offerunt in holocaustum, pacificasque victimas, de quibus mox epularentur.

328 *Tabulas defert*] Ne centies idem referam, atque, ut ita loquar, usque ad nauseam, his non immoror. Et cap. 31. Exod. illa reperies, et hymn. 5. et 7. Cathem.

329 *Cæca tentoria*] Vel propter Idololatriam: quæ enim major cæcitas, quæ magis horribilis quam vitulum aureum ut Deum colere? vel propter velamen, quo Hebræi vultum operuerunt, ut narrat.

330 *Cadit in faciem*] Hic Prudentius, ut multis aliis in locis, ad figurate comprobandam Judæorum incredulitatem abutitur historia, quæ refertur Exod. xx. absoluta enim legis promulgatione perterritus, ac pavore concussus populus stetit procul, ut scilicet abderet se in sua tabernacula. Quod si poëta eandem c. xxxiv. Exod. narrationem persequi in animo habet, sane aberrat, si quidem Moyses ipse faciem velasse legimus.

Nec, sub lege gravi, depressa fronte jacemus,
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu, frondosa prius ramis felicibus arbor!
Pinguibus, heu, quondam radix oleagina baccis!
Ecce tibi inserto virescit nunc oleastro
Truncus, et externi vestitur cortice libri.
Jam miserere tui. Non se sylvestris olivi
Surculus, exultans alieno stipite, jactat:
Sed monet, ut generis proprii memor, unguine amaro
Contristare comas desuescas, stirpe nec imo
Invideas missis in celsa cacumina virgis.
Blasphemas Dominum gens ingratissima Christum.
Pascha tuum dic, dic cujus de sanguine festum

Deum; neque cadimus cernui pressi lege dura: sed cognoscimus ex ore divino splendorem legis. Eheu, o arbor olim patula ramis fœcundis; eheu, o olea olim ferens baccas pingues; en nunc truncus revirescit oleastro tibi inserto, et obducitur tegumine corticis alieni; jam miserere tui. Surculus oleastri non se gloriatur, gaudens trunco externo, sed admonet ut tu non oblita tuum genus cesses inficere succo amaro suas frondes, nec ex infimis radicibus noceas ramis emissis in altum verticem. O gens ingratissima, maledicis Christo Deo! Dic unde Pascha tuum? Dic cujus de

NOTÆ

338 *Ramis felicibus*] Virg. Georg. II. 'Et ingens Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.'

339 *Radix oleagina*] Idem Georg. II. loquens de infossione circumsecti stipitis, qui præcisus ab utraque parte, et ramulis undecumque spoliatus, radicem ex sese progignit: 'Truditur e sicco radix oleagina ligno.' Hic tamen alio sensu accipi debet; puto enim Prudentium 'radicem oleaginam' per metaphoram vocasse Judæos, quæ arbor ramulis erat undecumque spoliata, ita ut unus truncus superesset, una radix.

340 *Ecce tibi inserto revirescit*] Ramus scilicet Christianorum, qui e media Judaicæ, ut ita loquar, arboris radice sese emittit. Unde Prosper de Ingratis: 'Tu vero, o nova gens, veteris quæ stirpe oleastri Velleris, et sacræ ramis inolescis olivæ, Quærere formatæ sentis te frondis honorem Non studio cœpisse tuo, sed jure potentis Agricolæ insertam fœcundo vivere ligno.'

343 *Alieno stipite, jactat*] Fusius Paulus ad Roman. cap. XI. hæc exponit: 'Tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es.'

344 *Unguine*] Omnis succus, quo ungi potest, unguen dicitur. Virg. Georg. III. 'Idæasque pices, et pingues unguine ceras.' Valer. Flac. Argon. 6. 'Pingui fluit unguine tellus.'

348 *Pascha tuum*] 'Illud vocabulum non Græcum sed Hebraicum est: nec a passione, quoniam πάσχειν Græce dicitur pati; sed a transitu Hebræo verbo pascha appellatum est, eo quod tunc populus Dei ex Ægypto transierit.' Ita Isidor. vel potius quod, teste Hieronymo, 'ex-

Tam solenne tibi est? quis tandem cæditur Agnus
Anniculus? sacer ille tibi redeuntibus annis.
Sed sacer in pecude. Stultum est sic credere sacrum;
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris, similaginis azymon esse,
Cum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis, imprudens, nostrum te effingere pascha?

sanguine illud festum tibi sit tam solenne? Quis denique agnus anniculus interficiatur? qui tibi est sacer singulis paschalibus festis anniversariis. Sed tibi est sacer prout est bellua. Dementia est illum putare sacrum eo modo, conspergere superliminaria domorum sanguine agni, exultare in conventibus, comedere similam infermentatam; cum mores misti crimine inflentur. O stulta, insanis, si putas

Put. a m. pr.—351 *Sed sacrum* Put. a m. pr.—355 *fingere* A.—360 *Ægypti*

NOTÆ

terminator videns sanguinem in foribus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos.' De Festi illius ritibus Exod. cap. 12.

349 *Agnus Anniculus*] Alia inter, quæ lege præscribuntur, præcipue vult Deus ut agnus sit anniculus, id est, intra primum annum consistat, nec major anno sit, nec minor octo diebus; septem enim diebus debuit esse sub ubere matris; die autem octavo et deinceps offerri Domino potuit.

352 *Contingere postes*] Juxta Exod. verba: 'Sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.'

353 *Lascivire choris*] Illud enim festum inusitata lætitia, sacrificiis, epulisque Judæi celebrarunt.

Similaginis] Similago, seu simila nobilis et laudata farinæ pars, Græcis σεμίδαλις, Syracusiis σιμαλίς. Platina lib. VII. 'Similam fieri e tritico loto, sicco, ac leniter mola diffracto dicunt medici.' Martial. XIII. 10. 'Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus, Pistori toties cum sit et apta coco.' Quibus colligere est Prudentium male hoc vocabulum adhibuisse pro quocumque pane. Panes enim illi azymi, quibus Judæi vescebantur, nec ad gustum suaves fuere, nec ad nutritionem utiles.

Azymon] Ἄζυμος, a ζύμη fermentum et a privativo, azymos panes requirebant angustiæ temporis, et festinata necessitas abeundi, priusquam massa fermentari posset: sed Deus necessitatem in mysterium vertit. Voluit enim Judæos septiduo hujusmodi pane pasci in memoriam vitæ in Ægypto transactæ.

355 *Nostrum Pascha*] Nempe Christi sacrificium, qui verus Agnus, atque innocentissimus omnium in se transtulit peccata, suoque sanguine humanum genus a morte vindicavit. Unde addit: 'Defendit sanguine frontem, Corporeamque domum signato collinit ore,' alludendo ad Domini præceptum, quo Judæi ab ultima Ægyptiorum plaga immunes futuri, agni sanguine postes et superliminaria domorum conspergere jubebantur.

Legis et antiquæ productis pingere sulcis
Omne sacramentum, retinet quod passio vera;
Passio, quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corpoream que domum signato collinit ore?
Hanc fugit exclusis Ægyptia plaga flagellis:
Hæc regis Pharii regnum ferale resolvit:
Deque potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe et gente fideli.
Abrahæ genus est verum, cui sanguis in ore
Creditus, inscriptusque rubet: cui visus in orbe,
Haud dubitante fide, Deus est, Deus ex Patre verus.

imitari nostrum Pascha, et adumbrare figuris impressis omnia sacramenta novæ legis, quæ retinet mors veri agni. Mors, inquam, quæ tinxit sanguine nostram faciem, et ore signato conspergit domum corpoream; quam effugit flagellis irrita plaga Ægyptiæ: quæ concussit dirum regnum Pharaonis, et eripuit Abraham, et ipsius posteros, et populum credentem e calamitatibus frequentibus, quibus vexabantur potentes Ægyptii. Veri autem posteri Abrahæ sunt ii, qui tinguntur sanguine posito et impresso in suo ore; qui viderunt super terram fide firma Deum, qui est ve-

Vulg. *Ægyptios* P. *procellis* Weitz. Put. Ro.—365 *Creditur* Weitz.—366

NOTÆ

360 *Flagellis*] Flagella pro plagis, aut pro pœna Alcimus Avitus posuit lib. v. 'Infidisne potest elabi cordibus unquam Ægyptus, tot cæsa malis, interque flagella, Succumbens quæ sensit humus, vos, cunctaque vestra, Afflicto regno salvos vixisse sub hoste.'

361 *Pharii*] Reges Ægyptios poëta vocat Pharios ab insula Pharo olim Canopico Nili ostio objecta: quam Homerus Odyss. IV. describit unius diei navigatione a continenti dissitam. Quod si verum est, multum oportuit terræ aggestum esse, ut sequentibus sæculis continens ad insulam aggere jungi posset. Equidem magnam Ægypti partem ex advectis Nilo fluvio terris extitisse Justinus et Strabo indicant. De plagis Ægypti, et de Ægypto jam sup.

362 *Grandine*] Una e decem illis plagis, quas Deus Ægyptiis inflixit, horrenda fuit, atque universam terrore damnisque gravissimis Ægyptum complevit. Tam enim inaudita erat grandinis magnitudo, ut vineas, herbas, arbores contriverit. 'Pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, et grando et ignis mista pariter ferebantur.' De Abraham in Psychom.

365 *Inscriptusque rubet*] Quasi vero Christianorum ora nunc Christi sanguine, ut olim filiorum Israël superliminaria agni sanguine, perfusa fuerunt.

Cui visus in orbe, Haud dubitante fide, Deus est] Fidem Abrahæ et obedientiam celebrat Paulus ipse, cum alibi sæpe, tum ad Hebræos undecimo, et quidem cæcam obedientiam, quod 'exiit nesciens quo iret,' et quantum in se fuit, patrem, et patriam, et cognatos, et omnia sine ulla spe mercedis deseruit, nisi illi sponte profec-

Ille Deum vidit, visum mox credidit: at tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus implet
Interior: nec enim cœlo lex carnea fluxit,
Quam tu carne colis: sed Christo fœta, meamque
Spem paritura utero. Quam spem! nisi numinis almum
Lumen, et adventum Domini, quem viderat Abræ
Prima fides, nostrisque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, et legis voce probandum:
Nec solum legis: nam quæ jam litera Christum
Non habet, aut quæ non scriptorum armaria Christi
Laude referta novis celebrant miracula libris?
Hebræus pangit stylus, Attica copia pangit,

rus Deus, prout productus est a Patre. Abraham vidit Deum, et statim adoravit Deum, quem videbat. Sed vos, o posteri carnei, videntes cuncta oculis carneis, quæritis opus carnis in lege, quam Spiritus Sanctus implet intrinsecus. Nam lex carnea, quam vos adoratis in carne, non apportata fuit e cælo, sed lex plena Christi, et productura ex utero meam spem. Quam autem spem? Scilicet Filium æternum Dei, et nativitatem Dei, quem agnoverat fides Abrahæ, quæ est prima fides; quem Pater æternus spoponderat quondam videndum nostris oculis, et confirmandum verbis legis. Sed non solum legis. Nam quæ lingua nunc non loquitur de Christo? Aut quæ bibliothecæ scriptorum, repletæ laudibus Christi, non publicant miracula illius novis voluminibus? Scriptura Hebraica eum laudat: ubertas linguæ Græcæ laudat:

vero Bodl.—368 *credens* Weitz.—371 *fixa* A.—372 *luminis* Weitz. W. su-

NOTÆ

tionis comites esse voluissent. Deus autem ter apparuit Abrahæ, jussitque illum exire de Chaldæa, in Haran subsistere, deinde vero in Chanaan proficisci. Quam geminam vocationem planissime tradit S. Chrysost. homil. 13. in Genes.

372 *Nisi Numinis almum Lumen*] Forte: *Nisi Luminis almum Lumen:* quomodo paulo ante: 'Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen.' Et apud Tertullianum contra Marcionem lib. v. 'De Patre principium, genitum de lumine lumen.'

377 *Scriptorum armaria*] Vetus interpres Juven. hunc versum Sat. III. 'Hic libros dabit, et forulos, mediamque Minervam,' explicans vult per forulos armarium esse intelligendum. Eadem notione Latini scriptores usurpant. Tertull. de cultu fœmin. 'Scio scripturam Enoch non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judaicum admittitur.' Unde Armarius, custos bibliothecæ.

379 *Attica copia*] Ubertas linguæ Græcæ. Nam Attica Helladis sive Græciæ proprie dictæ pars est nobilissima, in extrema peninsula, quam duo Ægæi maris sinus efficiunt, Saronicus et Euripus. Unde toti Græciæ sæpe apud poëtas illud nomen est.

Pangit et Ausoniæ facundia tertia linguæ.
Pilatus jubet ignorans: I, scriba, tripictis
Digere versiculis, quæ sit suffixa potestas,
Fronte Crucis: titulus sit triplex, triplice lingua.
Agnoscat Judæa legens, et Græcia norit,
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.
Quicquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quicquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quicquid casta chelys, quicquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra;
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.

et elegantia linguæ Latinæ laudat tertio loco. Pilatus ait inscius: O scriba, tu exprime in suprema parte crucis tribus lineis, quis sit is, qui Crucifixus est: sint tres inscriptiones, scriptæ tribus loquelis; ut Judæa has legens cognoscat suum Deum, et Græcia cognoscat, et Roma dives cognoscat adorans. Id omne, quod buccina tortilis sonat intra cavamen æris: id omne, quod ingens halitus immittit ex imo pectore; id omne, quod lyra pia canit, quod cithara, quod organa concordia tubis inæqualibus miscent, quod cavernæ æmulæ referunt pulsæ vocibus pastorum, celebrat Jesum, prædicat Jesum: cuncta, atque ipsa muta excitata fidiculis sanctis canunt

persecr. Gif. Ind. Lucr. p. 48.—381 *Tu scriba* Weitz.—386 *Ære cavo quicquid r.* F.—391 *concelebret .. sonet* F. G. B.—392 *loquantur* F. G. B.—395 *fra-*

NOTÆ

380 *Ausoniæ*] Itali dicti fuere Ausones ab Ausone Ulyssis et Calypsus filio; vel, ut alii volunt, quod Græci commutatione vulgari literæ *r* in *s* vocarunt Ausones veteres Latii populos, qui Latinis Aurunci dicebantur.

383 *Fronte Crucis: titulus sit triplex, triplice lingua*] 'Erat autem et superscriptio scripta super eum literis Græcis, et Latinis, et Hebraicis: Hic est rex Judæorum.' Luc. cap. XXIV.

388 *Chelys*] Ea vox Græcis, uti Latinis testudo, tum animal, tum instrumentum musicum significat, simile lyræ; sed pro cornibus habet singulare manubrium erectum, in cujus summitate paxilli sunt trajecti ad fides tendendas, vel remittendas.

Testudo] Periphrasis citharæ, cujus usus hoc modo repertus est. Cum regrediens Nilus in suos meatus, varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quæ cum putrefacta esset, et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercurio sonitum dedit, ex cujus imitatione cithara est composita.

389 *Organa*] De variis organorum generibus jam egi vs. 148. hujusce libri. Id unum addam, tubulos, seu calamos organi ea proportione decrescere, ut in imo, qua inflantur, et tanguntur tudicula, æquales sint, ut apud nos videre est: inæquales vero in summo, qua exit ventus.

O nomen prædulce mihi! lux, et decus, et spes,
Præsidiumque meum! requies o certa laborum!
Blandus in ore sapor, flagrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas.
Si gens surda negat sibi tot præconia de te,
Tam multas rerum voces, elementaque tantæ
Nuntia lætitiæ, stolidas intrare per aures;
Audiat insanum bacchantis energima monstri,
Quod rabidus clamat capta inter viscera dæmon,
Et credat miseranda suis. Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi

Jesum. O nomen Jesu, dulce mihi, mea lux, et gloria, et spes, et tutela, finis certus laborum, sapor jucundus in ore, odor suavis, fons vivus, castus amor, pulchritudo, verum gaudium. Si populus surdus diffitetur tot prædicationes de te, voces rerum tam diversas, et elementa, quæ significant tantum gaudium inculcare se duris ipsius auribus; audiat clamores horridos energumeni furiosi, quia diabolus rabiosus vociferatur intra pectus obsessum; et miser adhibeat fidem iis, quos sequitur. Dæmon perterritus nomine Christi vexatur, et nequit tolerare fulmen hujus vocis. Quot mi-

grans Weitz. Delph. *fraglans* B.—397 *tibi* Put.—399 *auras* Eg.—400 *iner-*

NOTÆ

395 *Blandus in ore sapor*] Bernardus eadem fere atque Ambrosius. Is quidem: 'Curari desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si ire desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum appetis, alimentum est. Gusta igitur, et vide quam suavis est Dominus.' Bernardus autem Serm. 15. super Cantic. 'Hoc nomen Jesus est cibus. Nam toties conformaris, quoties invocas et recordaris. Est oleum sine quo aridus est animæ cibus. Est sal, sine cujus conditura insipidum est, quicquid proponitur. Denique est mel in ore, in aure melos, in corde lætitia; et ubi de hoc nomine non est oratio, ibi insulsa est omnis disputatio.'

400 *Energima*] Ad hunc locum Iso Magister: Illusionem, imaginem, furias. Ex Græco ἐνέργημα operatio, imaginatio, vel phantasia. Unde qui phantasias dæmonum patiuntur, energumeni dicuntur. Usitatissimam fuisse eo tempore hanc dictionem, etiam inter Latinos, arguunt cum alii multi, tum Sulp. Severus, qui in vita sancti Martini ea non semel utitur. Sed hic contra quantitatem peccat Prudentius, cum penultima longa esse debuerit.

402 *Apollo*] Eodem modo paulo post Cyllenium ardentem vocat dæmonem, eo quod omnium oraculorum, quibus dæmon ad decipiendos homines usus est, celeberrimum sane fuit Apollinis oraculum.

403 *Nec fulmina verbi Ferre potest*] Exorcismi quandam hic habes formam: de quo Baron. ann. 56. ita loquitur: 'Cum autem inter credentium signa illud annumeretur, ut in nomine Jesu fideles dæmonia ejici-

Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini: Fuge, callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas?
Desine: Christus adest, humani corporis ultor:
Non licet, ut spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi, ventose liquor; Christus jubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens

racula Filii Dei cantata audiuntur, tot ictus linguæ cruciant miserum. O prædo scelerate, torques famulum Christi? Cessa, adest Christus, qui defensor est corporis humani, nefas est te detrahere carnem, cui Christus fuit conjunctus. O superbe spiritus, abi fugatus, egredere, Christus imperat. Dum illa verba proferuntur,

gima Put. *inhergima* P. *energia* B. in marg.—407 *Exuite* Eg.—410 *adhæsit*

NOTÆ

ant, jure consuevisse Christianos sic adjurando dæmones pellere, ipsosque tunc dæmones flagella et verbera sentientes, suam imbecillitatem, Christi vero potentiam fateri, antiqui Patres abunde docent.' Cyprian. contra Demetrian. 'O si audire eos velles et videre, quando a nobis adjurantur, et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur!' Tertull. Lactant. M. Minuc. Octav. idem plane referunt.

411 *Ventose*] Per translationem pro superbo, vano, et inani illud vocabulum acceperunt optimi scriptores. Hor. Epist. I. 19. 'Non ego ventosæ plebis suffragia venor.' Pacatus in Panegyr. Theodos. Aug. 'Cum trucem Dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat.'

Liquor] Certum est poëtam loqui de dæmone. Cur autem hunc spiritum liquorem vocet, colligi potest ex sententia veterum Philosophorum, qui animas ac spiritus ignem esse, quod præsente anima corpus caleat, recedente frigescat: ventum, quod ex aëre spiritum ducentes vivere videamur: sanguinem, quod sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumto anima videatur extingui, omnes fere olim docuerunt. Qui sanguis, qui ventus, aërque recte dicuntur liquor.

412 *Cyllenius ardens Ejulat, et notos suspirat Jupiter ignes*] Lactant. II. 16. 'Cultores Dei metuunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas esse se confitentur, sed etiam nomina sua edunt illa, quæ in templis adorantur.' Quare vides unde Prudentius Cyllenium ardentem, et Jovem dicat dæmonem. 'Itaque maximis sæpe ululatibus editis verberari se, et ardere, et jam jamque exire proclamant.' Mercurius a Cyllene Arcadiæ monte, in quo natus est, nominatur Cyllenius.

Ejulat, et notos suspirat Jupiter ignes.
Ecce Gerasenos legio ruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas,
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamarat, sed ab ore hominis: Cognoscimus, Jesu
Nate Deo, nate sceptris et germine David,
Qui sis, quid venias: qua nos virtute repellas,
Novimus, adventusque tui terrore jacemus.
Hæc, Judæa, tuas vox non pervenit ad aures?
Pervenit: mentem sed non penetravit egenam
Lucis, et a primis foribus disclusa refugit.
Audiit adventum Domini, quem solis Iberi
Vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus.

Mercurius ardens ingemit, et Jupiter conqueritur de ignibus notis. En legio dæmonum ferox intrat sues Gerasenorum; et, posteaquam vincta fuit pluribus catenis sub rupe sepulcri, effundit grunnitibus diuturnis querelas de suo supplicio. Sed prius dixerat ore energumeni: O Jesu, Fili Dei, nepos regum, et seminis Davidis, scimus qui sis, cur venias: non ignoramus qua virtute nos ejicias: et frangimur metu adventus tui. O Judæa, quid? illa vox non pepulit aures tuas? pepulit sane, sed non venit ad animum obcæcatum tenebris, et semota resiliit a primo ostio. Populus, qui cernit occasum Solis Iberi, et is, qui videt ortum auroræ, audiit adventum

Put.—413 *admotos* C. ex conj.—414 *Gerasinos* Put. *irruit* F. G. *obruit* W. superscr.—417 *Jesum* A. Eg. P.—418 *et sceptris* F. G.—419 *Quid sis* Weitz. *Quis sis* A. G. et al. *Quis sis, qui venias* Ro. C. Torrent. tres.—425 *Vesper*

NOTÆ

414 *Ecce Gerasenos*] Hanc historiam jam fusius descripsit Hymn. 9. Cathem. Geraseni nomen traxerunt a Gerasa urbe Cælosyriæ, apud ulteriorem lacus Genesaræ ripam, Gadaræ vicina, Philadelphiæ quoque finitima. Juvencus lib. II. et alii corripiunt antepenultimam: 'Jam Gerasenorum steterat sub littore puppis;' quam producit Prudentius: nisi malis scribere *Gerassenos* geminando literam s.

417 *Clamarat, sed ab ore hominis*] Dæmones Christum Deum esse agnovisse, ac fassos fuisse testantur Matth. VIII. Marc. I. III. et V. Luc. IV. et VIII. 'Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi est, Jesu, Fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas!'

Cognoscimus, Jesu] Non semel in hoc peccatum incidit Prudentius; nisi legas *Isu*, ut quidam volunt, sed de hoc sup.

424 *Quem solis Iberi Vesper habet*] Familiaris omnibus poëtis hic loquendi modus. De Ibero Hispaniæ fluvio, sup. Perist. Hymn. 13. vs. 106.

425 *Roseos et qui novus excipit ortus*] *Roseus vesper* perperam legebatur. Ortui enim solis id convenit. Unde Claudianus de Cometa: 'Roseo solis prolatus ab ortu.' Apud Nasonem quoque 'Rosea aurora' occurrit.

Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox Evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie jam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus.
Mansuevere Getæ, feritasque cruenta Geloni

Christi. Vox Evangelica liquavit glaciem Scythicam verbo secante. Calida etiam illa vox exsolvit gelu Hyrcanum, ut Hebrus Thracius regelatus jam factus fluvius fluens effluat de rupe excelsa. Getæ mitigati sunt; et barbaries sanguinaria Gelo-

---

habet roseus, et Weitz.—428 *glaciem* Nom.—429 *Hebros* Put.—433 *fervida*

NOTÆ

426 *Scythicas*] Apud Scythas populos Scythiæ, quæ regio versus Septemtrionem longe lateque excrescit in Europa et Asia, Moscoviæ et Tartariæ respondet, maximum esse frigus, atque apud alias regiones Septemtrionales, notum est omnibus.

Pruinas] Pruina, ros concretus κατὰ μετάθεσιν, quasi 'pyrina' dicta ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quia si effectum spectes, ejusdem est ac ignis naturæ: vel, quod Festo placet, a peruro, quod, cum sole liquefacta est, fruges perurat et arbusta.

427 *Hyrcanas*] Hyrcania Asiæ regio sylvis aspera, et feris fœcunda: antiquitus terminabatur a Septemtrione mari Caspio seu Hyrcano sic ab ea dicto, ab Ortu Margiana, ab Occasu Media, et a Meridie Parthia; nunc ubi *Gilan, Tabarestan, et Gorgian.*

Brumas] Pro ipso frigore quoque accipitur, a Virg. Æn. II. 472. 'Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat:' licet dies ille sit solstitii hyemalis initium hyemis: unde Ovidius: 'Novi prima est, veterisque novissima solis.' Et A. Gell. 'Nam in septimo signo fit solstitium a bruma, in septimo bruma a solstitio.'

429 *Caucasea de cote*] Caucasus: alter in Scythiæ et Indiæ confinio, ex quo Indus et Oxus profluunt; alter inter mare Caspium et Pontum Euxinum, cujus tanta est altitudo, ut ad tertiam noctis partem vertices illius solis adhuc radiis illustrentur. Is perpetuis nivibus rigens est, et scopulosus; unde 'scopuli Caucasi' in proverb. abierit. Prudentium eo sensu posuisse haud dubium est, siquidem

Rhodopeius Hebrus] Hebrus fluvius Thraciæ maximus in Ægæum mare influit, atque oritur ex Rhodope monte, qui cum Hæmi pars quibusdam videatur, ab iis idcirco dicitur Hebrus ex Hæmo profluere. Quæ cum ita sint, Hebrum a Caucaso monte Pontus Euxinus, maximaque pars Thraciæ dividunt.

430 *Getæ*] Sarmatiæ Europææ gens fuit ad utramque Danubii ripam juxta Euxinum Pontum, quos alii cum Dacis confundunt, alii quandoque distinguunt.

Geloni] Geloni, vel Gelones Scythiæ Europææ populi apud Boristhenem fluvium incolentes, eoque nomine vocati ob Gelonum Herculis filium. Solebant se pingere, ut in prælio terribiliores apparerent, sanguinemque equinum potabant. Horum meminit Lucan. lib. III. 'Massagetes quo fugit equo, volucresque Gelonos.'

Lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.
Novit et Atlantis pridem plaga perfida Mauri,
Dedere crinitos ad Christi altaria reges.
Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Deus, Deus et se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit;
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus

norum sitiens nunc implet pocula incruenta uno lacte, potura sanctas potiones de sanguine Christi. Et regio montis Atlantis Mauritani pridem infidelis solet offerre Reges suos comatos aris Christi. Ex eo tempore quo Sanctus Spiritus, qui Spiritus Deus est, obumbravit utero mortali; et Filius, qui Deus est, inclusit se in corpore Mariæ, et sibi formavit corpus humanum ex sanguine virginis, talis abolitis antra Delphica siluerunt; cortina non occultat tripodes; sacerdos afflatus numine non pro-



Weitz. W. superscr.—435 *perstrinxit* Eg. P.—436 *Spiritus ille Dei* Weitz.—438 *jacuerunt* Gif. Ind. Lucr. p. 399.—439 *regit* B. W. Vulg.—445 *distructa-*

NOTÆ

432 *Libatura sacros Christi de sanguine potus*] Nam Christiani sacrificii tempore olim in ecclesia sub utraque specie panis et vini communicasse quamplurimi nobiles quidem atque eruditi scriptores probarunt. Quinetiam nuper hac de re libri in lucem sunt editi, quos consule.

433 *Atlantis Mauri*] Mauri in Africa habitabant circa littus maris, inter fretum Gaditanum, et Numidiam. Nunc in eo tractu sunt regna Fezzæ et Marochii. Ab Atlante monte hujus regionis maximo Mauri dicti sunt a Prudentio Atlantes.

434 *Crinitos*] Mauri, Barbarique alebant capillos, ungebant, variisque decorabant ornamentis.

436 *Spiritus ille Deus, Deus*] Non *Dei:* videtur Maronis respexisse illud: 'Deus, Deus ille, Menalca.'

438 *Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra*] Cicero suis temporibus oracula defecisse testatur, præcipue vero, teste Celso Epicureo, oraculum Delphicum, Clarium, Dodonæum. Sed Statius Thebaid. VIII. 196. apertius id declarat. Augustus enim Imperator cum ad Delphicum Oraculum duos misisset legatos, hæc ex Oraculo dicta fuisse refert: 'Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans, Cedere sede jubet, tristemque rediro sub orcum, Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.'

Antra] Delphi, Phocidis urbs in Achaia, Apollinis Oraculo celeberrima.

439 *Non tripodas cortina tegit*] Tripus vas erat ingens, tribus nitens pedibus: vel puteus tres latus pedes: vel sella tribus fulcris imposita, in medio patens, ubi sedebat vates. Tripus autem aliquando æreus, aliquando aureus, etiam corio Pythonis serpentis coopertus; quod operculum, integumentumque Cortina dicitur. Unde Isidor. XIX. 27. 'Cortinæ sunt aulæa, id est, vela de pellibus, qualia in Exod. leguntur, a quibus taber-

Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona vapores,
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Ammon:
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructaque templa
Imperio cecidisse ducum. Jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillumque Crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen ė cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,

dit anhelus casus scriptos in libris Sibyllarum; Dodona fallax amisit suos afflatus ridiculos; Cumæ jam tacitæ deplorant oracula perdita; nec Ammon dat responsiones in desertis Libycis; Capitolium ipsum Romanum luget, quod sui senatores agnoscant Christum esse Deum, et delubra disturbata jussu consulum corruerint. Jam purpura principis oriundi ab Ænea supplex provolvitur ad vestibula templorum Christi: et summus Imperator veneratur signum Crucis. Tamen inter omnes Imperatores unus repertus est, qui, ut memini, cum eram puer, fuit dux præstantissimus armis,

NOTÆ

naculum extrinsecus tegebatur. Dictæ autem cortinæ a coriis, eo quod prius ex pellibus fuissent factæ.' Varro tamen, Paulus Pompeiana epitome, et Servius Cortinam, pro ipso antro, adyto, et loco subterraneo, ubi tripus collocatus erat, accipiunt. 'Cava cortina dicta, quod est inter terram et cœlum ad similitudinem Cortinæ Apollinis: ea a corde, quod inde sortes primum æstimatæ.'

Spumat anhelus] Virg. Æn. VI. 77. 'At Phœbi nondum patiens immanis in antro Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.'

440 *Fata Sibyllinis*] Sibyllæ nomine nuncupatæ fuerunt fœminæ, quæ futura cum aliquo impetu furoris, Deique afflatu prædicebant. Plures paucioresve a diversis auctoribus numerantur. Ea tamen, quæ Tarquinio Superbo libros, ex multarum Sibyllarum vaticiniis contextos, obtulit, nobilissima est. Ipsius enim libros in Capitolini Jovis sacrario sub terram in arca lapidea deposuit Tarquinius, constitutis viris, qui quoties exigerent dubia reipublicæ tempora, illos consulerent.

441 *Dodona*] In Dodonæa Epiri sylva oracula reddidisse dicuntur quercus, et iis insidentes columbæ duæ.

442 *Cumæ*] Urbs Campaniæ, circa promontorium Occidentale ejus sinus, ab Eubœensibus condita: nunc eversa est; non longe Cumanum, villa a Cicer. commemorata; et antrum Cumanæ Sibyllæ, quæ et Cumæa a Virgil. dicitur, 'Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.'

443 *Ammon*] Urbs Libyæ inferioris in Cyrenaicæ regionis confinio, clara templo a Libero Jovi exstructo, ubi Jupiter colebatur in forma arietis, et consulebatur. Ab arena, ἄμμος enim Græcis arena est, Ammon dicitur. De Libycis Syrtibus sup. de Capitol. sup.

450 *Ductor fortissimus armis*] Juli-

Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Religionis, amans tercentum millia Divum :
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi.
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, et soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianæ.
Quin et Apollineo frontem summittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Forte litans Hecaten placabat sanguine multo,

et lator legum, clarissimus eloquentia et fortitudine, studiosus reipublicæ, sed non studiosus veræ religionis, adorans millia Deorum innumerorum. Is Imperator infidelis Deo, fidus licet in Romam, cœpit demittere caput coronatum ante pedes Minervæ, et osculari calceos Junonis argillaceæ, se prosternere ad pedes Herculis, assignare votum in femore Dianæ, summittere caput statuæ Apollinis, aut fumigare visceribus ferventibus equum Pollucis. Forte sacrificans Proserpinæ expiabat nu-

que Put.—454 *urbi* Weitz.—457 *incurvare* Weitz. et al.—460 *Hechaten*

NOTÆ

anus Apostata, qui anno 355. Cæsaris dignitate auctus, data in matrimonium Helena sorore Constantii, et Galliis præpositus multa contra Germanos, Francos, et Alemannos egregie gessit, ita ut horum Regem Chonodomarum vinctum Romam ad Constantinum miserit. De Minerva, Junone, aliisque Deis, quos coluit Julianus, semel atque iterum in Hymnis ; atque infr. in l. I. adv. Symm.

451 *Conditor et legum*] Studium illud æquitatis tuendæ apparuit, quod quædam in jure civili reformaverit. 'Jura,' inquit Marcellinus lib. XXII. 'correxit in melius, ambagibus circumcisis, indicantia liquide quid juberent fieri, vel vetarent.' Et lib. XXV. 'Indicta sunt tributorum admodum levia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci jurgia cum privatis, vectigalia civitatibus restituta cum fundis,' &c.

457 *Genua incerare*] H. e. cereas tabellas, literis signatas, quæ vota explicabant, Dianæ imaginibus affigere. Id 'assignare' uno verbo dixit Apuleius Apolog. 'Votum in alicujus statuæ femore assignasti.' Aliter tamen explicat Ramires in Martial. qui 'incerare' vult esse idem ac precando prehendere Deorum genua, qui habitus est misericordiam implorantium, ac tot et toties prehendebant Deorum genua, ut sudore incrassarentur, et videretur illis quasi cera superposita. Hinc Martial. 'Cerea toga' pro squalida. Facit et huic opinioni Arnob. lib. VI. adv. Gent.

460 *Forte litans Hecaten*] Hostiarum sanguine plurimo aras crebritate nimia Julianum perfudisse, tauros aliquoties immolando centenos, et innumeros varii pecoris greges, avesque candidas terra quæsitas et mari, ipsemet fatetur Ammianus Marcellinus lib. XXII. unde etiam illum a multis dictum fuisse victimarium scribit. Sacrificanti vero portenta sæpius ac-

Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus:
Jamque insertato reserabat viscera cultro
Vittatus de more senex, manibusque cruentis
Tractabat trepidas letali frigore fibras,
Postremosque animæ pulsus in corde tepenti
Callidus interpres numeris et fine notabat:
Cum subito exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus: En quid ago? majus, rex optime, majus
Numen nescio quod nostris intervenit aris,
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ.

men multo cruore. Illic turba vaccarum steterat immolanda solenniter securibus, et rami cupressini complicati opacabant caput juvencarum coronatarum; et jam longævus pontifex vittatus solverat secundum consuetudinem viscera cultro immisso, et tenebat manibus sanguinolentis exta tremula frigore mortifero, et aruspex intelligens numeris et fine conspiciebat in corde tepido ultimas palpitationes: cum derepente aruspex pallens metu vociferatur in medio sacrificio: En quid ago, o Imperator optime? Deus ignotus major, major quam pocula spumantia lacte, cruor belluarum mactatarum, verbena, coronæ possint sustinere, intervenit nostris sacrificiis.



Weitz. W.—464 *reserarat* A. Eg. Heins.—471 *Nescio quod numen* Weitz.—

NOTÆ

cidisse, varii tradunt. Alii asserunt aliquando exta animalium crucem coronatam edidisse: alii, dum complures hostias Marti parabat ultori, ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admotos voluntate sua novem procubuisse tristissimos, decimum vero, qui defractis vinculis lapsus ægre reductus est, mactatum ominosa signa monstrasse. Sed ne sim infinitus, omitto cetera. Id unum animadvertas, Prudentium, ut videre est apud Baron. ann. 362. solum retulisse Christiani adolescentis, qui putabatur Gentilis, præsentia, quam horrerent dæmones, victimarum immolationem impeditam omninó fuisse, territumque sacerdotem corruisse, ac ipsum Julianum præ metu solum aufugisse.

463 *Fronte coronatas umbrabat torta cupressus*] Virg. III. 'Stant manibus aræ, Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.' De qua sacrificiorum pompa, de cærimoniis ac ritibus multa veteres poëtæ, necnon ipse Prudentius Hymn. S. Rom.

472 *Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte*] Sanguinem et lac, quia his pasci et delectari animas credebant, etiam aliquando vinum, et mel, et aquam in sacrificiis affundebant: 'Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte, Sanguinis et sacri pateras.' Virg. Æn. III. Cymbia autem vasa sunt oblonga et angusta, in modum cymbæ.

473 *Pecudum, verbena*] Verbenæ

Accitas video longe dispergier umbras,
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Extinctis facibus, fracto fugitiva flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides, ut thuribulis frigentibus ignis
Marceat? ut canis pigrescat pruna favillis?
Ecce Palatinus pateram retinere minister
Non valet, elisa destillant balsama dextra:

Aspicio umbras accersitas dispergi. Proserpina conturbata, funalibus restinctis, flagello conciso, fugitiva discedit retro. Clamores arcani sunt vani: verba magica prosunt nihil: nullæ victimæ educunt animas perterritas. Num cernis, ut ignis languescit in acerris deferventibus? Ut carbones deficiunt velati cineribus albescentibus. En famulus palatii non potest retinere calicem: balsama effluunt e manu de-

474 *Ascitas* Weitz.—475 *Thesiphone* Weitz. *Thersifore* T. *Tisiphonen* C. ex conj.—476 *tracto* Weitz.—477 *hircanum* A.—486 *tremit h. h. genus* F.—

NOTÆ

nomen, teste Pontano, in sacris ita accipiebatur, ut non tantum herbam significaret certam *de la vervene*, sed omnem herbam cum sua terra, e puro sacroque loco evulsam. Qua peruncti magi putabant id impetrari, quod volebant. Unde Virg. Ecl. 8. 'Verbenasque adole pingues, et mascula thura, Conjugis ut magicis sanos avertere sacris Experiar sensus.'

474 *Accitas video umbras*] Heinsius legit, *Excitas*, quod sit proprium in re magica verbum. Apud Virg. Eclog. 8. 'Manes excire sepulcris.'

475 *Territa Persephone*] A Græcis Περσεφόνη dicta fuit Proserpina, vel Περσεφόνεια, quasi a πέρθω vasto, et φόνω occido, vel quasi φέρουσα φόνον. Ovid. lib. IV. Fast. 'Persephone, clamant, ad tua dona veni.'

476 *Extinctis facibus*] Non dissimili modo in funere Tibulli apud Ovid. 'Puer Veneris fert eversamque pharetram, Et fractos arcus, et sine luce facem.'

477 *Arcanum murmur, nil Thessala prosunt Carmina*] I. e. solennis ac ritualis verborum formula, qua magi utebantur, ac præcipue Thessali incantationibus maxime dediti, eo quod succis herbarum magicarum agri Thessali abundant. Unde Hor. Epod. 5. 'Quæ sidera excantata voce Thessala Lunamque cœlo deripit.'

Murmur] Silius Italicus lib. I. 'Tum magico volitant cantu per inania manes Exciti.' Et Prudentius lib. adv. Symmach. 'Murmure jam magico tenues excire figuras, Atque sepulcrales scite incantare favillas.'

481 *Palatinus minister*] Puer regius. Palatina enim officia dicuntur officiales aulici, et imperatorii. Julius Capitol. 'Cum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur.' A palatio illud nomen deducitur. De Flaminibus, sup. de Pulvinaribus, sup. De Proserpina, in lib. I. contra Symmach.

Flamen et ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, et incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis, certe surrepsit Christicolarum
Hic juvenum : genus hoc hominum tremit infula, et omne
Pulvinar Divum : lotus procul absit, et unctus:
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, et exsanguis collabitur: ac, velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum;
Ipse quoque exanimis, posito diademate, princeps
Pallet, et astantes circuminspicit: ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signarit tempora ligno;
Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros.

bili. Et sacerdos ipse miratur quod suæ lauri delabantur e capite. Et victima declinat ensem, qui non ferit certo. Sane aliquis de juvenibus Christianis est huc ingressus furtim. Infula et lecti dicati Deis formidant hoc genus hominum. Is lotus et unctus recedat longe, ut sacrificiis renovatis formosa Proserpina redeat. Sic locutus est, et seminecis cadit: non secus ac si videret Jesum ipsum intentantem fulmen paratum. Imperator ipse etiam semimortuus, extracta corona, pallescit, et aspiciens astantes petit; num aliquis e pueris haberet in fronte expressum signum baptismi, qui perturbasset sua præsentia ritus magicos. Tum unus armiger e legione

492 *circumspicit* Weitz. Cellar. *et quis* Weitz. *nequis* B.—493 *signaret t. signo* Weitz.—495 *flammicomantem* F.—496 *deprehenditur* P.—506 *urbem* Eg.

NOTÆ

483 *Flamen et ipse suas miratur vertice laurus Cedere*] Flaminis Romani coronam fuisse lauream hinc discimus.

485 *Nescio quis, certe surrepsit Christicolarum Hic juvenum*] Verba Lactantii IV. 27. referam, quæ belle ad hanc rem facere mihi videntur. 'Nam cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, 'Nec responsa potest consultus reddere vates.' Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo Deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere,' &c.

487 *Lotus procul absit, et unctus*] Quod, qui sacris aquis abluebantur, ii in aquam mergebantur, tingebanturque oleo, Christiani vocati fuere uncti et loti.

492 *Ecquis alumnus Chrismatis inscripto signarit tempora ligno*] Omnes legunt *signo:* Heinsius vero putat, *signare signo*, inconcinnius dici, quam *signare ligno*, nititurque auctoritate Jureti ad Paulinum lib. II. de vita B. Martini.

494 *Zoroastræos susurros*] Ritus magicos, aut magica secreta : quod Zoroastres primus, teste Plinio XXX. 1. artes magicas invenisse creditur. Eadem, qua Ninus Assyriorum rex, ætate floruit, a quo post multa prælia debellatus fuit, et occisus. Quo na-

Armiger e cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei custos lateris deprehenditur unus:
Nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus, dejecto antistite, princeps
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum:
Tum tremefacta cohors, dominique oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atque invocat Jesum.
Jamne piget facti? jam pœnitet? en tibi Christum,
Infelix Judæa, Deum: qui sabbata solvens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumsit.
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Possidet, imperii dominam sibi cedere Romam
Compulit, et simulacra Deum Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo vindice tandem
Vana superstitio, lex et carnaliter acta
Plectatur; cujus virtus te proterat ultrix.
Destructone jacent Salomonia saxa metallo,
Ædificata manu? jacet illud nobile templum.

puerorum flavorum, et stipator corporis regii indicatur; qui fatetur, et abjicit hastam armatam gemmis, et binis ferris, atque ait habere se notam Christiani. Imperator, prostrato Pontifice, perterritus exit foras, et sine ullo comite fugit de templo marmoreo; dum milites tremebundi, et immemores Imperatoris, attollunt in cœlum vultus supinos, et orant Jesum. O misera Judæa, an jam te piget tui erroris? An jam pœnitet? En Deum tuum servatorem: qui, terminans sabbata terrestria, evexit homines in sabbata cœlestia. Cognitus est omnibus nationibus, cognitus regibus; mundus illi est subjectus, coëgit Romam, caput mundi, ipsum adorare; et domuit statuas Deorum Capitolinas. Infelix agnosce tuis calamitatibus, quis ultor tandem puniat falsum cultum, et legem observatam secundum carnem; quæ potestas vindex te percellat. Templumne Salomonis ædificatum manibus eversum est, metallo corrupto? Illud templum venerabile est eversum. Cur est eversum? Quia manus mor-

—507 *credere* Weitz.—511 *et proterat* P.—515 *Cæmento* F.—523 *arce* B. su-

NOTÆ

tus est die, risisse fertur; cerebrumque ei adeo palpitavit, ut impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ.

495 *Puerorum flavicomantum*] Flavos capillos gerentium, quos in pretio fuisse colligimus ex Ovidio Fast. lib. II. 'Forma placet, niveusque color, flavique capilli.' Heinsius vult poëtam designasse prætorianos ex Germanis, aut aliis septemtrionalibus populis constantes, quibus proprium ac peculiare est flavum capillitium. De Monte Tarpeio, nempe Capitolino, jam sup.

513 *Jacet illud nobile templum*] To-

Cur jacet? artificis quia dextra solubilis illud
Cæmentum struxit resolubile: jure solutum est,
Et jacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.
Si nostrum contra, quod sit, vis discere, templum;
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies, pinusve dolata
Texuit; exciso quod nunquam marmore crevit:
Cujus onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arte pependit:
Sed Verbo factum Domini: non voce sonora:
Sed Verbo, quod semper erat. Verbum caro factum est.
Hoc templum æternum est, hoc finem non habet, hoc tu
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petisti.
Destructum jacuit pœnis vexantibus: esto.
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.

talis structoris fecit hoc arenatum solutile; ergo jure destructum est, et æquatum solo: nam omnes res politæ arte pereunt, et id, quod incipit esse, invenit tandem aliquando finem. Sin autem cupis scire quale sit nostrum templum; illud est, quod nullus artifex condidit fabricando; quod nulla abies, aut pinus abrasa operuit, quod nunquam erectum fuit marmore cæso; cujus massa excelsa, nullis sustentata columnis, pependit super camera exili, fornice sinuato. Sed conditum est Verbo Dei, non verbo articulato, sed Verbo æterno, quod factum est homo. Illud templum est immortale: illud non circumscribitur terminis. Tu tentans illud evincere insectatus es flagellis, cruce, felle. Illud jacuit eversum tormentis disturbantibus, fateor; nam assumserat in sinu matris id, quod posset deleri. Sed tertio die est revocatum ad

NOTÆ

tius confutationis hæc summa est. Omnes fere populi Christi fidem amplexi sunt et dogmata: dæmones tum Christi, tum Apostolorum imperio ejecti Messiæ adventum semel atque iterum evulgarunt: Julianus coram aulicis, omnibusque satellitibus, qui sit Christus, sensit: denique urbs Hierosolyma solo æquata, templum Salomonis eversum, Judæi exules huc et illuc vagantur; ergo occæcati sunt Judæi, et degeneres, nisi Christum agnoscant, invocent, atque ut Deum colant.

Jacet illud nobile templum] Vespasianus per Galilæum ac Judæam arma circumferens oppida pleraque in potestatem redegit, ac postremo caput gentis Hierosolymam aggressus est, et per Titum filium obsidione cinxit anno imperii secundo, Christi 70. per azymorum dies. Templo succenso, urbs solo fuit æquata, cui et aratrum victor impressit.

517 *Quod fieri recipit, recipit quandoque perire*] Tale illud Lactant. II. 11. ‘Quoniam est, apparet aliquando cœpisse. Esse enim nulla res sine exordio potest: et quia cœpit, apparet quandoque desitura. Nec enim potest id totum esse immortale, quod ex mortalibus constat.’

Sed, quod morte brevi materna ex parte solutum est,
Majestate Patris vivum lux tertia reddit.
Vidisti, angelicis comitatum cœtibus, alte
Ire meum, cujus servor munimine, templum.
Illius æternæ suspendunt culmina portæ,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, et gradibus lucet via candida summis.
At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ:
Quid mereare, Titus docuit; docuere rapinis
Pompeianæ acies; quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.

vitam potestate Patris id omne maternum, quod obierat mortem brevem. Aspexisti meum templum, cujus munilio me tuetur, ascendere sursum stipatum turbis Angelorum. Illius januæ sempiternæ fulciunt tectum, et decor scalarum surgit per turres invias; et iter album resplendet summis gradibus. Sed tua sacrificia obruuntur ruinis tui templi accumulatis. Titus ostendit; Pompeii milites depopulatione, qua transportarunt tua membra lacerata in cunctas regiones terræ et maris, ostenderunt

perscr. a m. sec.—529 *quo* T.—531 *divum* Put.—542 *patriæ* Weitz.—545

NOTÆ

532 *Vidisti, angelicis comitatum cœtibus, alte Ire meum*] Die scilicet ascensionis; nam, ut ipse testatur Evangelista cap. I. Act. Apost. 'Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.'

538 *Quid mereare*] Titus enim exclamavit, 'Se auctorem ejusmodi cladis et eversionis non esse, sed iram Dei illam urbem atque gentem evertere.'

Titus] Vespasiano patri suffectus est Titus anno Christi 79. Præcipua in illo mansuetudinis ac facilitatis laus extitit, ita ut amor ac deliciæ generis humani vocari meruerit. Anno autem Vespasiani tertio, Christi 71. de Judæis cum patre suo triumphaverat; una enim Hierosolymæ obsidione undecies centena millia, quod fando vix auditum erat, perierant.

539 *Pompeianæ acies*] Hyrcanus, Aristobulusque ad Pompeium confugerant, illumque de dissidiis inter se ortis judicem constituerant. Is querebatur se regno a minore natu fratre spoliatum, alter regno Hyrcanum excidisse dicebat propter ignaviam. Aristobulus vero indignum ratus majestate regia Romanum assectari ducem, injussus rediit in Judæam. Quare offensus Pompeius Hierosolymam cum exercitu proficiscitur, expugnat, capit. Olymp. 179. Ann. U. C. 690. ante Christum 62. Populi Romani stipendiariam facit, urbes a Judæis belli jure captas liberas esse jubet, tam maritimas, quam mediterraneas, et proprio præsidi parere. 'Sicque tum primum libertatem amisimus,' ait Josephus, 'subjecti Romanorum imperio, et regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus, et insuper plusquam decem millia talentorum brevi tempore a nobis Romani exegerunt.'

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus commissâ piacula solvit.
En quo priscorum virtus defluxit avorum?
Servit ab antiquis dilapsa fidelibus hæres
Nobilitas, sed jam non nobilis: illa recentem
Suspectat captiva fidem: vis tanta novellæ
Credulitatis inest: Christum confessa triumphat
Gens infida prius; Christi sed victa negatrix
Subditur imperio, dominos sortita fideles.

CONTRA HOMUNCIONITAS.

Sunt qui Judaico cognatum dogma furori
Instituunt, media Christum ratione secuti.

qua pœna digna esses. Postquam Judæi detrusi fuerunt ex solo patrio, vagantur huc et illuc exules relegationibus mutabilibus; pendunt pœnas occisionis; et conspersi sanguine Christi, cui non crediderunt, eluunt crimen patratum. Usque eo discesserunt a virtute veterum majorum. Gens hæres nobilis, oriunda a patribus fidis in Deum addicitur in servitutem. Sed nunc non est nobilis. Gens vero captiva profitetur fidem novam; cujus novæ fidei virtus est tanta, ut gens, quæ erat infidelis ante, confessa Jesum triumphet. Gens autem negans Jesum, victa alieno est sub imperio, nacta Dominos fidos in Deum.

Sunt nonnulli, qui perpendentes Jesum modo, qui tenet medium, excogitant

Ex quo Weitz. P. Eg.—546 *delapsa* Weitz.—548 *Suscepitat* Weitz. Eg. P. Put.—551 *sortita priores* Put.

NOTÆ

541 *Exiliis vagus huc illuc*] Unde David. Psalm. XLIX. 'Deus repulisti nos, et destruxisti nos, iratus es, et misertus es nobis.'

545 *En quo defluxit*] Tale illud: 'En quod iscordia cives Produxit miseros, en quis consevimus agros.' Quare perperam mutatum est Weitzio.

551 *Subditur imperio*] 'Per omnes gentes,' inquit Augustinus, 'dispersi sunt Judæi testes iniquitatis suæ, et veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus Prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum.'

Dominos sortita fideles] Quod perpendens Augustinus in Psal. LVIII. 'Omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur; Judæi vero manent cum signo: nec sic dicti sunt, ut a victoribus absorberentur.'

Homuncionitas] Alii, *Homusionitas*, ab ὁμοούσιος, et ὁμουσιότης: sed *Homuncionitarum* nomen non esse solicitandum nos docet auctor antiquus de hæresibus, quem sub Prædestinati nomine Jacobus Sirmondus S. J. emisit in lucem: 'Homuncionitæ, qui dicunt in corpore homines esse imaginem Dei, non in anima.'

Hoc tantum quod verus homo est; at cœlitus illum
Affirmant non esse Deum; pietate fatentur,
Majestate negant: morum pro laude sacratum
Concelebrant: adimunt naturæ summa supernæ.
Omne opus egregium, per quod solertia pollens
Emicat, ingenii est, aut roboris: illud acuto
Corde viget; duris excellit viribus istud.
Mortale est sed utrumque homini: nam cana senescunt
Ingenia, et validos consumunt sæcla lacertos.
Hæc nos in Domini virtute et laude perenni
Non sequimur: sequimur, nullo quod semine terræ
Germinat, immundum quod non de labe virili
Sumit principium, tener illum seminat ignis:
Non caro, nec sanguis patrius, nec fœda voluptas.
Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat:
Incomperta ortus novitas, jubet ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus. Innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris.

sectam non absimilem sectæ Judæorum. Fatentur id unum, nempe Christum esse verum hominem, sed negant illum esse Deum delapsum e cœlo. Volunt fuisse pium, negant esse Deum. Colunt donatum divinitate propter meritum morum, at spoliant re præcipua naturæ divinæ. Omnia facta illustria, quibus sapientia potens eminet, oriuntur ex ingenio aut robore. Illa pertinent ad animum solertem, hæc constant validis viribus: tamen utraque in homine sunt obnoxia morti. Nam cana ingenia debilitantur, et firma latera enervantur ætate. Nos Christiani numeramus illa inter virtutes Christi, et laudes æternas: consideramus venisse in terram sine ullo semine mortali, habuisse ortum sine consortio viri, nec carnem, nec sanguinem patris, nec voluptatem libidinosam illum formasse, sed ignem purum. Vis divina, immittens Spiritum Sanctum in uterum castum, gravidat virginem expertem nuptiarum. Insolentia singularis nativitatis nos cogit credere Jesum ita natum esse Deum. Virgo innupta nubit Spiritui Sancto, nec sentit stimulos amoris, virginitas

560 *excellet* Weitz. Put.—561 *homini nam* W. Weitz.—564 *terra* F.—567 *non sanguis* A.—569 *flatu* Eg. P. *affectu* Ro. Torrent. duo.—577 *sancto pro-*

NOTÆ

562 *Consumunt sæcla lacertos*] 'Subruit hæc ævi demoliturque prioris Robora; fletque Milon senior, cum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.' Ovid. Met. xv. loquens de senectute.

567 *Fœda voluptas*] August. 'Virgo quippe genuit, quia Virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit.'

Pubertas signata manet, gravis intus, et extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.
Jam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater.
Quid renuis? quid inane caput, non credule, quassas?
Angelus hoc sancto fore nuntiat ore: placetne
Credere, et angelicis aurem reserare loquelis?
Ipsa coruscantis monitum sacra Virgo ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum:
Credentes nam Christus adit: dubitabile pectus
Sub titubante fide refugo contemnit honore.
Virginitas et promta fides Christum bibit alvo
Cordis, et intactis condit paritura latebris.
Crede quod emissus solio Patris angelus infit.
Vel, si concretus liquidam de sidere vocem
Non capit auditus, mulier quid conjuge prægnans

remanet illibata, est intus prægnans, et extra integra, fulgens fœcunditate pudica. Est jam mater, sed virgo simul: est mater non experta virum. Cur id respuis? Cur, o pertinax, concutis caput leve? Angelus illud profert ore sacro; visne credere, et patefacere aures verbis Angeli? Beata Maria ipsa habuit fidem nuntio Angeli splendidi, quare, quod credidisset, peperit Jesum. Nam Jesus invisit eos, qui credunt, et aspernatur cor varium, cujus fides vacillat, illi denegando hunc honorem. Pudicitia, et fides promta excipiunt Jesum secreto cordis; et Maria paritura excipit visceribus illibatis. Adjunge fidem huic, quod dicit Angelus missus e sede ætherea. Quod si aures stolidæ non recipiunt vocem puram de cælo, audi tandem

nuntiat ore Weitz. Delph. Vat. fere omn.—579 *monitis* Weitz. *monitus* F.—

NOTÆ

576 *Caput quassas*] Alludit ad hæc verba Psalm. XLIII. 15. et CVIII. 26. ‘Viderunt me, et commoverunt capita sua.’

577 *Angelus hoc sancto fore nuntiat ore*] ‘Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.’ Luc. c. I.

579 *Monitum* [*Monitis*] *sacra Virgo ministri Credidit*] Nonne *monitum credidit?* Nam supra: ‘ille Deum vidit, visum mox credidit.’ Et inf. vs. 712. ‘Jam crede Deum.’ Passione Vincentii: ‘Repente Christum credidit.’ vs. 348.

583 *Virginitas*] Idem plane habet August. ‘Concepit mox ad credulitatem Verbi, virilis ignara consortii: impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Extat itaque Virgo, cum concepit, Virgo gravida; Virgo, cum parit; et Virgo post partum.’

586 *Concretus auditus*] Crassus, stupidus, obduratus, vel spissus ob tortuosorum auris flexuum compressionem; sive, ut explicat Giselinus, auditus ex mole terrea compactus, eoque ad cœlestia percipienda minime accommodatus.

Clamet anus, credens et tandem sobrius audi.
Mira fides! utero puer interceptus anili,
Virgineum Dominum materno ex ore salutat
Primus, et infantem non natus nuntiat infans
Jam nostrum vagire sibi: nam pusio nondum
Norat, et ora Deo reserabat garrula Christo.
Promite secretos fatus: date, pandite librum,
Evomuit, spirante Deo, quem sanctus Esaias.
Percensere libet, calamique revolvere sulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices summissus adoro,
Dum lacrymans veneror, dumque oscula dulcia figo.
Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.
Advenit promissa dies, quam dixerat iste
Affore versiculus, cum Virgo puerpera, teste
Haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,

credens et mente sana, quid fœmina ætate provecta, gravida e suo marito clamet. Puer, quod vix potest credi, inclusus in utero vetulo salutat ore matris Deum Filium Virginis. Et puer nondum natus primus indicat puerum; nam is puer nondum noverat puerum, qui datus est nobis, jam se alloqui, et aperit os loquax homini Deo. Afferte dicta prophetica; date, aperite librum, quem pius Isaias afflatus divino Spiritu edidit. Placet evolvere, et perlegere ductus styli, quos hæc dextra aurea formavit literis divinis. Recedite procul, dum colo prostratus coruscos characteres, dum gemens veneror, et dum do suavia basia. Lætitia parit lacrymas, lætitia movet fletus. Illud tempus promissum, quod is versiculus, (cum Virgo prægnans peperit, teste suo vere marito, qui custos erat virginitatis devotæ, et posuit ante

594 *fatos* Put. Eg. *fastus* W. superscr. *fastos* T. B. sed in T. *festos* a m.

NOTÆ

588 *Clamet anus*] De salute ab Elizabetha reddita loquitur: 'Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?' Illico enim Spiritu Sancto repleta est, et mysterium, quod virgo tacebat, agnovit.

591 *Primus, et infantem non natus nuntiat infans*] Joannes materno in utero gaudio exultavit, et dum Maria atque Elizabeth amplexus pacisque dulcia mutuo dabant oscula, sese interea infantuli consalutabant. Luc. cap. I.

600 *Gaudia concipiunt lacrymas*] Ita apud Terent. Adelph. III. 3. 'Oh! lacrymo gaudio.' Necnon apud Orosium II. 17. 'Ita lacrymæ tuæ pectora nostra gaudiis irrigabant, ut, quamvis nefas esset, te flente lætari, vinceret tamen gratulatio religionem; cum lacrymæ illæ pietatis essent indices, non doloris.'

601 *Quam dixerat iste Affore versiculus*] Isaias cap. VII. 'Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.'

Edidit, Emmanuelque meum me cernere fecit.
Estne Deus jam noster homo? versatur et astat
Nobiscum, nomenque probat; versumque vetustis
Obscurum sæclis præsenti illuminat ore.
Estne Deus, cujus cunas veneratus Eous,
Lancibus auratis regalia fercula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pinnatus, rapidoque simillimus Austro
Nuntius, Auroræ populos, atque ultima Bactra
Attigit, illuxisse diem lactantibus horis,
Qua tener innupto penderet ab ubere Christus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus.

oculos Deum meum,) prædixerat venturum, venit. Nunc noster servator estne Deus? Manet et vivit nobiscum, et præsentia sua confirmat nomen suum, et explanat hunc versiculum ignotum primis temporibus. An Deus est is, cujus cunabula adorans oriens affert supplex in pyxidibus auratis munera regalia puero involuto pannis ad sinum virginis? Quis nuntius tam velox, et æque celer ac ventus rapidus docuit populos Orientales, et ultimos Bactros diem nutritum horis fuisse exortum, quo Christus puer sugeret ubera virginis? Nam clamant, Vidimus hunc infantem ferri per cælum, et collucere præ veteribus sulcis stellarum. Astrologus Chaldæus

sec.—613 *lætantibus* Weitz. Eg. *luctantibus* G. *oris* A. quod et in W. sed

NOTÆ

604 *Emmanuel*] 'Ex Hebræo in Latinum significat, nobiscum Deus, scilicet quia per Virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit.' Isid. Theol. VII. 2. de Filio Dei.

608 *Cunas veneratus Eous*] Adi Hymnum Epiphaniæ: ibi sane reperies Prudentium recte ex Magorum muneribus, atque itinere inferre Christum Deum esse, atque ut Deum colendum. De Eoo ibidem.

611 *Rapidoque simillimus Austro*] Auster sive Notus, ventus a Meridie flans; acer, vehemens, et sævus. 'Nec si te validus jactaverit Auster in alto.' Horat. Ep. I. 11.

612 *Ultima Bactra*] Regio Asiæ, inter Parthiam ab Occidente, atque Indiam ab Oriente, Oxo fluvio a Septemtrione definita.

613 *Illuxisse diem lactantibus horis*] Viri docti suspicati sunt, non *lactantibus horis*, ut multis placuit, sed *luctantibus horis* esse legendum; quippe quod a nativitate Christi horæ diei cum horis noctis quodammodo luctantur, volentibus crescere diebus. Sed, *lactantibus horis*, verum est, h. e. foventibus et quasi nutrientibus. Quomodo nutriri ac ali spe et gaudio: et Prudentius Hymno Laurentii sub finem, 'Tuos alumnos urbicos paterno amore nutrias.'

Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, cessisse anguem, fugisse leonem;
Contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum;
Cornibus infractis domitum mugire Juvencum,
Sidus et Hircinum laceris marcescere villis.

pervigil in loco excelso obstupuit, timens serpentem abiisse, Leonem fugisse; Cancrum curvasse pedes, ordine interrupto unius lateris, Taurum victum cornibus fractis mugire, et Capram languescere pilis cæsis. Hinc Aquarius pulsus cadit; inde

h videtur erasum esse.—621 *Hirquinum* P. Put.—622 *Sagittæ* Put.—623 *Pal-*

NOTÆ

617 *Chaldæo*] Chaldæi, ut ait Tullius, Assyriorum magi ex gentis vocabulo dicti sunt, qui diuturna observatione siderum, scientiam putarunt effecisse, ut futura, et quo quisque fato natus esset, prædicerent. Tantum autem hac in arte valuerunt Chaldæi, ut quicumque Astronomiam profiterentur, ab iis dicti fuerint Chaldæi. Unde A. Gell. I. 9. 'Vulgus autem, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit.'

618 *Cessisse anguem*] Quid hac fictione liberalius, quid vividius, quid ingeniosius excogitari potest? Nihil fortasse apud antiquos reperies, ubi tanta vis ingenii eluceat atque elegantia.

Anguem] Serpentem scilicet: quod Astrum habet stellas 18. ex quibus lucida colli est secundæ magnitudinis.

Leonem] Quintum Zodiaci signum: sive a configuratione, sive ab ardore sic dictum. Quemadmodum enim Leo est animal natura aridum, ita et signum Leonis, sub quo Sol decurrens rebus maturitatem affert. Poëtæ fingunt fuisse Leonem Nemeæum ab Hercule occisum, in cœlo ab Jove translatum. Constat stellis 27. inter quas insignes et primæ magnitudinis, duæ sunt. Altera in pectore, dicta cor Leonis; altera in caudæ extremitate.

619 *Cancrum*] Quartum ex duodecim Zodiaci signis, ita dictum, quod Sol mense Junio signum hoc perambulans paulatim incipit a nobis recedere, et cursu retrogrado ferri in modum Cancri. Constat stellis 13. ex quibus duæ magnitudinis tertiæ; una in brachio, altera in ultimo pede Austrino. Is Cancer, ut volunt poëtæ, a Junone in Herculem, cum Hydra Lernæa pugnantem, immissus fuit, ab Hercule occisus, quod pedem ipsius momordisset, et a Junone inter sidera collocatus.

620 *Juvencum*] Secundum Zodiaci signum, aversum Arieti, adversus Geminos. Constat 33. stellis, quarum nobiliores quinque in fronte Hyales, et harum maxima oculus Tauri, septem in humero Vergiliæ seu Pleiades. 'Et ipsum,' inquit Isidor. III. 70. 'inter sidera collocant in honorem Jovis, eo quod in bovem sit fabulose conversus, quando Europam transvexit.'

621 *Sidus et Hircinum*] Capra, signum cœleste, ut poëtis placet, Amaltheæ Capra fuit, cujus lacte educatus est Jupiter. Unde Ovid. Fast. v. 'Ab Jove surgat opus: prima mihi nocte videnda Stella est in cunas officiosa Jovis. Nascitur Oleniæ signum

Labitur hinc pulsus Puer hydrius; inde Sagitta;
Palantes Geminos fuga separat: improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quique alii horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere novum: rota lurida solis
Hæret, et excidium sentit jam jamque futurum,
Seque die medio velandam tegmine glauco,
Splendoremque poli periturum nocte diurna,
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.

Sagitta. Errantes Gemini fugiendo disjunguntur. Falsa Virgo deserit in cœlo suos procos tacitos. Atque alia sidera, quæ dependent nubibus horridis, metuerunt ne nova stella lucida surgeret. Currus Solis pallidus non ultra progreditur, et agnoscit se brevi inventurum finem, et meridie ipso se obductum iri velo nigro, et noctem diurnam erepturam lumen suum in cœlo, orbe suo se involvente tenebris

lentes Eg. P.—627 *sensit* A.—628 *velandum* Weitz.—629 *perituro* P.—635

NOTÆ

pluviale capellæ.' Vel si vis, de Capricorno loquitur decimo Zodiaci signo, quod 29. stellis constat. Metu enim Typhonis gigantis Pan in Capricornum se vertit, sed semipiscem, ut terra marique tutus esset: ob quod inventum a Jove in cœlum receptus fuit.

622 *Puer hydrius*] Undecimum Zodiaci signum, Capricorno proximum, 'Ab imbribus,' nomen accepit teste Isidoro, 'quod hyeme quando Sol in hoc signo vertitur, majores pluviæ profunduntur.' Quare Virg. Georg. III. 'Cum frigidus olim Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.' Oritur enim 15. Calend. Februar. Prudentius autem vocat 'Puerum hydrium,' quia fabulantur poëtæ hunc fuisse Ganymedem, quem Jupiter aquila transvectum suis poculis præfecit: unde urnam habet, aquam fundentis situ.

Sagitta] Signum cœleste, stellas habens quinque, quæ fere in fine Capricorni cernuntur. Recepto Prometheo in gratiam a Jove, voluit ut sagitta, qua Hercules interfecerat vulturem Promethei jecur edentem, cœlo infigeretur.

623 *Palantes Geminos*] Castor et Pollux a Jove ad singulare pietatis et fraternæ amicitiæ monumentum mutati sunt in geminas stellas navigantibus salutares: ut Horatius cecinit Od. I. 3. 'Sic fratres Helenæ, lucida sidera, Ventorumque regat pater.' Astrologi Geminos ponunt tertium Zodiaci sidus, Voluntque constare hoc astrum stellis 25. Sol autem 14. Calend. Junii illud ingreditur.

Improba Virgo] Sextum Zodiaci sidus: habet 26. stellas. Isidor. lib. III. docet ita dici, 'quod eisdem diebus, in quibus Sol per illud decurrit, terra exusta Solis ardore nihil pariat, est enim hoc tempus Canicularium dierum.' Quidam putant Astræam esse, Jovis filiam: alii Erigonem, Icari filiam, ob insignem pietatem a Jove in cœlum translatam.

Hunc ego non cumulem myrrhæque et thuris et auri
Muneribus? Scio, quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui cœlo visus, humique
Inventus rex, atque Deus moderatur utrumque
Naturæ specimen, tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum jubet ire sepultos?
Cœlum habitat, terris intervenit, abdita rumpit
Tartara. Vera fides; Deus est, qui totus ubique est.
Numquid vana viros aut mens aut lingua fefellit?
Numquid fortuitis frustrantia dona dederunt
Casibus? aut cæco votum sub honore dicarunt?
Quæ porro causa aut ratio, summittere colla
Ante pedes Mariæ, puerique crepundia parvi;
Si tantum mortalis erat, nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus!
Sed jam tolle Magos, thus, aurum, myrrhea dona,

subitis. Vis ut ego non illum accumulem donis et myrrhæ, et thuris, et auri? Non ignoro, quis sit is, quem video, quæ munera offeram. Vis ut ego non adorem hunc, qui visus in cælo, et habitus in terris Rex atque Deus gubernat utrumque imperium mundi, et diffindens morte portas Inferorum jubet mortuos ipsum sequi? Versatur in cælo, descendit in terram, vincit infima loca. En vera fides. Is est Deus, qui est ubique totus. Numquid Magi decepti sunt aut vana cogitatione, aut voce? Numquid attulerunt fortuito casu munera inania; aut conceperunt vota cultu cæco? Sin autem Christus est tantum homo; nec suprema potentia divino afflatu implet membra puerilia; quæ causa? quæ ratio impellit eos, ut inflectant capita ante pedes Mariæ, et cunabula Christi? Sed esto, jam non consulamus Magos, thus, aurum,

NOTÆ

637 *Cœlum habitat, terris intervenit*] Simile illud August. in Natal. Serm. 8. 'Manens in sinu patris, implevit uterum matris.' Et de Tempore Serm. 29. 'Videbatur quidem in præsepio, sed dominabatur in cœlo.'

644 *Si tantum mortalis erat*] Ad probandam Christi divinitatem, iisdem fere tum scripturæ testimoniis, tum argumentationibus usi sunt S. Irenæus lib. III. adversus hæreses cap. 24. S. Ignatius in Epist. ad Ephesios, et ad Magnesianos, S. Justinus martyr. Apolog. II. et in Dialogo contra Tryphonem, Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 13. S. Cyprianus lib. II. adversus Judæos ad Quirinum c. 1. Origenes lib. VII. contra Celsum, aliique omnes, qui Cerinthum atque Ebionem refutarunt. Quare, ne longior sim, hæc una verba S. Cyprian. lib. de Idolorum vanitate referam: 'Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, et gloria: hic in virginem illabitur: carnem, Spiritu Sancto cooperante, induit. Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est.' De Crepundiis sup.

Quæ verum docuere Deum: præsepia, pannos,
Matris adoratum gremium: face sideris ardens
Ipsa Deum virtus, factorum et mira loquuntur.
Insanos video subito mitescere ventos
Cum jubeat Christus: video luctantia magnis
Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Christi: video, calcatus eundem
Cum patitur gurges tergum solidante liquore.
Ipse super fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu:
Increpat ipse Notos, et flatibus otia mandat.
Quis jubeat sævis Aquilonibus, Ite, silete
Carceribus vestris, amploque facessite ponto;
Sit nisi Cœlipotens, Aquilonum cónditor idem!

myrrham, præsepe, pannos, gremium Mariæ adoratum, lumen facis stellæ; quæ omnia monstrarunt Jesum esse verum Deum. Ipsius virtus, et facta mirabilia ostendant esse Deum. Video ventos furentes silere, statim atque Jesus imperat: video mare commotum magnis tempestatibus sterni jussu Christi, et fieri mare pacatum: video superficiem ipsius solidam aquis consolidatis, cum aquæ pressæ pedibus sustinent Christum. Ipse peragrat plantis nitidis undas fluidas naturaliter, et firmat incessum quatiens fluctus. Ipse exagitat ventos, et jubet auras quiescere. Quis ita alloquitur violentos ventos: Fugite, silete, repetite vestra antra, et recedite ex vasto mari: nisi sit Deus et creator ventorum? Boreas nivosus et Eurus aquosus

speciem A. *regimen* F.—649 *facturum* Eg. P.—656 *et presso* A. F. B.—664

NOTÆ

649 *Ipsa Deum virtus, factorum et mira loquuntur*] Alterum Christi divinitatis argumentum firmum atque indubitatum, quod Lessius lib. de Providentia, et Bellarminus lib. IV. de Ecclesia militante cap. 14. optime exponunt, quod Theologi omnes ad unum adhibent. Unde Josephus ipse, Judæus licet religione et genere Ant. Jud. XVIII. 4. 'Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt.'

650 *Insanos video subito mitescere ventos*] Hoc insigne miraculum ex cap. VII. Matth. desumtum jam Prudentius descripsit Hymn. 9. Cathem.

652 *Tranquillo marmore*] Mari pacato. Virg. Georg. I. 'Et quando infidum remis impellere marmor Conveniat.'

657 *Increpat ipse Notos*] Arnob. l. I. 'Cujus vocem ad simplicem furibunda et insana explicabant se maria, procellarum turbines tempestatesque sidebant.' De Noto, vento a meridie flante, vers. 611. De Aquilone, vento Septemtrionali, qui et Boreas dicitur, in Psychom. ac de Euro, qui ventus spirat ab Oriente Brumali.

Ninguidus agnoscit Boreas, atque imbrifer Eurus
Nimborum dominum, tempestatumque potentem;
Excitamque hyemem verrunt ridente sereno.
Quis pelagi calcarit aquas? quis per vada glauca
Gressibus impressis spatiatus triverit udum
Non summersus iter, sola pendulus, et péde sicco;
Æquoreæ nisi factor aquæ? qui Spiritus olim
Ore superfusus patrio volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis.
Sustinuit gressum domini famulus liquor, ac se,
Mobilitate carens, solidos substrinxit ad usus.
Quid diversa Dei memorem facta inclyta Christi,
Altius inspecta quem majestate negator,
Haud dubitans hominem, tute ipse fatebere Numen?
Illevit cæcos oculos, et lumina limo
Reddidit humectam sacro sputamine terram
Contrectans digitis: luteum medicamen operta
Nox habuit; tenebras obducta uligo removit.
Insuper ostendit quonam caligo lavacro

observant Dominum pluviarum, et rectorem procellarum; et mutant tempestatem excitatam in dulcem serenitatem cœli. Quis incedens passibus impressis per fluctus cæruleos confecit iter fluidum non summersus, pendulus super superficiem, et pede sicco; nisi sit Spiritus creator aquæ maris? qui Spiritus effusus ore Patris olim ferebatur super aquas nondum divisas, nec circumscriptas terminis fixis. Aquæ subjectæ tum non cesserunt pedibus Dei; et amittentes profluentiam congelantur ad usus, qui requirunt soliditatem. Quid narrem varia facta illustria Christi Dei? O tu, qui denegas Christo divinitatem, et fateris esse hominem, respice altius, tu ipse fateberis esse Deum. Perunxit oculos cæcos, et tractans manibus terram madidam saliva cœlesti, reddidit visum hoc luto. Cæcitas sanata invenit remedium in luto: humor infusus resolvit caliginem. Quinetiam monstrat, quænam lavatio



calcaret P.—669 *limite* Ro. Torrent. un.—673 *quæ m. negantur* A. Bodl. *quæ m. negatur* Eg. *quam m. negator* W. superscr. sed *quæ* a m. pr. *negantur*

NOTÆ

667 *Qui Spiritus olim volitabat in undis*] 'Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas.' C. I. Genes.

678 *Tenebras obducta uligo removit*] Adi Joan. cap. 9. Hymn. IX. Cathem. Uligo autem proprie est naturalis humor terræ, ex ea nunquam recedens. Hic tamen sumitur pro quocumque humore, seu potius pro aqua.

Expurganda foret, variis Siloa refundit
Momentis latices, nec fluctum semper anhelat:
Sed vice distincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum sitiunt spem fontis avari,
Membrorum maculas puro ablutura natatu.
Certatim interea roranti pumice raucas
Expectant scatebras, et sicco margine pendent.
Hoc limum jubet impositum de fonte lavari
Christus, et infusa vultum splendescere luce.
Norat enim olim sese informasse figuram
Ante tenebrosam, proprii medicamen et oris
Adjecisse novo, quem primum finxerat, Adæ:

fugaret cæcitatem. Siloa variis temporibus profert undas extra alveum, nec quoque semper indiget aquis; sed vicibus alternis fons ille intumescit multis fluctibus. Turbæ ægrotorum expetunt æstum reciprocum fontis avari, ut lavent puris aquis sordes corporis. Dum expectant certatim ebullitiones aquæ moventis strepitum raucum inter lapides stillantes, et jacent in ripa sicca. Jesus jubet lutum illud, quod applicarat oculis, detergi aquis fontis, et vultum splendescere luce reddita. Nam non ignorabat sese dedisse formam limo, qui antea erat informis, et addidisse Christo, novo Adæ, quem primum produxerat, remedium effusum ex suo ore: si-

P. *qua* B. *quæ m. negator* Put. Nom. *qui.* C.—684 *abluitura* Weitz. *ab-*

NOTÆ

680 *Variis Siloa refundit Momentis latices*] 'Natatoria Siloë, ad quam Christus misit hominem cæcum a nativitate, ut visum reciperet, fons fuit, teste Hieron. ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed certis horis diei ebulliret, et per terrarum concava ad antra saxi durissimi cum magno sonitu veniret. Quem fontem precibus Isaiæ prophetæ primum erupisse, ut obsessis sub Ezechia rege Judæis succurreretur, et quotiescumque iidem aquatum venirent, undam præbuisse, hostibus vero advenientibus, latere consuevisse, Epiphanius scribit.' Hæc Baronius ad Ann. 33. Adi quoque cap. IX. Joannis.

683 *Agmina languentum*] Quanquam ea dici possint poëtice, poëta tamen, nisi fallor, quæ cap. V. Joan. narrantur de piscina, cui a divina virtute, non vero a victimis, aut a ligno jacente in fundo, ex quo crux Christi postea fabrefacta sit, vis erat sanandi, certo quodam tempore, sed hominibus ignoto, cum aquæ ab Angelo turbarentur, iis quæ de Siloë natatoria referuntur cap. IX. confundit. Joannes quidem aquis Siloë morbos corporis depelli, atque ablui maculas, nusquam scripsit.

686 *Expectant scatebras*] Ebullitiones, quæ fiunt, cum aqua in aliquas rimas defluxerit. Unde etiam vasa æstuantia scaturire dicuntur. 'Scatebrisque arentia temperat arva.' Virg. 'Roranti pumice,' lapide scilicet cavernoso.

Nam sine divino Domini perflamine summi
Arida terra fuit: nulli prius apta medelæ:
Sed postquam liquidus cœlesti Spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est.
Inde trahit succum, lentoque humore salutem
Illinit, infunditque diem baptismate lota.
Cæcus adest, oculis jam Christi ex ore retectis,
Seque luto et nitidis lucem sumsisse fluentis
Clamat, et auctorem stupefacta per oppida monstrat:
Auctorem lucis, largitoremque dierum,
Non dedignatum medicæ purgamen aquai
Corpore sub proprio monstrare errantibus ægris.
Millibus ex multis paucissima quæque retexam,
Paulatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinque in deserto panes jubet et duo pisces
Apponi in pastum populis, qui forte magistrum
Non revocante fame stipabant undique septum,
Immemoresque cibi, vicos, castella, macellum,

quidem terra sine cælesti flatu supremi Dei fuit sicca, et ante nullis utilis curationibus. Sed postquam Spiritus Sanctus respersit divino ore limum corporis virginis, illa terra est salutaris. Haurit aquam e fonte, et ungit medicamen frigido humore, et medicamen lotum aqua reddit lucem. Cæcus advenit, oculis jam apertis imperio Christi, et vociferatur se recuperasse visum luto et aquis nitidis, et ostendit per vicos attonitos medicum, nempe Dominum luminis, et distributorem dierum, qui non recusavit indicare sub vero et suo corpore ægrotis errantibus lavacrum aquæ salutaris. Ex tot multis aliis dicam pauca de unoquoque: leviter attingam ea, quæ exsuperant totum mundum. Jesus in deserto jubet quinque panes et duos pisces dari in cibum hominibus, qui, fame non revocante, forte comitabantur Christum cinctum undique. Illi immemores cibi, et contenti imbui multis documentis, deseruerant

litura Put.—702 *purgamina lymfæ* A. *purgamina quæ* Eg. P.—704 *retexens*

NOTÆ

700 *Et auctorem monstrat*] 'Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, et lava. Et abii, lavi, et video.' cap. IX. Joan.

702 *Purgamen Corpore sub proprio monstrare*] Ipse enim in corpore proprio monstravit purgamen medicæ aquæ, baptismum suscipiens.

Aquai] Pro aquæ: dissolutio more veterum diphthongi æ, quæ Græcis est αι, in vocales α et ι. Apud Virg. Æn. IX. 'Furit intus aquai Fumidus atque alte spumis exuberat amnis.'

706 *Quinque in deserto panes*] Jam Hymn 9. Cathem. hujusce miraculi meminit Prudentius. *Cophinos*, vasa viminea.

Oppida, mercatus, et conciliabula, et urbes
Respuerant, largo contenti dogmate vesci.
Multa virum strato fervent convivia fœno,
Centenos simul accubitus iniere sodales;
Seque per innumeras infundunt agmina mensas,
Pisciculis (jam crede Deum) saturanda duobus,
Et paucis crescente cibo per fragmina crustis.
Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implent
Post cœnam cophinos: crudus conviva resudat
Congeriem ventris, gemit et sub fasce minister.
Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis, nisi qui corpus, pastum quoque corporis omnem
Condens ex nihilo, nulla existente creavit
Mundum materia? non sicut sculptor ab æris
Rudere decoctam consuescit vivere massam.

vicos, villas, macellum, oppida, mercatus, et conciliabula, et urbes. Multæ epulæ hominum in herba conculcata agitantur. Sodales una inierunt diversas accubationes epulares, et turbæ accedunt ad multas mensas, quæ turbæ debent satiari duobus piscibus et paucis panibus, cibis multiplicatis, dum franguntur. Jam fatere esse Deum dapibus circumesis; cibi in unum collecti superabundant: cœna peracta implent duodecim corbes multitudine fragmentorum. Convivæ farti elaborant ob congeriem ciborum in stomacho, et famuli gemunt sub pondere. Quis potest mutare modicas escas in maximas? Quis, inquam, nisi is, qui faciens totum mundum ex nihilo, creavit nullis elementis rerum existentibus corpora et cibos? Deus omnipotens non consuefacit more sculptorum ex ære nondum excocto massam de-

Weitz.—705 *relegam* Weitz. Delph.—722 *omne* Weitz.—724 *ab ære Crudam et inexcoctam c. fingere m.* G.—725 *fingere* Weitz.—742 *tanta c.* F. G.—744

NOTÆ

710 *Conciliabula*] 'Conciliabulum, locus in agris aut vicis ad quem rustici frequentes emendi et vendendi causa conveniunt, certis nundinarum diebus, a verbo conciliare, emere. Immo et concilium nundinæ etiam dicebantur.' Eugraphius apud Terent. 'Male conciliate, male emte. Nam concilium nundinas dicimus.'

724 *Ab æris Rudere*] Rudus æris, vel, ut ait Festus, raudus, æs nondum excoctum, a Græco ῥάβδος, virga impolita, qua olim certabant gladiatores. Sed ad alia postea Raudi vox extensa est. Nam rude saxum et grande raudus vocavit Attius; sic æs rude et impolitum vocavere. Hinc porta Romæ Rauduscula, quod esset ærata.

725 *Consuescit vivere massam*] Quæ lectio hactenus fuit contemta, licet elegantissima sit, et verissima: non vero *fingere massam*. Sic 'spirantia æra' Virg. et Claudiano. Tum 'vivi vultus' Æn. VI. 'Excudent alii spirantia mollius æra, Credo equidem,

Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat omne quod est: nil id, procedere, et esse,
Atque novum fieri, mox et grandescere, jussum est.
Parvum de nihilo primum fuit: addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego cum videam manibus sic crescere Christi
Parva alimenta hominum, possum dubitare per ipsum
Exiguas rerum species, elementaque mundi
Ex nihilo primum modica, et mox grandia sensim
Crevisse, ex modicis quæ consummata videmus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisve
Muribus in prædam nullo custode jacerent;
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
Servarent gravidis procul ostentata canistris.
Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo,
Indignus qui sancta canam? Procede sepulcro,
Lazare, dic, cujus vocem tellure sub ima
Audieris: quæ vis penetraverit abdita leti,

coctam vivere, sed condidit mundum sine elementis. Id omne, quod nunc existit, erat nihil; Deus jussit illud nihil oriri, et existere, et exire novissimum, et crescere subito. Quod productum fuit primum ex nihilo, fuit parvum, sed incrementa adjuncta ad illud parvum amplificarunt omnia numeris absolutis. Ergo ego, cum intuear pauca cibaria hominum ita multiplicari manibus Christi, possem dubitare tenues figuras rerum, et elementa mundi pusilla in initio fuisse producta ex nihilo, et nunc magna sensim crevisse ex exiguis incrementis, quæ cernimus perfecta? Verum ne, post prandium hominum, fragmenta conculcata perirent, aut ne objecta lupis, sive vulpibus, sive exiguis muribus essent prædæ, nemine servante illa; duodecim fuerunt electi, qui colligerent in amplas corbes bona Christi monstrata procul. Sed cur ego indignus, qui describam res sacras, illa refero voce vacillante, Lazare? egredere e tumulo; dic cujus vocem audieris conditus in profunda fossa: quæ vir-

NOTÆ

et vivos ducent de marmore vultus.' Apud Juven. Sat. VIII. 'Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis Phidiacum vivebat ebur.' Complura his assimilia occurrunt. 'Consuescit vivere' pro consuefacit. Sic lib. I. contra Symm. 'Assuescit supero pollere in sæcula regno.'

726 *Sine semine finxit*] His ac sequentibus refutat errorem Philosophorum, qui aut mundum esse ab æterno, aut saltem prima mundi elementa, olim docuerunt.

741 *Sed quid ego hæc autem*] Virgilianum illud: 'Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?' Æn. II. 101.

Quod, cum te Christus penitus nigrante profundo
Immersum vocat, ut redeas, ceu proximus, audis,
Nec remoratus ades: quæ tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Conjungit superis? ubi Tænara tristia vasto
In præceps dejecta chao, latebrosus et ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis?
Ante fores tumuli, quas saxa immania duro
Obice damnarant, scopulis substructa cavatis,
Stat Dominus, nomenque ciet frigentis amici.
Nec mora: funereus revolutis rupibus horror
Evomit exequias gradiente cadavere vivas.
Solvite jam lætæ redolentia vincla sorores,

tus pervenerit ad loca abdita mortis. Quia audis veluti proximus, et advolas non retardatus, cum Christus jubet te inclusum omnino in nigris Inferis redire ad vitam. Quis gurges tam vicinus jungit terræ loca infera divisa arcto limite? Quo in loco horridus Tænarus cadit in profundum vasto hiatu? Et is umbrosus fluvius spargit flammas ex ripis non completis. Jesus stat ad ostium sepulcri, quod ampli lapides inducti in rupem cavatam clauserant duro obstaculo, et semel atque iterum pronuntiat nomen amici sui mortui; atque illico antrum sepulcri lapidibus remotis reddit depositum vivum, et cadaver incedit. O sorores, nunc hilares, demite fratri

penetrarit ad abdita G. *penetraverit intima* A. Bodl.—749 *Trenara* W. B.—753 *damnarunt* Weitz. *subtracta* Eg.—763 *Qui* A. *diffundere* W. superscr.

NOTÆ

746 *Ceu proximus, audis*] Quomodo Christus Lazarum ad vitam revocaverit, quamplurimi scriptores literis tradiderunt. Quare non immoror, præcipue cum hac de re et Joan. cap. XI. locutus fuerit, et Prudentius Hymn. 9. Cathem.

747 *Charybdis*] De illo gurgite inter Calabriam et Siciliam prope Messanam urbem Cathem. VI. 107.

749 *Tænara*] Tænarus, plur. Tænara: promontorium Peloponnesi, dividens sinum Messeniacum a Laconico, per quod Herculem, cum duceret Cerberum, ab Inferis emersisse, atque aditum esse Inferorum Græci fabulantur. 'Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis.' Virg. Georg. IV. Ibi Neptuno præsidi templum erat positum.

750 *Chao*] Chaos, teste Festo, vastus est et confusus hiatus ab initio creatus. 'Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem hiantem, atque patentem in profundum: ex eo et χαίνειν Græci, et nos hiare dicimus.' De quo Hymn. 12. Cathem.

754 *Nomenque ciet*] 'Ciere,' inquit Festus, nominare. Et Virg. 'Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.'

757 *Vincla*] Nam 'mortui,' ut notat Artemidorus, 'scissis involvuntur linteis, ut pueri, et humi conduntur.' Hinc Divus Joan. XI. de Lazaro: 'Et

Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, oculos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, et putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit: qui fictilis ulvæ
Perflavit venám madidam: cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors, auritis jam mitis legibus! o mors
Surda prius, jam docta sequi quodcumque jubetur,
Cui tantum de te licuit? convicta fatere
Esse Deum, solus qui me tibi præripit, Jesum.
Abde negatores Christi: nemo invidet, abde:
Utere sorte tua: blasphemis nocte tenendis
Perpetua, plebem justorum capta resolve:
Qui norunt hominem, atque Deum sic dicere Christum,
Ut verus summusque Deus mortalia gestet.

vincula odorifera. Unus odor diffundit exhalationem sparsorum aromatum. Nec aër fœdus refert putorem e sanie corporis. Primus decor visus excitat oculos non infectos pure fluente: et color vividus mistus rubore notat sensim genas corruptas. Quis potuit immittere animam in artus languidos? is scilicet, qui dedit hos artus, qui animavit flatu venas humidas corporei graminis fictilis, a quo cespes putris sanguine corrupto accepit colorem rubicundum. O mors jam docilis legibus auditis! o mors surda ante, nunc assueta exequi id omne, quod Deus imperat, cui licuit per te redire ad vitam? Victa agnosce Jesum, qui unus me detrahit a te, esse Deum. Absconde, absconde oppugnatores divinitatis Christi, nullus invidet; utere jure tuo; occulta tenebris æternis blasphemos; sed redde turbam piorum, quos abstulisti, qui pii noverunt dicere Jesum esse ita hominem et Deum, ut verus et summus Deus

—767 *auditis* G.—768 *quacumque* T. Bodl. F. A. *juberis* F. *quæcumque jubentur* Nom. G. B. W. superscr.—770 *solum* Weitz.—772 *tenentis* Eg. P.—

NOTÆ

statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis.' Institæ autem sunt fasciæ limbi. De Tabo Cathem. x. 97.

764 *Ulvæ*] Herba quælibet palustris, sine certo nomine. Virg. Æn. II. 'Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui.'

768 *Quodcumque jubetur*] Editio Fabricii, *Quacumque juberis*, quod placet Heinsio. Tale enim illud Nasonis de lacrymis: 'Hæc quoque habent artem, quaque jubentur, eunt.'

772 *Utere sorte tua*] Illud quoque Virgilianum Æn. XII. 'Utere sorte tua: miseri te si qua parentis Tangere cura potest.'

Ipse gerit, quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor, quod peperit: corpus loquor, atque animæ vim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore.
Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est,
Et totum redimit, quem sumserat; omne reducens,
Quicquid homo est: istud tumulis, ast illud abysso.

DE NATURA ANIMÆ.

OCCURRIT dubitans hic dissertator, et illud
Objicit: Anne fides capit, ut substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, utque
Inferni petat ima poli, barathroque coquatur?
Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Majorem cunctis: ipsam quoque crede creatam.
Formata est namque ore Dei, quæ non erat ante:
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis, et plena Deo, similisque creanti:

assumserit naturam humanam. Ipse induit opus, quod fecit, nec creator erubescit ferre id, quod creavit, intelligo corpus et præstantiam animæ; formaverat corpus manibus, immiserat flatu animam. Deus assumit totum hominem, quia totus homo creatus est ab ipso, et redimit totum hominem, quem assumserat, retrahens omnia quæ pertinent ad hominem, corpus e sepulcro, animam vero ex Inferis.

Alter infidelis disputator hic surgit, et id objicit: An fides concipit quomodo anima inspirata a Deo flante sit obnoxia tormentis, et descendat in ima loca regni inferni, et comburatur in fovea. Ne credas animam esse Deum, sed crede esse præstantissimam omnium creaturarum. crede etiam ipsam esse creatam. Nam illa, quæ non erat ante, fuit creata flatu Dei; sed fuit creata pulcherrima dotibus, et instructa iis quæ propria sunt Deo, et plena Deo, et similis creatori: tamen ea non



773 *Perpetuam plebem* Weitz.—778 *Fixerat* Eg.

NOTÆ

779 *Totum hominem Deus assumit*] Damascenus: 'Totus toti unitus est, ut toti homini salutem impertiretur.' Vide Cyrill. in Joan. VII. 7.

784 *Cruciatum sentiat*] Idem Augustinus lib. de quantitate animæ sibi objicit.

786 *Crede animam non esse Deum*] Variis quidem argumentis Gnosticos refutat: quæ, ne longior sim, ad soritem reduco. Anima imago Dei est atque umbra, seseque vitiis inquinat, et nunc obedientia meretur summum bonum, nunc amittit peccato; ergo potest perferre pœnam, ergo ab alio dependet, ergo fuit creata, ergo incepit existere, ergo comprehendi potest sordidis corporis compagibus, ergo vis illius est finita, nec concipit omnia, sed certum tantum aliquid intelligit, ergo non est Deus, nec Dei pars. De Barathro sup.

Non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,
Sed factura Dei est: solus de corde Parentis
Filius emicuit: verus, verus Deus ille.
Collatum est animæ, subito ut, quæ non erat, esset.
Ille coæternus Patris est, et semper in ipso,
Nec factus, sed natus habet quodcumque paternum est,
Hæc similis, velut umbra, Dei est. Sic ipse locutus
Factor, utroque hominem meditans de figmine junctim
Ædificare sui similem; sed non habet umbra
Quod corpus solidum, cujus imitatio in umbra est:
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sæclis quod non consumitur ullis:
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum
Imperat; ante videt, perpendit, præcavet, infit,
Verborum, morumque opifex, instructaque mille
Artibus, et cœlum sensu percurrere docta.

est Deus, siquidem Deus non gignit eam, sed creat. Unus Filius, qui est verus, verus Deus, fuit genitus ex corde Patris. Est datum animæ, quæ non erat, existere illico. Filius est coæternus Patris, et semper est in ipso. Non est factus, sed genitus. Possidet id omne quod Pater possidet. Anima autem est tanquam imago similis Dei. Creator ipse ita est locutus, habens in animo formare hominem concretum ex utroque figmento similem sui, atqui imago non habet id quod inest in vero corpore, cujus figura adumbratur in imagine; et verum non est eadem res, ac imago veri. Anima est similis Dei, quatenus nullius extinguitur diuturnitate temporis, quatenus sapiens, nata ad æquitatem, et domina omnium rerum, iis præest, providet futura, considerat res, declinat, loquitur, est inventrix linguarum et legum, et ornata quamplurimis artibus, et assueta ascendere cogitatione in cælum. Crea-

784 *atque* Weitz.—793 *verus Deus ille. Sed istud* C. Weitz.—795 *Patri* Weitz. *in ipso est* B.—798 *junctum* Weitz.—800 *simulatio* T. G.—802 *quia non* c. B. superscr.—804 *instat* G.—805 *rerumque* Vulg.—808 *sumptum* P. Eg.—819 *Pec-*

NOTÆ

791 *Generatio non est, Sed factura Dei*] Hoc argumento adversus Arianos, aliosque hæreticos, qui Christum Deum esse, coæternum Patris, negarunt, Ambros. Athanas. Cyrillus, et Hilarius usi sunt. 'Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, Filium non adoptivum, sed suum, sed unigenitum dedit. Hic proprietas est, nativitas est, veritas est, non creatio est, non adoptio est, non falsitas est.' Hilar. 6. de Trinit. Et Ambrosius de Fide IV. 4. ita arguit adversus Arianos: 'Si negatis esse verum Filium, hoc est, ejusdem naturæ; non est ergo generatus, quia generatio ad proprietatem refertur naturæ. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis.'

806 *Cœlum sensu percurrere docta*] Hac de re scriptores omnes passim locuti sunt, quare non immoror. Uni-

**His animam similem sibi Conditor effigiavit,
Cetera dissimilem: quippe hanc comprendere promtum est,
Quam modus et species determinat: at Deus ingens
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat, sensuve teneri.
Incomprensa manet virtus, cui linea desit
Ultima, quam spatium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno et factore minorem,
Majoremque aliis, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfusam
Participat de fæce sua: fit mixta deinde
Peccandi natura luto, cum simplice flatu:
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factamque neges, velut ipsa Dei pars,**

tor creavit animam similem sui his dotibus, dissimilem secundum cetera. Nam est facile capere illam, quam terminat modus et species; sed Deus supremus, fusus trans omnia, nihil habet in se finitum, ut possit includi, et concipi mente. Potestas, quæ non circumscribitur ultima linea, quæ complectitur spatium infinitum, manet incomprehensibilis. Sordida corruptela carnis facile solubilis recipit ergo animam creatam, et minorem summo creatore, et majorem aliis creaturis, et imperantem omnibus; et communicat sordes suas cum anima infusa per artus tabentes: deinde natura luti, quod peccavit, fit conjuncta mero spiritui. Sed forte dices animam non fuisse formatam et creatam, quia fluxit ab ore Dei; ipsam tanquam partem Dei, quod di-



cati n. luti C. *Peccando n. luti* Ro. *Peccando n. luto* Torrent. tres. *Peccanti*

NOTÆ

us Ambrosii verba refero: 'Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore; quæ absentes videt, transmarina visu novit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert; quæ Deo jungitur, Christo adhæret, descendit in Infernum, atque ascendit, libera versatur in cœlo.' Hexaëm. VI. 8.

819 *Peccandi natura luto*] Cauchius, cum in vetusto codice invenisset, *peccando natura luti*, contendit castigandum, *Peccati natura luti*, ut peccatum luti dixerit Prudentius, pro eo quod in Adam principe olim peccavit. Peccatum, tanquam plane præteriti temporis participium agentis verbi significatione usurpans, Terentiano videlicet exemplo ex Hecyra, 'Jam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquum.' Apud Paulinum quoque epitaphio Celsi in exemplaribus præstantioris notæ: 'Peccato lugere juvat, contractaque culpis Vulnera profusis fletibus abluere.' Posset etiam non inconcinne *peccantis luti* corrigi.

(Quod dictu scelus est,) tetras trahat oblita culpas,
Et pessum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa Dei; non abnuo: pars tamen illa
Haudquaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit:
Nec prior, aut senior, quam primum plasma, putanda est.
Tunc etenim factam video, cum cordis amici
Intravit germana domum, limique recentis
Hospita, et ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est: sed spiritus et vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth:
Sed speculum Deitatis homo est: in corpore discas
Rem non corpoream solers, interprete Christo,
Qui Patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice quam varios fundamus ab ore vapores,

cere crimen est, unctam luto admittere turpia flagitia, et condemnatam euntem deorsum ingredi in chaos abditum. Ea anima sit opus Dei, concedo; ea tamen, quæ incepit existere in tempore, nullo modo est vocanda pars Dei, nec est existimanda prior aut senior, quam primum corpus. Nam agnosco factam fuisse tunc, cum nata eodem Patre et incola novi corporis intravit domum cordis amici, et ipsa recens creata habitavit in ædibus creatis ab eodem. Illa quidem est flatus Dei, sed non est Spiritus Dei, et virtus integra; effusa est tanta moderatione, quanta Deus flans voluit servare continuationem flatus. Impossibile est perspicere magnitudinem Dei; sed homo speculum est Divinitatis, ut solers, Christo interprete, qui patefacit suum Patrem in corpore humano, agnoscas rem expertem corporis in corpore. Considera

quidam. *Peccantis* Heins. in not.—824 *Fit* Eg.—832 *Quantum* Weitz. *tenore* W. superscr.—837 *Respice* P. Eg. W. superscr.—841 *flabrare* Weitz. Gif.

NOTÆ

830 *Illa quidem flatus Domini est: sed spiritus et vis Non est plena Dei*] Theodoretus idem iisdem fere verbis: 'Nomine flatus non intelligimus partem aliquam essentiæ divinæ secundum Cerdonis et Marcionis rabiem, sed animæ naturam per id denotari, quod anima Spiritus sit rationalis et intellectualis.'

834 *Sed speculum Deitatis homo est*] Unde Manil. lib. IV. 'Quid mirum, noscere mundum Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis? Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.'

837 *Perspice quam varios*] Duobus exemplis nihil ab adversariis concludi posse Poëta demonstrat: licet enim anima flatus Dei sit, non inde sequitur Dei partem esse, ipsiusque virtutem integram, eo quod idem dicendum sit ac de aëre, quem pro nostro arbitratu varium efflamus, ac de sono fistulæ, qui, ex ratione concitati flatus, alius atque alius auditur.

Spiramus quoties animæ sufflabilis auras.
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans:
Cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus existit tenuis, et sibilat aër.
Adde et distinctum, quem musica tibia flatum
Concipit; aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Hæc cum te videas mortali in corpore posse;
Cur non Æternum potuisse infundere credas,
Qualem animam voluit? præscriptis quam quia condens
Efflavit, fuditque modis, sit facta necesse est.
Denique multa sapit, sed non sapit omnia, nostræ
Vis animæ, certum sapere ac prænoscere jussa.

quam varios halitus efflemus ex ore, quoties reddimus flatus animæ spirabilis; nunc calor exhalatus emittit ventum calidum, effundens de faucibus humentibus vapores stillantes; nunc cum volumus, spiritus tenuis exit velut ventus frigidus frigore, quod oritur ex flatu, et halitus est sibilus. Attende quoque sonos multiplices, quos fistula canora efficit; aut is lenis est, labris parum diductis, aut intendit sonum auctum flatu ingenti, aut frangit modulos raucos, aut susurrat suaviter, aut educens spiritum tenuem dat sonos acutos, aut voce summissa elidit sonitum infimum. Cum agnoscas te efficere illa in corpore mortali, quare non existimabis Deum potuisse immittere animam talem, qualem voluit? Necesse est ut sit facta, cum Deus eam creans efflaverit, atque effuderit modis definitis. Denique vis nostræ animæ concipit quamplurima, sed non concipit omnia; ipsi concessum est tantum concipere et

Ind. Lucr. p. 334. *flabrari* W. sed *flabrali* superscr. *flabrili* Eg. P.—844 *mode-*

NOTÆ

839 *Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat*] Naturalis enim rhythmus animatæ voci cognoscitur attributus, qui tunc pulchre melos custodit, si apte taceat, congruenter loquatur, et per accentus viam musicis pedibus composita voce gradiatur. Vide Cassiodor. Var. Epist. II. 40.

843 *Adde et distinctum*] 'Prudentius musicos sonos nominat raucum, lenem, exilem, acutum, quibus addit parcum, sublimem, minutum. Sed parcus sub leni, sublimis sub acuto, minutus sub exili comprehendi potest.' Hæc Fabricius.

845 *Bombum*] Βόμβος, bombus, vox est a sono facta. Proprie convenit apum murmuri, etsi ad alios quoque sonos transferatur, ut in illo Neronis apud Persium Sat. I. 'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,' quod expressum ex illo Catulli: 'Multi raucisonis inflabant cornua bombis.'

Jam, cui certus inest modus, et cui nosse negatum est
Omnia, factura est: nam condita et aucta probatur.
Collige de simili, sitne hæc factura. Creavit
Nempe manus Domini corpus mortale lutumque
Composuit digitis, numquid manus articulatim
Est digesta Dei? numquid vola? numquid et ungues
Claudere flexibiles? patulam seu tendere palmam?
Ista figura manus nostræ est, quam non habet in se
Incircumscriptus Dominus: sed tradita forma est,
Humanis quæ nota animis daret intellectum.
Ut per corpoream speciem plasmasse feratur
Corporis effigiem: sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris et esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animæ, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra; nec oris
Est factura anima, flatu et spiramine cœpta;
Inque locum deducta aliquem: namque omne quod hora

intelligere certum aliquid: atqui res, cui inest modus determinatus, et cui non licet cognoscere omnia, creatura est, nam ostenditur facta et aucta. Intellige a pari an anima sit creatura. Nimirum manus Dei fecit corpus humanum, et formavit limum digitis. An manus Dei divisa est in articulos? An habet palmam? An potest contrahere digitos flexibiles, aut dilatare palmam? Hæc forma, forma est nostræ manus, quam Deus infinitus non habet in se; sed tribuimus Deo formam, quæ, quia nota est, efficit ut mens humana illud concipiat. Atqui, ut Deus dicitur finxisse figuram corporis per speciem corpoream, ita pariter anima spiritualis effusa est flatu spirituali, et dicitur esse opus oris, per quod forma animæ condita resplenduit, et sensit se esse factam cum donis terminatis. Ergo, si corpus nostrum non est opus manus, anima quoque, cœpta flatu et spiramine, non est opus oris, et circumscripta fuit quibusdam terminis. Nam id omne, quod habet diem natalem, includitur in



ramine I. *partus* Eg. *parvus* W. superscr. *paucus* Put.—857 *dissimili* Eg. P.—

NOTÆ

860 *Numquid vola*] 'Vola,' teste Festo, 'vestigium medii pedis concavum: sed et palma manus vola dicitur.' Vola dicta a βολὴ jactus, quia hac parte comprehenditur, quod projicimus.

863 *Sed tradita forma est*] D. Hier. in Lament. Hierem. c. I. 'Membra hominis, sicut et affectus humani, tropice Deo ascribuntur, non proprie, quia incircumscriptum lumen lineamentis corporis circumscribi non potest.'

Natalis profert, locus accipit: et locus ullus
Quod cohibere potest, modicum est, nec in omnia fusum.
Et quod tam modicum est, ut certa sede locetur,
Jam titubare potest, et quod titubaverit, intra
Naturam vitii est: vitiosum denique tristem
Recidit in pœnam: Deus hoc, mihi credite, non est.
Aut, si majestas animæ est, ostendite quid sit,
Quod lapsam, Christique inopem nova gratia inundat,
Spiritus et Sanctus baptismate justificatam
Nobilitat, famulæque decus, quod defuit, addit.
Quod quia præstatur meritis, meritisque negatur,
Absurde fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Divinum, summumque bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nunc culpa, aut crimine perdit,
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.

terminis, sed quod potest includi in terminis, illud est exiguum, nec diffusum per omnia. Et quod est tam exiguum, ut locetur loco terminato, illud potest peccare, quod autem peccat, id participat naturam vitii, denique quod est vitiosum, id recidit in pœnam tristem: atqui, mihi credite, hoc non est Deus. Quod si divinitas inest animæ; dicite quid sit, quod prima gratia baptismatis mundet animam inquinatam peccato, et spoliatam Deo; quod Spiritus Sanctus decorat justificatam baptismate, et addit animæ ornamentum quod defuit: siquidem hæc omnia dantur, cum sumus digni, aut denegantur, cum sumus digni qui privemur illis. Ergo male anima dicitur Deus, sive pars Dei, quæ nunc ducit obedentia divinum et summum bonum a principio æterno, nunc amittit culpa aut peccato, et nunc expendit pœnam, nunc li-

872 *ora* W. Weitz.—878 *Decidit* G. B. W.—880 *mundat* A. *nudat* W. su-

NOTÆ

878 *Deus hoc non est*] Soritem adhibet poëta. Quod natum est, in certo loco est: quod in loco est, id fine aliquo continetur: quod fine continetur, id imperfectum est: quod est imperfectum, est vitiosum: quod vitiosum est, pœnæ subjicitur: quod subjicitur pœnæ, Deus non est; ergo hominis anima Deus non est.

879 *Aut, si majestas animæ est*] Alterum argumentum. Anima hominis Dei pars est, non autem creatura; quare ergo eget Dei gratia, illamque recipit in baptismate; quare quotidie labi potest, et puniri.

881 *Baptismate justificatam*] Nam, ut docent Patres Concilii Trident. Sess. 5. 'In renatis nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes Christi.'

Miraris peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, cum peccet et ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabifluæ: peccat, quia factus et ipse est,
Non genitus: quocumque modo sit factus, id unus
Scit factor Dominus: factum mihi credere sat sit.

bera a delictis non timet. Admiraris quod anima, cui obtigit sorte versari in corpore conflato carne, peccet; cum Angelus ipse, qui non debet habitare in domo fragili cratis tabidæ, peccet etiam. Peccat autem, quia ipse quoque factus est, non vero genitus: Deus unus, qui fecit illum, novit quonam modo sit factus; mihi

NOTÆ

889 *Cum peccet et ipse Angelus*] Certum est tum Scripturæ testimoniis, tum Patrum auctoritate nonnullos Angelos peccasse. Unde Petrus Epist. II. 'Deus Angelis peccantibus non pepercit.' Et August. in Psalm. LXX. 'Hoc diabolus fecit: imitari Deum voluit, sed perverse, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.' Multa de peccato Angelorum habent Theologi in tractatu de Angelis, quæ, si plura scire cupis, consulere poteris, eo quod intelligentiæ poëtæ parum conducunt. Id unum monitum te volo.

891 *Peccat, quia factus et ipse est*] Monitum, inquam, te volo Prudentio, omnibusque hujusce ætatis Patribus tanquam indubitatum fuisse, aut potius de fide, nullam esse, nec posse esse creaturam impeccabilem: quia 'Id omne quod est ex nihilo, defectibile est et capax peccati.' Quæ propositio causalis reduci debet ad propositionem universalem. Quod videre est apud August. contra Maximin. III. 12. apud Fulgentium de Fide ad Petrum cap. III. Hieronymum in cap. VI. ad Galat. Gregorium Moral. v. 27. Damascenum II. 3. Denique apud Ambrosium de Fide ad Gratian. III. 2. ubi illud de Deo 1 Tim. VI. 'Qui solus habet immortalitatem,' ita explicat, 'impeccabilitatem, quæ opponitur morti animæ per peccatum.'

892 *Quocumque modo sit factus*] Omissis omnibus aliis de Angelorum substantia, materia, ac creationis tempore quæstionibus, dicam ætate Prudentii nonnullos, ut ait D. Thomas, 'ignorantes vim intelligendi, et non distinguentes inter sensum et intellectum, nihil esse existimasse in mundo, nisi quod sensu et imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit, nisi corpus, existimaverunt quod nullum ens esset, nisi corpus.' Et ex his processit Sadducæorum error, deliria Simonis Magi, et hæresis hæreticorum, qui nominabantur Angelici, eo quod Angelos divino cultu afficiebant, teste Augustino de Hæres. cap. 39. Asserebant enim Angelos non esse creaturas, sed numina quædam. Quanquam quinam fuerint errores ejusmodi hæreticorum circa Angelos, et cur Angelici sint nominati, Epiphanius hæres. 60. affirmat non satis constare. Quia vero nunc id fidei est dogma, 'Angelos a Deo creatos esse,' addam tantum verba Concilii Lateranensis sub Innocentio III. 'Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem.'

Solus labe caret peccati Conditor orbis,
Ingenitus, genitusque Deus, Pater, et Patre natus,
Solus et, exceptus tormentum admittere triste,
Inviolatus agit, nec quicquam sentit acerbi.
Exsortem dic esse animam crucis atque doloris,
Si culpæ immunem, vacuamque a crimine nosti,
Quæ peccare valet, valet et succumbere pœnæ.
Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quæ collata rudem fecit viviscere limum:
Utpote de liquido naturæ semine primos
Accipiens habitus, superoque expressa sereno.
Sed mox, ut gravido jussa est innectier arvo,
Suavibus illecebris nimium blandita refrixit,
Deque volutabris pretiosum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Hæc prima est natura animæ: sic condita simplex

id sufficit credere factum esse. Unus Creator mundi, Deus non genitus, et Deus genitus, Pater et Filius productus a Patre, non infuscatur macula peccati. Unus et est illæsus, exceptus subire durum supplicium, nec sentit ullam acerbitatem. Dic animam esse immunem cruciatus et doloris, si cognovisti esse immunem sceleris et liberam a peccato. Quæ potest peccare, ea potest etiam perferre pœnam. Anima quidem, quæ infusa dedit vitam limo impolito, fuit integra, dum formabatur olim, utpote accipiens primas qualitates de semine puræ naturæ, et exiens ex puritate divina. Sed statim atque innecti terræ gravi jussa est, nimis allecta amœnis voluptatibus deferbuit, et, dum scelesta non obtemperans violat mandata data a Deo, contaminat obscœnitatibus ignem pretiosum. En prima natura animæ; sed ita



perscr.—881 *Spiritus hanc* S. B.—894 *Agenitus* Pat. *Ac genitor* Bodl.—899

NOTÆ

895 *Ingenitus*] Pro non genito. Sic 'innatus' hoc ipso libro, 'Cerni potis est qui nascitur, at non Innatus cerni potis est.' Pari modo 'Insubjectus' Harmartig. vs. 700. At in Oxonio omnia perspicua, *Ac genitor, genitusque Deus, Pater et Patre natus.*

900 *Quæ peccare valet, valet et succumbere pœnæ*] Ambros. de Bono Mortis cap. 9. 'Anima, quæ peccat, moritur: non utique aliqua sui dissolutione, sed merito moritur Deo, quia vivit peccato. Ergo quæ non peccat, non moritur, quia manet in substantia sui, manet in virtute et gloria.'

902 *Viviscere limum*] Lucret. lib. IV. 'Ulcus vivescit, et inveterascit alendo.'

907 *Volutabris*] Volutabra, loca in quibus sues volutantur. 'Sæpe volutabris pulsos sylvestribus apros.' Virg. Georg. III.

Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ,
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde:
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti

facta munda, lapsa est in peccatum per coagmentationem carnis sordidæ. Exinde fœdata peccato fatali Adæ principis inquinavit omnes homines, qui nascuntur deinde: et animæ nascentes afferunt in ortu labem primi hominis innatam; nullus nascitur innocens. Tamen error erit effugiendus, ne credamus principium animarum transfundi textura carnis in liberos, ut sanguis transfunditur, cui vena structa est procreatione. Animæ non generant animas, sed natura, lege nobis ignota, in-

a deest A.—902 *vivescere* F. Eg. B.—911 *Exim* Put. sic et alibi.—919 *quo*

NOTÆ

914 *Nec quisquam nascitur insons*] Pelagius ipsiusque asseclæ primi in nascentibus pueris nullum esse peccatum contenderunt, atque imitatione tantum Adami peccatum in posteros transivisse, quam hæresim multis in locis refutat Augustinus. Deinde vero illud dogma ab Ecclesia definitum est et constitutum: 'Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eam perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.'

915 *Ne traduce carnis*] Hanc hæresim Tertulliano ascribunt Rufinus, Hieron. et August. Consequenter autem erravit is, qui animas corporeas esse et coloratas crediderat. Apollinaristæ, Luciferiani, atque Eunomiani Tertullianistarum sunt doctrinam amplexi, docueruntque instar corporum ex corporibus animas ex animabus propagari.

918 *Non animas animæ pariunt*] Quæstionem de animarum origine, quod Origenes delirasset animas in cœlo sicut Angelos peccasse, atque ideo in corpora ad luendum supplicium tanquam in carcerem demitti, movit Orosius presbyter, atque Augustinum consuluit, qui Orosium ad Hieronymum misit anno Christi 415. Hieronymus semel atque iterum, ne tam insignem doctorem docere videretur, sive, ut ipse ait, ne, si diversa inter se sentirent, hæreticis daretur occasio detrahendi, sententiam ferre denegavit. Sed tandem victus Augustini precibus, 'animas recens a Deo creari, atque infundi corporibus' decidit. In quam opinionem abiit Augustinus, et ei adversantes quatuor libris propugnavit. Gregorius Theologus supra captum atque intelligentiam humanam esse existimaverat, ac quid definiret totus ambiguus, rem integram Deo, qui ipsas creavit

Fundit opus natura suum, quod parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis:
Quæ quamvis infusa novum penetret nova semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
Ducitur, illoto quoniam concreta veterno est.
Inde secunda redit generatio, et inde lavatur
Naturæ illuvies, iterumque renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.
Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis
Consociata trahit, necnon simul ipsa sodali
Est incentivum peccaminis, implicat ambas

mittit suum opus, quo membra exilia respirent, et calor vitalis adsit membris compastis. Licet anima semper nova infusa ingrediatur in novum corpus, nihilominus illa infunditur antiqua secundum peccatum parentum, quia conjuncta est veterno immundo. Altera generatio succedit: deinde sordes naturæ abluuntur, et perfusi rursus intrinsecus renascimur, ita ut anima splendida deponat veterem Adamum. Quia illa conjuncta reperit materiam peccati in fomite carnis, ipsa quoque est mutuo carni sociæ incitamentum ad peccatum, Pœna ultrix involvit utramque



Vat. un. Weitz. Put. Ro. et al.—923 *Dicitur* Bodl. P. *illuto* Eg.—938 H.

NOTÆ

animas, committendam tradiderat.

919 *Quod parvula anhelent Vascula*] Lege, *quod anhelent*, idque marginem editionum nonnullarum occupavit. Sic sup. 'Variis Siloa refundit Momentis latices, nec fluctum semper anhelat.' Et Martial. Epig. vi. 42. 'Siccos pinguis onyx anhelat æstus.' De Veterno sup.

924 *Inde secunda redit generatio*] Pueri nascentes, inquit Augustinus adversus Pelagium, sacris baptismi aquis expiantur jussu Ecclesiæ, atque abluuntur: ergo peccatores nascuntur, ergo Adami peccatum ad posteros pertransivit. Cujus argumenti vim ut eluderent Pelagiani, pueros lustralibus aquis initiari ausi sunt asserere, 'ut eis remitterentur peccata, quæ in hac vita propria contraxerant, ut spiritalem procreationem non habentes crearentur in Christo, et ipsius regni cœlorum participes fierent.' Quod utrumque Aug. lib. ad Marcellinum de peccatorum meritis et remissione refutat: '1. Quia non sermone vel documentis opus est, quibus innocentia probetur infantium. 2. Quia pueri non baptizati si moriuntur, vel sunt participes gloriæ, quod contradicit Joan. vel non, ergo injustus est Deus, nam nullum habent peccatum.'

927 *Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis Consociata trahit*] Nam, ut docet Concilium Trident. Sess. v. 'manet in baptizatis concupiscentia, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus valet: quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur.'

Vindex pœna reas, peccantes mente sub una,
Peccandique cremat socias cruciatibus æquis.
His crucibus Christus nos liberat, incorruptæ
Matris, et innocui gestator corporis: unus
Naturam pœnæ expositam, sed non vitiorum
Naturam expositam contactibus, induit Jesus.
Atque ideo pœnæ nil debuit: intemeratus,
Fraude carens, omni culparum aspergine liber.
[Quid peccatorum prosapia corpore in illo !]
Quid Christi in membris peccati sæva satelles
Pœna ageret? quid mors hominis sine crimine posset?

nocentem, quæ peccant eodem consensu, et comburit comites peccati iisdem tormentis. Jesus Filius Matris Virginis, et vestitus corpore innocenti, nos levat istis suppliciis. Jesus solus habuit carnem obnoxiam pœnis, non vero obnoxiam maculis peccatorum: quare, cum sit illibatus, liber a crimine, immunis omnis labis culparum, nullam debuit luere pœnam. Quid pœna soboles peccatorum ageret in illo corpore? Quid pœna satelles barbara peccati ageret in membris Christi? Quæ esset potestas mortis

vs. deest A. P. Pnt. T. Bodl. Torrent. duob.—940 *homini* Weitz.—942 *Conci-*

NOTÆ

931 *Peccandique cremat socias cruciatibus æquis*] Non meum est hanc Theologiæ difficilem atque obscuram quæstionem hic persolvere. Quamvis enim, ut notat Vasques, animas a vero igne corporeo cruciari necdum sit definitum, tamen, teste Suare, id et fidei et sanctis Patribus magis est consentaneum. Unde Gregor. Moral. IV. 29. 'Teneri Spiritum per ignem dicimus, ut in eo tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur.' Et inf. 'Si diabolus ejusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?' Ergo sive per solam alligationem ad ignem tanquam carcerem eas detinentem, sive per vehementissimam suæ damnationis apprehensionem, sive per qualitatem spiritualem doloriferam, ut loquuntur Theologi, ab igne ut Dei instrumento iis impressam, animæ crucientur, certum est obnoxias esse tormentis atque igni.

934 *Sed non vitiorum Naturam expositam contactibus induit Jesus*] Theodoret. lib. VI. Græcar. Affect. 'Deus itaque Dominus humanam induit speciem, spectabilique natura obduxit alteram, quæ videri non potest. Tunc et spectabilem hanc immunem peccati conservavit, occultamque illam in sua puritate continuit. Neque enim hæc passa est ullum corporeæ infirmitatis consortium, sed ne assumta quidem caro ullas peccati sordes accepit.'

939 *Peccati sæva satelles Pœna ageret*] Unde Horat. Od. III. 2. 'Sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum: Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Pœna claudo.'

Nimirum cassis conatibus, et sine nervis
Concideret sterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpa : culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.
Sic mors in Domini consumta est corpore Christi :
Sic periit, solitum dum non habet arida pastum.
Suspice quapropter solum inculpabile Numen,
Virtutem Patris et Christi : et jam desine nostræ
Invidiam conflare animæ, quod sit Deus, aut quod
Portio parva Dei, cum Christo abscidere quicquam,
Et resecare Deo partem, vel carpere tantum
Numen non liceat, plenum sibi semper, et in se.

ADVERSUS PHANTASMATICOS, QUI CHRISTUM NEGANT VERUM CORPUS HABUISSE.

Est operæ pretium nebulosi dogmatis umbram
Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Instituunt : sed cassa cadit, ventoque liquescit
Assimilis, fluxu nec se sustentat inani.
Aërium, Manichæus ait, sine corpore vero
Pervolitasse Deum mendax phantasma, cavamque

sine peccatis hominum? nempe nisu frustrato, et sine viribus caderet arida, fomite peccati deficiente. Mors pascitur peccato: is, qui liber est a peccato, conterit mortem exhaustam inopia nutrimenti. Ita mors fuit confecta in corpore Christi nostri Domini; ita periit, dum exsiccata caruit pastu solito. Quare agnosce unam divinitatem, naturam Patris æterni et Filii esse inculpatam, et cessa tandem rapere nostram animam in invidiam; dicendo eam esse Deum, aut minutam particulam Dei; nam non licet detrahere aliquid Filio, et adimere Patri particulam, aut lacerare tantam divinitatem, quæ semper est integra.

Non est alienum referre phantasma nebulosum cujusdam sectæ, quod exigua corpuscula cohærentia tenuibus vinculis construunt: sed illud vacuum perit, et simile vento evanescit, nec stat, quia profluvium est inane. Manichæus dicit Christum aërium, nec vestitum vero corpore, phantasma fallax, et inanem formam corpo-

derent steriles Eg. P.—948 *Naturam* Put.—950 *abscindere* F. G.

NOTÆ

943 *Mors alitur culpa*] Totus in eo est S. August. ut probet homines, quod Adam peccaverit, esse morti obnoxios. 'Neque enim metuendum fuit, ne dum forte diutius hic viveret in corpore animali, senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem.'

Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
Ac primum specta, an deceat quicquam simulatum
Assignare Deo, cujus mera gloria falsi
Nil recipit. Membris hic se fallacibus aptans
Fingeret esse hominem ventosa subdolus arte?
Mentitus toties, cum diceret: Inveteratis
Do veniam morbis, simul et peccata remitto:
Filius est hominis, pestem qui pellere carnis,
Et scelerum nexus laxare, ac solvere possit:
Surge valens, surge innocuus, jam tolle grabatum:
Filius hoc hominis jubeo. Dignusne videtur
Qui testis sibi sit, seque ac sua carnea norit?
Quid? cum discipulos, hominis quod filius esset
Passurus, fido jam præscius ore monebat,
Nonne fatebatur, se cum virtute paterna
Esse hominem verum? quod si non credo, fefellit.
Si natura Dei quæ sit, Manichæe, requiris,
Omne quod est, verum est. Nam si mendosus agit quid,

ris, nihil habentem sensibile volitasse. Ac primum considera an sit decorum tribuere Deo aliquid fictum, cujus pura gloria nullo modo patitur fucatum. Quid? ille callidus effingens arte inani fictos artus simularet corpore ventoso esse hominem? Quid? mentitus est toties quoties dixit, Tollo veteres morbos, atque etiam condono peccata: Filius hominis solus est, qui possit depellere e corpore corruptionem, et levare et rumpere vincula peccatorum: Volo ut surgas sanus, surgas innocens; nunc porta lectum, ego Filius hominis impero illud. An putas esse dignum, qui dicat testimonium de se, et se agnoscat et suum corpus? Quid? nonne fatebatur se esse verum hominem, et simul habere divinitatem Patris, cum jam prævidens futurum monebat Apostolos de iis quæ Filius hominis esset passurus. Quod si non credo id esse, ergo nos decepit. Si, o Manichæe, petis quæ sit natura Dei; illud omne, quod Deus est, est verum; nam, si est defectus aliquo, non est Deus: natura divina

971 *quid filius* Weitz.—973 *superna* W. superscr. B. in marg.—975 *requires*

NOTÆ

968 *Surge valens, surge innocuus*] Meminit hujusce miraculi, quod refert Matth. cap. IX. 'Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.' Et inf. 'Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.'

973 *Nonne fatebatur Esse hominem verum*] Multis in locis sese Filium hominis Christus vocavit. 'Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.' Matth. cap. XXVI. 'Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat,' cap. XVII. 'Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,' cap. IX.

Nec Deus est: mendum divinus non capit usus.
Objicis æterno Domino, quod lubricus ad nos
Venerit, assimulans aliud, quam verus habebat.
Obmutesce, furor: linguam, canis improbe, morde
Ipse tuam, lacero consumens verba palato.
Latranti obsistit Mattheus, rabiemque refellit:
Qui notat omne genus carnalis stirpis, adusque
Corporeum Christum, per sex septena virorum
Nomina descendens, et venam sanguinis alti
Ex atavis longo texens per stemmata filo.
Septimus hebdomadi venit superaddere sextæ
Hunc numerum Christus, placidum qui conficit annum

vacat vitio. Objectas Deo æterno descendisse in terram fallaciter, simulantem habere aliud quam quod vere habebat. O insane, tace; o scelerate homo, ipse tene tuam linguam, supprimens vocem ore lacero. Matthæus refutat tuos latratus, et refellit insaniam, cum descendens per duo et quadraginta nomina majorum, et referens longo ordine ex parentibus per stemmata originem nobilis sanguinis, notat omnem genealogiam familiæ Christi hominis usque ad Christum ipsum. Christus septimus venit superaddere sextæ hebdomadæ hunc numerum, qui inchoat annum tranquillum,

Put.—980 *Obmutisce* A.—982 *obsistet* S. W. B. superscr.—987 *ebdomadæ* Weitz.—988 *placitum* C. ex conj. Torrent. un.—999 *de corde* Put.—1000

NOTÆ

984 *Per sex septena virorum Nomina descendens*] 'Omnes enim generationes,' inquit Matth. cap. I. 'ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.' De Stemmat. sup. Perist. x. 127. not.

987 *Septimus hebdomadi venit superaddere sextæ*] 'Numerabis,' inquit Script. 'tibi septem hebdomadas annorum, i. e. septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.' Interpretes varia interpretatione hunc locum exponunt, quos adire poteris. Nam ad intelligentiam Prudentii sufficit, si monuerim poëtam ad jubileum alludentem velle finem miseriis, calamitatibus, ac laboribus, quos per tot sæcula homines subjecti dæmonibus et peccato passi fuerant, fecisse Christum natum atque imposuisse.

988 *Placidum qui conficit annum*] Nam 'jubileus interpretatur remissionis annus. Est enim Hebraicus et sermo et numerus, qui septenis annorum hebdomadibus, i. e. quadraginta novem annis, texitur, in quo clangebatur tubis, et ad omnes revertebatur antiqua possessio, debita absolvebantur, confirmabantur libertates.' Hæc Isidorus. De Jubilei legibus ac jure, lege c. xxv. Levitic. De Sabbat. jam sup.

Cuncta remittentem contractibus illaqueata
Multimodis, hominemque hominis de morte levantem.
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc:
Vir solus perfectus adest atque integer Jesus,
Cui nihil ex septem septenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille est, nobis qui septima sabbata complet,
Ut caro nostra Deo tandem sociata quiescat,
Quam bis terna malis vexabant sabbata noxis.
Curramus notis gradibus, regumque sequamur
Progeniem: Christum invenies de carne parentum
Effluxisse hominum, qui sit de semine David,
Stirpe recensita numerandus sanguinis hæres.
Quid? cum sanctiloquus revoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
Corpore, perque atavos cursum relegente vetustos,
Septenos decies conscendit Christus in ortus
Et duo: nam totidem doctores misit in orbem:
Descensos nascendo gradus, redeundo retexit
Actus ad usque apicem terreni corporis Adam.

solventem omnia ligata variis pactionibus, et eripientem hominem morti hominis. Nam homo imperfectus tunc obnoxius erat morti: Jesus adest unus homo absolutus et integer, cui nihil ex septem septenis deest, ex quo perficeret virtute æterna gentem humanam. Is est ille, qui conficit pro nobis septima sabbata, ut nostra caro, quam sex sabbata agitabant culpis exitiosis, tandem conquiescat conjuncta Deo. Progrediamur gradibus cognitis, et sequamur posteros regum: agnosces Christum natum esse ex carne parentum qui erant homines; qui Christus ponendus hæres sanguinis, genealogia recensita, ortus sit ex semine Davidis. Quid? cum Lucas sacer scriptor præpostera genealogia pellit sursum versum contextum illius, recensens corpora filiorum ascendendo, et relegens iter per Patres veteres; Christus ascendit ad duas et septuaginta generationes, nam misit in terram totidem Patriarchas. Actus usque ad originem corporis terrestris Adami retexit redeundo gradus, quos descende-



Esse hominem Bodl. Ro.—1002 *sanctilogus* A.—1009 *mistum* A. *mistim* F. G.

NOTÆ

1002 *Lucas Sursum versus agit seriem*] Matthæus quidem Christi genealogiam retulit, sic ut Abrahamus inter proavos primus numeretur, Joseph vero ultimus. Sed Lucas retro-agit ordines, et a Josepho usque ad Adamum duas et septuaginta generationes recitat, cap. III. Evang. 'Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,' et reliqua.

Inde parens Deitas recipit sua, nostraque mixtim,
Fitque Dei summi per Christum filius Adam.
Restat, ut aëriam fingas ob origine gentem,
Aërios proceres, Levin, Judam, Simeonem,
Aërium David, magnorum corpora regum
Aëria, atque ipsam fœcundæ Virginis alvum
Aëre fallaci nebulisque, et nube tumentem.
Vanescat sanguis perflabilis, ossa liquescant
Mollia, nervorum pereat textura volantum.
Omne quod est gestum, Notus auferat irritus, auræ
Dispergant tenues: sit fabula, quod sumus omnes.
Et quid agit Christus, si me non suscipit? aut quem
Liberat infirmum, si dedignatur adire
Carnis onus, manuumque horret monumenta suarum?
Indignumne putat luteum consciscere corpus,
Qui non indignum quondam sibi credidit, ipsum
Pertrectare lutum, cum vas componeret arvo
Nondum viscereo, sed inertis glutine limi,
Impressoque putres sub pollice duceret artus?
Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri.
Dignatur præpinguis humi comprendere mollem

rat nascendo. Inde Deus Pater recipit suum Filium et nos simul, et Adam fit filius supremi Dei per Christum. Illud superest ut dicas totam familiam ab origine esse aëriam, atavos Christi Levin, Judam, Simeonem esse aërios, Davidem esse aërium, corpora regum illustrium esse aëria, et ipsum uterum virginis fœcundæ esse impletum aëre mendaci, et nebulis, et nube. Sanguis spirabilis evanescat, ossa mollita liquefiant, compages nervorum fluctuantium dissolvatur. Auster levis trahat, venti tenues dissipent id omne quod est creatum. Id omne, quod sunt homines, sit commentitium. Quod si Christus non assumit meam naturam, quid agit? aut, si contemnit ferre onus carnis, et abhorret ab opere suarum manuum, quem peccatorem servat? An ducit turpe induere corpus luteum? ille non duxit olim turpe versare lutum ipsum, cum formabat corpus, terra nondum mutata in viscera, sed glutino luti crassi, et effingebat digito impresso membra solutilia. Tantus est amor terræ: tanta est benevolentia erga nos. Non horret tractare digitis divinis massam



—1011 *pingas* Bodl.—1020 *Aut quid* W. superscr.—1027 *police* Weitz. W.—

NOTÆ

1028 *Tantus amor terræ*] 'Neve flagella Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas, Tantus amor terræ, neu ferro læde retuso Semina.' Virg. Georg. II.

Divinis glebam digitis, nec sordida censet
Hærentis massæ contagia. Jusserat ut lux
Confieret, facta est ut jusserat. Omnia jussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et fabro Deitatis figmine nasci.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, ut Domini manibus tractatus, honora
Arte sacer fieret, tactu jam nobilis ipso?
Decrerat quoniam Christum Deus incorrupto
Admiscere solo, sanctis quod fingere vellet
Dignum habuit digitis, et carum condere pignus.
Destituit natura quidem destructa coactæ
Telluris formam, mortique obnoxia cessit:
Sed natura Dei nunquam solvenda caducam
Tellurem nostro vitiatam primitus usu
Esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset.

mollem terræ dilutæ, nec credit contactum luti hærentis esse sordidum. Jusserat lucem fieri, lux est facta, ut jusserat. Omnes res creatæ assumserunt novas formas ad vocem imperantem. Unus homo meruit accipere figuram formatam manu Dei, et nasci flatu Dei producto. Ad quam rem igitur tanta bonitas apparuit erga nostrum limum, ut tractatus manibus Dei arte honorifica fieret sacer, jam clarus ipso contactu? Quia Deus statuerat conjungere filium cum luto incorrupto, putavit sibi esse conveniens velle formare digitis divinis, et facere filium amabilem. Natura quidem luti coagmentati amisit formam, et subjecta morti cessit; sed natura Dei immortalis voluit sibi sumere limum fragilem primo corruptum nostro usu, ne jam esset disso-



1029 *molem* B.—1035 *flabro* W. superscr. Ro.—1040 *velle* Ro. B.—1046 *nec*

NOTÆ

1031 *Jusserat ut lux Confieret*] Ambros. Hexaëm. I. 9. 'Fiat lux. Plena vox luminis non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est, et creavit. Sermo Dei, voluntas est: opus Dei, natura est.'

1034 *Solus homo*] Lactant. II. 12. 'Deus ergo veri Patris officio functus est: ipse corpus effinxit, ipse animam, qua spiramus, infudit.'

1035 *Fabro* [*flabro*] *Deitatis figmine*] Lectionem hanc Giselini et Rottendorphii ceteris anteferendam censuimus, quæ non parum cum phrasi Prudentiana, vel cum hominis creatione convenit. Quanquam non improbem, *Fabro Deitatis figmine*, quod reddit Iso Magister, 'fabrili formatione.' Sed, ut ingenue fatear, utraque phrasis mihi videtur duriuscula. 'Figmen' ex fingo duxit, ut sup. 'flabrali frigore' ex flabro.

Christus nostra caro est: mihi solvitur et mihi surgit:
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.
Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur,
Me video: e tumulo cum jam remeabilis astat,
Cerno Deum. Si membrorum phantasma meorum est,
Et phantasma Dei est: mendax in utroque necesse est
Sit Christus species, si Christus fallere novit:
Si non verus homo est, quem mors hominem probat ipsa,
Nec verus Deus est, operis quem gloria prodit
Esse Deum. Vel crede mori, vel adesse refelle,
Et gemina verum Christum ratione negato.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Jesus,
Et redit? Illa Dei virtus memorabilis est, ut
Occisus redeat superis, surgatque sepultus.

lubilis. Christus fit nostra caro; moritur pro me, et reviviscit pro me. Morior morte mihi debita; revivisco virtute Christi. Cum Christus occidit, cum sepelitur miserabiliter, agnosco meam carnem; cum jam redux e sepulcro astat, agnosco Divinitatem. Si simulatio est nostri corporis, est quoque simulatio Dei; consequens est ut Christus sit fallax phantasma in utroque. Si Christus potuit nobis imponere, si non est verus homo, licet mors ipsa demonstret eum esse hominem; neque etiam verus est Deus, licet splendor factorum declaret eum esse Deum. Ergo vel concede illum vere mori, vel refuta adesse, et nega duplici ratione esse verum Christum. Nam quid mirandum est, cum Christus redit in cælum, si non interiit? Potestas Christi est admirabilis, quod Christus mortuus repetat cælum, et humatus revi-



A. P.—1050 *et tumulo* A.—1052 *utraque* Weitz.—1053 *specie* Weitz.—1062

NOTÆ

1048 *Christi virtute resurgo*] Ambros. de Sacram. II. 6. 'Remedium datum est, ut homo moreretur et resurgeret. Quare? ut et illud, quod et ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficii. Quid illud est, nisi mors? Quæris quomodo? Quia mors interveniens finem facit peccati. Quando enim morimur, utique peccare desistimus. Sed ut Dei perpetua gratia perseveraret, mortuus est homo: sed Christus invenit resurrectionem, i. e. ut redintegraret cœleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum.'

1049 *Tumulatur*] 'Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.' Catul. Argon.

1050 *Cum jam remeabilis astat, Cerno Deum*] Unde illud breviuscule dictum instar sententiæ mulieres acceperunt ab Angelis: 'Surrexit, non est hic.' Dignum suis compositoribus elogium, dignum Christo, cui compositum fuit, meritoque aureis grandibus literis ejus in sepulcro incidendum; cui soli, homini Deo convenit, nulli, qui homo tantummodo sit.

Quisque Deum Christum vult dicere, dicat eundem
Esse hominem, ne majestas sua fortia perdat.
Nosco meum in Christo corpus consurgere. Quid me
Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit
Calcata de morte viis: quod credimus, hoc est:
Et totus veniam: nec enim minor, aut alius quam
Nunc sum, restituar. Vultus, vigor, et color idem,
Qui modo vivit, erit: nec me vel dente vel ungue
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quicquam:

viscat. Quisquis ergo vult dicere Christum esse Deum, dicat et Christum esse hominem, ne divinitas spolietur sua præstantia. Video in Christo reviviscente meum corpus reviviscere: quid, o hæretice, vetas me sperare? Redibo in vitam viis quibus Christus rediit de morte prostrata. Illud est, quod credimus. Et resurgam integer; nam renascar nec minor, nec alius quam nunc sum. Erit is vultus, is vigor, atque is color, qui nunc est mihi viventi; neque fossa tumuli aperti me reddet spoliatum vel dente, vel ungue. Is, qui jubet me reviviscere, nihil dabit infirmum: nam non est resurrectio, si infirmitas redit. Illud omne, quod periit sorte, quod fuit con-



Recentiores Prudentii Editores his quæ sequuntur lemma istud præponunt *De resurrectione carnis humanæ.* Sed illud præstantiores Codd. non agnos-

NOTÆ

1061 *Dicat eundem Esse hominem*] Tertullianus hanc hæresim oppugnavit, ac librum de Carne Christi scripsit.

De resurrectione carnis humanæ] Apelles Marcionis discipulus virus suum sparsit circa annum Christi 146. Antonini Pii 7. et 5 pontificat. Telesphori. Alios inter errores ausus est carnis resurrectionem negare, et solum animarum esse salutem asserere. Poëta nunc paucis, quod firmis validisque argumentis Hymn. Cathem. de exequiis defunctorum fidei dogma stabilierat, attingit ac pertractat. Hunc hæresiarcham præcipue Rhodon impugnavit, et Tertullianus, qui lib. de præscript. cap. 30. hæc habet: 'Si et Apellis stemma retractandum est, tam non vetus et ipse, quam Marcion institutor et præformator ejus: sed lapsus in fœminam, desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua jam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenem, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum et ipsam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit, phaneroses scripsit.'

1063 *Nosco meum in Christo corpus consurgere*] Non mirum est quod gentium Apostolus Corinthios moneat, omnes homines per Christum resurrexisse. 'Si Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?'

Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri
Reddat curtum aliquid: quamvis jam curta vorarit
Corpora: debilitas tamen et violentia morbi
Virtus mortis erat: reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocumque modo: ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo: nam vos gerit ille,
Et secum revocat: morbos ridete minaces:
Inflictos casus contemnite, et atra sepulcra
Despuite: exsurgens quo Christus provocat, ite.

sumtum morbo, quod dolore, quod fuit deletum inertia senectutis edacis debilitante corpus, redibit reviviscenti in artus revocatos ad vitam. Nam mors debellata debet fideliter reddere omnia, ne reddat aliquid mancum fraude tumuli; licet ea rapuerit corpora jam mutilata: quia debilitas et aculei morbi erant vis mortis. Reddet omnimodo illud, quod sustulerat membratim, ne mortuus non renascatur integer, si deest aliquid de corpore integro. O mei artus, deponite timorem, et credite vos redituros ad Deum cum Christo; nam is vos gerit, et revocat secum. Despicite morbos minaces; spernite illatas calamitates; contemnite fœda sepulcra; ite, quo Christus ascendens vocat.

cunt.—1078 *reddit* P. *reddat* B.—1083 *et* deest T.—1084 *tetra* Weitz.—1085 *Respuite* Weitz. *Despicite* Bodl. W. superscr. *Dispuite* Put. *et surgens* A.

FINIS APOTHEOSIS.

HAMARTIGENIA.

ADMONITIO IN LIBRUM SEQUENTEM.

Cum in hoc libro, quem nonnulli Apotheoseos partem faciunt, peccati originem investigandam sibi sumsisset Poëta, Ἁμαρτιγένεια titulum eidem indidit. Præmissa historia quæ habetur Gen. IV. de Caino, fratris sui Abelis interfectore, transfert eam ad Marcionem, duos Deos astruentem;[1] quod sicut Cain in Abelem insurgens, fraternæ dilectionis unitatem impie discidit, sic iste duo admittens principia, bonum unum, alterum malum, unitatem Dei, Deumque ipsum perverse tollat. Atque hæc in Præfatione.

In opere autem Marcionis inscitiam ostendit, qui ex rebus perituris, quæ vel bonæ sunt vel malæ, naturam divinam metiri fuerit ausus, duosque Deos statuerit, cum Dei naturæ, quæ perfectissima esse debet, repugnet pluralitas; quod si duos Deos ponas, nihil obstat quin quinque etiam, aut decem admittantur. Hic autem unicus Deus, mali auctor nequaquam est, sed diabolus, qui se ipsum primum, deinde hominem infecit, atque corrupit. Hinc mala omnia, non tantum moralia, sed etiam physica, quæ latissime ac venustissime describuntur. Verum quidem est, Deum mala culpæ permittere, sed mali auctorem eum esse non sequitur, cum hæc permissio non tollat ab homine libertatem arbitrii, qua possit a malo declinare; quod Adami, Lothi, Ruth exemplis, atque etiam Apologo confirmat et illustrat. Hæc autem omnia in Priscillianistas non minus quam in Marcionitas quadrare patet ex Epistola XV. S. Leonis n. 8. Vid. Admon. ad librum præced.

[1] Irenæus lib. I. c. 29. Tertull. lib. I. c. Marc. Theodoret. lib. I. Hæret. fabul. Philastr. Augustinus, aliique.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

HAMARTIGENIA.

PRÆFATIO.

Fratres ephebi fossor et pastor duo,
Quos fœminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia:
Hic terrulentis, ille vivis fungitur.
Certante voto discrepantes immolant,
Fœtum bidentis alter, ast alter scrobis.

Duo fratres puberes, ille agricola, is pastor, quos prima mulier peperit primos, exhibent ante aram primitias donorum de fructibus laborum offerendas Deo. Ille obtulit fruges terræ, alter hostias vivas. Dissimiles immolant votó opposito. Alter

NOTÆ

Hamartigenia] Heinsius hoc poëma Apotheosis partem esse putat, vultque vel ipsum argumentum abunde illud evincere, vetustosque codices.

Modo quis leviter literis Græcis imbutus sit, illud nomen nihil aliud sonare quam originem peccati facile intelliget. 'Αμαρτία enim peccatum significat, et γείνομαι nascor.

1 *Fratres ephebi*] Peccati originem ab ipsis fontibus arcessiturus, quomodo Deus victimas Abeli respexerit, respueritque munera quæ Cainus solverat, unde furore ardens Cainus innocentem fratrem peremit, describit Poëta, ac transfert ad Marcionem, qui prave sacra dividens, facere dum se vota rectius censet, tranquillam Ecclesiæ pacem rumpit et turbat.

Fossor] Virg. Georg. II. 'Et labefacta movens robustus jugera fossor.' De Caino atque Abelo jam egi.

7 *Scrobis*] Quasi dixisset fœtum culturæ. Scrobs enim sive a *σκάπτω* sive a *σκαριφῶ* deducatur, non ineleganter sulcos denotat, quibus agricolæ humum incidunt. Unde etiam

Deus minoris comprobavit hostiam,
Rejecit illam, quam paravit grandior.
Vox ecce summo missa persultat throno:
Cain, quiesce: namque si recte offeras,
Oblata nec tu lege recta dividas;
Perversa nigram vota culpam traxerint?
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ sanctitatis æmulus:
Germana curvo colla frangit sarculo,
Mundum recentem cæde tingit impia,
Sero expiandum, jam senescentem, sacro
Cruore Christi, quo peremtor concidit.
Mors prima cœpit innocentis vulnere,

partum ovis, alter vero fructum agri. Deus respexit victimas minoris natu; respuit munera quæ primogenitus solvit. En vox data e summò solio auditur: Cain, ne irascaris; etenim si offers juste, et tu non dividis ea quæ debes offerre lege æqua, an tua vota prava inferent tibi crimen noxium? Postea primogenitus, invidus virtutis gratæ Deo, armat dexteram scelestam, et findit sarculo curvo caput fratris. Inquinat mundum novum hac trucidatione sacrilega: qui mundus jam senescens fuit expiandus sero sanguine divino Christi, qui profligat interfectorem. Mors est in-

1 *efijbi* Eg.—11 *nam si* Weitz.—12 *recte* A. Eg. P. *certa* W. B. superscr.

NOTÆ

supra fossorem dixit Cainum, quod agros sulcaret.

11 *Si recte offeras*] Juxta illud Genes. cap. IV. 'Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies?'

16 *Sarculo*] Quanquam Abeli mortis adjuncta omnia recenseant biblia, et minutissima quæque persequantur, quibus tamen armis Cainus fratrem interfecerit silentio prætermiserunt. Prudentius illum sarculo, aliquo scilicet agriculturæ instrumento, Abeli caput fidisse scribit, quia facile colligi potest arma, quibus agricultores terram colunt, Caino fuisse præ manibus. Chrysostomus tamen gladio percussum fuisse Abelum asserit, Irenæus falce occisum, Isidorus ferro prostratum, Tostatus lapidibus oppressum, Hebræi denique Caini morsibus dilaniatum. Sarculum vero instrumentum est, quo herbas inutiles evellimus.

20 *Mors prima*] Concilium Tridentinum, Patres tum Græci tum Latini, ac præcipue Augustinus lib. de peccatorum meritis et remissione, docent Adami peccatum non solum animæ sed etiam corporis mortem fuisse. 'Neque enim metuendum fuit, ne dum forte diutius hic viveret in corpore animali, senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem.'

Innocentis vulnere] Abelus anno mundi 130. labente interfectus fuit. Nondum 129. ætatis suæ annum egerat.

Cessit deinde vulnerato innoxio.
Per crimen orta : dissoluta est crimine,
Abel quod ante perculit, Christum dehinc :
Finita et ipsa est, finis exsortem petens.
Ergo ex futuris prisca cœpit fabula,
Factoque primo res notata est ultima.
Ut ille mortis inchoator rusticus
Insulsa terræ deferens libamina,
Deumque rerum mortuarum deputans,
Rastris redacta digna sacris crederet,
Viventis atrox æmulator hostiæ.

gressa primum plaga innocentis ; deinde est egressa plaga innocentis. Orta est a peccato, sed fuit fracta peccato, quod primo interemit Abelum, deinde vero Jesum ; ipsa enim oppugnans liberum a morte, omnino quoque fuit diruta. Ergo hæc vetus narratio fecit initium ex futuris ; et ultima actio fuit adumbrata prima actione, veluti ille agricola parens mortis, inhumanus, invidus offerentis victimam vivam, dans muneri fruges telluris insipidas, et putans Deum esse Deum rerum inanimatarum, crederet ea, quæ erant collecta rastro, esse apta ad sacrificia. Nimirum video,

—20 *Sors* Eg. P. in marg. *vulneris* B.—21 *Cessat* M. Berg.—32 *quæ* A.—33

NOTÆ

22 *Dissoluta est crimine*] Crimine Judæorum in crucem actus est Christus ; qui, pro hominibus fundens sanguinem, mortis imminuit imperium quo premebat hominum genus ; vires mortis fregit ita ut mortis mors fuerit, ut cum propheta loquar, morsque absorpta fuerit in victoria.

25 *Prisca cœpit fabula*] Nihil apertius quam *fabulam* tam de veris quam fictis dici. Hieron. ad Castrutium : 'Et ne, veteres replicando historias, longum faciam, et excedam mensuram epistolæ, brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit.'

27 *Mortis inchoator*] Adamus quidem, quod Deo obsequium denegaverit, primus nos non solum ærumnis, doloribus, atque infirmitatibus, verum etiam morti obnoxios reddidit ; mors tamen Caini scelere primum venit in suam possessionem.

28 *Libamina*] Quicquid in sacris libatur. Cic. de Leg. I. 'Quod tempus ut sacrificiorum libamina serventur, fœtusque pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est.'

29 *Deumque rerum mortuarum deputans*] Ne quis poëtam Marcionis errores refutantem eundem ad scopulum appulisse credat. Semel atque iterum Cœli Deum, terræ, atque aëris in hymnis cecinit, ipseque ut Deo frugum omniumque rerum primitias offeramus nos hortatus est. Quare dicendum est Prudentium hæc omnia per allegoriam transtulisse ad Marcionis sacrificia, quæ quod carnis motus redolerent, nec Spiritu Sancto animarentur, Deo grata nec accepta fuerant.

Agnosco nempe quem figura hæc denotet,
Quis fratricida, quis peremtor invidus
Prave sacrorum disciplinam dividat,
Mactare dum se vota censet rectius.
Marcion, arvi forma corruptissimi,
Docet Duitas discrepare a Spiritu,
Contaminatæ dona carnis offerens,
Et segregatim Numen æternum colens.
Qui si quiescat, nec monentem negligat,

quem exhibebat illa figura, quis sit fratricida, quis interfector æmulus male retrahat aliquid instituto sacrificiorum, dum credit se rectius facere sacrificia. Marcion, figura terræ vitiosissimæ, ferens munera carnis depravatæ, et adorans seorsum Deum æternum, docet Marcionitas dissentire a Spiritu. Quod si Marcion audiat

---

parricida Weitz.—34 *dividit* F. B.—37 *Ductas* A. *Ducta* P. Eg.—41 *quietam*

NOTÆ

36 *Marcion*] Penultimam, quæ corripitur, more suo produxit. 'Hæc vobis per Marcionem Cerdone magistro.' Tertull. Advers. Marcion. lib. I.

37 *Docet*] Marcio Ponticus Episcopi filius circa annum Christi 134. hoc est extrema tempora Hadriani, virus suum sparsit. 'Is propter stuprum cujusdam Virginis,' inquit Tertullianus, 'ab Ecclesiæ communicatione abjectus fuit ipsius Patris sententia;' quam ignominiam non ferens Romam abiit Hygino pontifice, sed frustra; quare, teste Epiphanio, cui non assentitur Tertullianus, ad Cerdonis hæresim sese applicuit. Ipsius dogmata Irenæus, Epiphanius, Theod. aliique scriptis tradiderunt, at præcipue Tertullianus, qui adversus illum quinque libros edidit. Alios inter errores, duos cum Cerdone colebat Deos, boni alterum auctorem, alterum mali. Unde lib. I. contra Marcionem versibus scripto Tertulliani nomine: 'Hunc negat esse bonum, justum tamen esse fatetur, Crudelem, durum, belli cui sæva voluptas, Judicio horrendum, precibus mansuescere nullis. Esse alium suadens, nulli qui cognitus unquam, Qui non est usquam, falsum sine nomine numen, Constituens nihil, et nulla præcepta locutus. Hunc ait esse bonum, nullum qui judicat, æque Sed spargit cunctis vitam, non invidet ulli. Judicium negat esse reis, dulcique cruentum Circumfert miseris mixtum cum melle venenum.' En caput hæresis.

Duitas] Poëta, ut novam et horrendam hæresim adducat in contemtum, insolens fingit verbum, proprium tamen et significans. Atque ut Triteitæ dicuntur, qui tres Deos esse docent, ita et Duitæ, qui duos Deos agnoscunt atque adorant.

Discrepare a spiritu] Ea, quæ sequuntur, hujusce versus notitiam præbent. Nam juxta eandem allegoriam vult Marcionem Caino non absimilem, quod terrena dona, insipida, atque, si ita fas est loqui, mortua Deo tribuat, discrepare a Christianis, qui Abeli ad exemplum ferunt viva munera, animata, atque etiam spiritalia.

40 *Nec monentem negligat*] Nam, ut

Pacem quieta diligat germanitas,
Unum atque vivum fassa vivorum Deum.
Hic se caduco dedicans mysterio,
Summam profanus dividit substantiam,
Malum bonumque ceu duorum separans
Regnum Deorum, sceptra committit duo:
Deum esse credens, quem fatetur pessimum.
Cain cruentus, unitatis invidus,
Mundi colonus, immolator squalidus:
Cujus litamen sordet et terram sapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denso conglobatam et pulvere:
Natura cujus fraude floret fertili,
Fœcunda fundens noxiorum crimina,
Animæque vitam labe carnis enecat.
Caro in sororem tela mentem dirigit,
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit
Madens veneno corporis lymphatico.

quiete, et credat mihi monenti, cœtus Christianorum concors, agnoscens unum esse et vivum Deum vivorum, habebit pacem. Ille Marcion cruentus, invidus unitatis, cultor terræ, immolator asper, cujus sacrificium sordet et redolet terram: terram scilicet corporis fragilis, vas corruptionis, rem concretam ex aqua crassa et pulvere: cujus natura plena culparum, pariens crimina, floret multiplici dolo, et adimit vitam animæ eluvie carnis; quæ caro conjicit tela in animam suam sororem: anima vero vagatur in insano cerebro; ex quo perfusa veneno corporis lymphante, colligit furores purulentos; ille, inquam, se consecrans vano sacrificio, hæreticus dispertit substantiam divinam; et distinguens malum et bonum regnum tanquam duorum Deorum, committit duas supremas potestates, credens illum, quem agnoscit pessimum, esse

Weitz.—45 *Divorum separans Regna duorum* Weitz. A. P. W. superscr.—57

NOTÆ

recte notat Liv. lib. XXII. 'Sæpe audivi eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenii.'

43 *Hic se caduco*] Versum, qui hunc in editis exemplaribus excipiebat, *Hic qui caduci rem laboris offerens*, ejecit Heinsius, cum et ex hoc ipso formatus liquido appareat, atque idem plane designet, et a scriptis absit exemplaribus, etiam ab Aldino codice.

59 *Veneno lymphatico*] Quæ enim major excogitari potest insania, quis effrænatior animi furor, quam Deum sævum, impium, mali auctorem, colere ac venerari? Hoc natura est insitum, ut Deum ens summum, per-

Deum perennem findit in duos Deos:
Audet secare numen insecabile.
Cadit peremta denegans unum Deum:
Cain triumphat, morte fratris oblitus.

Deum. Præcidit Deum æternum in duos Deos, non timet dividere divinitatem individuam. Marcion interfector, negans unum tantum esse Deum, prosternitur, et tinctus sanguine fratris triumphat.

Mens illicebro Weitz. W. sed in W. *in cerebro* superscr.—62 *Kain peremtor* Weitz. F. W. B. *Cadet peremtor* S. A. *Cadit peremtor* T.—63 *alitus* Weitz. Vat. omn. A. Bodl. *illitus* Fuld. *halitus* Put.

NOTÆ

fectissimum, omnes in se numeros virtutis habens, cui denique nihil addi possit, animo concipiamus. Unde Latini furiosos atque insanientes vocent lymphaticos, dixi sup. 'Ita victorem equitatum velut lymphaticus pavor dissipat.' Tit. Liv. x. ab Urbe.

62 *Cadit peremta*] Quæ lectio Puteani est, Rottendorphii, et trium Torrentianorum. Ad mentem vesanam Marcionis refer. Alii tamen, aut *Cain peremtor*, aut *cadit peremtor*, legunt.

63 *Fratris oblitus*] Pro illitus. Apud Cic. Philipp. ii. 'Atque illum, tanto parricidio nondum oblitum, hostem sua sententia indicavit.'

ADVERSUS MARCIONITAS, QUI DUOS DEOS ESSE AFFIRMANT.

Quo te præcipitat rabies tua, perfide Cain?
Divisor blaspheme Dei! tibi conditor unus
Non liquet, et bifidæ caligant nubila lucis.
Insincera acies duo per divortia semper
Spargitur, in geminis visum frustrata figuris.

O perfidiose Marcion, o injuriose divisor divinitatis, quo tuus furor te agit præcipitem? Tu non es certus Deum esse unum, et nubila duplicis visus cæcutiunt. Oculi vitiati confundentes objecta duabus speciebus semper emittunt duos radios.

NOTÆ

4 *Insincera acies duo per divortia semper Spargitur*] 'Qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffinditur, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare.' M. Minut. Octav.

5 *In geminis visum frustrata figuris*] Tertull. vero lib. i. adv. Marcionem: 'Quo facilius duos Deos cæci perspexisse se existimaverunt. Unum

Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum super æthera credas.
Bina boni atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus: Domino sed cœlum obtemperat uni.
Non idcirco duos retinent cœlestia reges,
Quod duo sunt opera humanas agitantia curas.
Exterior terrenus homo est, qui talia cernens
Conjicit esse duo variarum numina rerum,
Dum putat esse Deum, qui prava effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat esse Deos natura dispare summos.
Quæ tandem natura potest consistere duplex,
Aut regnare diu, quam fons divisus ab arce
Separat, alternaque apicum ditione recidit?
Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas:

Genus duplex rerum terrestrium te fallit ita, ut amens putes duos Deos regnare in cælo. Hic orbis sordidus congerit duo genera boni et mali, sed cœlum obedit uni Deo. Res superæ non habent duos dominos, ideo quod sunt duo genera operum sollicitantia mentes humanas. Homo terrenus est exterior, qui videns illa, infert esse duos dominos rerum dissimilium, dum credit esse Deum, qui quondam creaverit malas res, et Deum qui creans pariter fecerit bonas res, ille existimat esse duos Deos supremos natura dissimili. At quæ natura duplex, quam fontes divisi separant in cælo, et dividunt diversa potestate illorum principiorum, potest constare, aut regnare diu. Vel est unus Deus, cui est supremum dominium omnium: vel statim atque

6 *illudit* B. superscr.—11 *sint* B. Vulg.—17 *constare biformis* W. superscr.

NOTÆ

enim non integre viderant. Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est.'

20 *Aut unus Deus est*] Non solum Scripturæ testimonio, verum etiam variis argumentationibus, quibus utuntur Theologi ac Patres, unitatem Deo esse propriam atque essentialem Prudentius demonstrat. Quam primam rationem adhibet Poëta, maximi est momenti. Duobus Deis admissis nullus est Deus omnipotens, sed ex naturæ legibus Deus est omnipotens, ergo non sunt duo Dei admittendi. Major propositio, quæ sola habet difficultatem, ab ipsomet Poëta fusius probatur. Quare Athanasii, orat. contra Idola, verba satis sit afferre: ' Multitudo numinum, nullitas numinum.' Et Tertull. lib. I. ' Nempe ut nihil illi adæquetur, i. e. ut non sit aliud summum magnum. Quia si fuerit, adæquabitur, et si adæquabitur, non erit summum magnum.' Et paulo post: ' Proinde Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est.' Non possunt igitur plures esse Dii, quin Dii esse singuli desinant: quia plures esse sine aliqua naturæ differentia nequeunt. Ac si quis plures Deos ita fingat,

Aut quæ jam duo sunt, minuuntur dispare summa.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum:
Distantes quoniam, proprio dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.
Jus varium non est plenum, quia non habet alter
Quicquid dispar habet: cumulum discretio carpit.
Nos plenum sine parte Deum testamur et unum,
In quo Christus inest, idem quoque plenus et unus:

sunt duo Dei, uterque minuitur altero summo Deo sibi dissimili. Sed nihil est summum, nisi sit unum habens omnem potestatem. Nam separati nec possunt summa, nec omnia, dum unusquisque sibi assumit, quod est suum, imperio alterius distracto. Potestas divisa inter multos non est integra; quia unus non habet id, quod alter habet. Illa dissimilitudo tollit absolutionem potentiæ in utroque. Nos Christiani adoramus Deum plenum sine consorte, et unum; in quo inest Filius, qui est etiam

B. in marg.—21 *Aut qui* G. *quia* B. T. *summo* Weitz.—22 *unum* Weitz.—24

NOTÆ

tanquam individua quædam eidem subjecta formæ, ac numero distincta; ita ut nemo plus aliquid aut minus habeat ceteris; uti si idem Socrates divina vi multiplicetur, atque in variis locis constituatur; nihil hoc erit. Siquidem diversæ numero naturæ in eadem congruentes specie esse non possunt, nisi ab communi aliquo principio, aut a se invicem propagatæ fuerint. Itaque plures isti Dii, si ab uno ortum habent, is erit summus, adeoque solus Deus. Nam si nullam ex æquo originem habent omnes, prorsus erunt disparati, ac natura dissimili constabunt. 'Duo quippe ingeniti,' ut ait Fulgentius, 'non possunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex se generationem invenit, nec unus ex uno vere in se substantiam nativitatis agnoscit.' Et cum infiniti, immensique singuli sint, nihil alter alteri ubi consistat reliquum faciet. Quod Athenagoras gentilibus opponebat. Quod si quis multos istos Deos tales esse velit, ut unusquisque tantundem dignitatis ac perfectionis obtineat, quantum alius quilibet, aut omnes in unum conglobati; primum id fieri non potest, si plures sint saltem numero naturæ: et, quod consequens est, bonitates, sapientiæ, potestates. Etenim duæ pluresve bonitates, ac cetera hujusmodi, nui ac singulari præstant; ut naturalis ipsa ratio persuadet. Deinde supervacanei erunt reliqui, si unus instar esse omnium potest.

21 *Dispare summa*] Ut inf. 'Summam revocantur ad unam.' Etsi vulgata lectio sit, *dispare summo*.

28 *In quo Christus inest*] Nullum ex multiplicitate personarum sequi incommodum, licet absurda ex Deorum multiplicitate necessario oriantur, asserit Prudentius atque explanat. Nam, cum sit eadem numero Patris, et Filii, et Spiritus Sancti potentia; ut Pater sit omnipotens, non est necesse ut Filii potentiæ adversetur, quia non potest suæ potentiæ adversari.

Qui viget ac viguit super omnia, quique vigebit,
Participem nullum collato fœdere passus.
Summa potestatum, simplex dominatio rerum,
Virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisque et originis auctor:
Ex quo cuncta fluunt et lux, et tempora, et anni,
Et numerus: qui post aliquid dedit esse secundum:
Unus enim princeps numeri est, nec dinumerari
Tantum unus potis est. Sic, cum Pater ac Deus alter
Non sit, item Christus non sit genitore secundus,

plenus et unus, qui est, et fuit ante omnia, et qui erit: qui nullum cepit socium pacto fœdere. Is est maxima potestas, unus Dominus rerum, supremum principium potestatum, unus Creator mundi, primordium existendi, auctor naturæ et originis; ex quo nascuntur omnia, et lux, et tempora, et anni, et numerus, qui post se fecit id, quod numeraretur: nam unus est radix numeri, et unus tantum non potest numerari. Quare, cum Deus Pater et Filius non sit Deus distinctus, Filiusque etiam



Vendicat Weitz.—29 *quippe vigebit* A.—31 *Summa potestatum pater est simplex*

NOTÆ

31 *Summa potestatum, simplex dominatio rerum*] Fortasse *summa potestatum Pater est*, nam de Deo Patre hæc dicuntur.

32 *Fons unicus orbis*] Unde Joannes cap. I. 'Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est.' Atque Augustinus Quæst. LXXXIII. 63. Joannis verba exponens: 'In principio erat Verbum, quod Græce λόγος dicitur, Latine et rationem et Verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per verbum facta sunt operativa potentia.'

36 *Nec dinumerari*] Terentius hoc vocabulo usus est: 'Jube nunc jam dinumeret Babylo illi viginti minas.' Et Plinius Panegyr. Trajano dict. 'Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus: vicitque sententia non prima, sed melior.'

37 *Cum Pater*] Singulæ enim sanctissimæ Trinitatis Personæ solum essentiæ identificantur realiter inadæquate, sic ut nulla ex illis sit realiter idem adæquate cum essentia, seu cum re omni, quæ est realiter essentia: nam Paternitas est realiter idem cum essentia, et quidem cum tota essentia sumta formaliter pro suis omnibus perfectionibus absolutis, sed non cum tota essentia realiter sumta pro omni entitate etiam relativa, cui identificatur, quia paternitas non identificatur filiationi, et spirationi passivæ, quibus identificatur essentiæ. Unde vides cur ille syllogismus: 'hic Deus est Pater, hic Deus est Filius, ergo Filius est Pater,' sit vitiosus; nempe peccat defectu distributionis. Deus non est quidem capax distributionis in termino, ita ut dici possit, omnis Deus, sed extra terminum, quicquid est Deus est Pater, quæ propositio falsa est.

Anterior numero est, cui filius unicus uni est.
Ille Deus, meritoque Deus, quia primus et unus:
In virtute sua primus; tum primus in illo,
Quem genuit: quid enim differt generatio simplex?

non sit distinctus a Patre, non est numerus in Deo uno, cui est Filius non distinctus. Is est Deus, et jure Deus, nam est primus et unus: primus in seipso, necnon primus in eo, quem genuit; siquidem generatio simplex non affert differentiam. Erit sem-

NOTÆ

39 *Cui Filius unicus uni est*] Ut facilius intelligantur ea quæ ex distinctione et oppositione personarum petuntur, animadvertas velim nihil secundum oppositionem relativam distingui ab altero in divinis, quod non etiam sit idem cum illo, quatenus habet in se quoque rem atque rationem absolutam essentiæ, in qua proinde etiam habet quicquid est perfectionis in altero; id quod sufficit ad sui infinitatem. Athan. Orat. contra Sabellium ipsiusque Sectatores præclare hanc distinctionem divinarum Personarum, simulque identitatem, essentiæ scilicet, paucis explicat: 'Filius identitatem habet cum Patre, et tamen ipse interim Pater non est, sed unitus natura cum Patre.' Quare S. Gregorius Nazianzenus vult distingui Deum indistinctim, et connecti distinctim.' Constat itaque non posse colligi ex distinctione Personarum, quod altera persona careat alterius perfectione, atque ita non sit infinite perfecta; siquidem quicquid rei et perfectionis est in altera, ipsi tribuitur, quia unum est et idem cum illa.

42 *Quid enim differt generatio simplex*] Alterum ex generationis natura petitum argumentum. Triplex ex communi sensu Theologorum colligitur generationis conditio. Prima, ut sit ex producentis substantia: altera, ut simile natura vel substantia sit, quod oritur: tertia, ut conjunctum sit principium, a quo producitur. Quæ tria in divinam cadunt verbi generationem. Qui vero non alium generandi modum agnoverunt, quam qui decisione profluvioque fit substantiæ, in varios errores inciderunt. Nulla itaque fit in divina generatione neque substantiæ divisio, ut in creaturis, neque essentiæ multiplicatio, quæ in iisdem cernitur. In creatarum propagatione rerum, propter materiæ imbecillitatem, variosque casus, nunquam accidit, ut præter naturam perfecta sit in ceteris similitudo genitorum; hoc ipsum in divina generatione absolutissimum cernitur. Ex quo Filius, qui imago est Patris, non hujus solum naturæ et essentiæ, sed etiam bonitatis, potentiæ, ac reliquarum omnium proprietatum, quæ idem prorsus cum natura sunt, expressa similitudo nascitur. Ne longior sim, res creatæ generantur in similitudinem, Verbum autem in identitatem. Quippe ab æterno generatur via intellectus, ergo operatio est immanens et intrinseca, ergo generatio neque aut initium habuit unquam, aut finem habitura est, ergo qui per illam producitur Filius, æternus est, ergo æqualis est Patri, non vero tantum similis. Id aperte declarat Cyrillus Thes. lib. v. 'Sed ut efficiens est, ita et naturalis, et substantiva est, et ab hypostasi separari non potest. Ex quo necesse est, tam etsi efficienter gignat Filium Pater, æqualem illum huic esse, quandoquidem a propria ipsius hypostasi separari non potest genera-

Unum semper erit gignens, atque unus ab uno
Ante chaos genitus, numeroque et tempore liber.
Quis dixisse duos rem majestate sub una
Regnantem, propriamque sibi, retroque perennem
Ausit, et unius naturæ scindere vires?
Numquid adoptivum genitor sibi sumsit, ut alter
Externi generis numerum præstare duorum
Debeat, et geminum distans inducere numen?
Forma Patris veri verus stat Filius, ac se
Unum rite probat, dum formam servat eandem:
Non amor ascitus sociat, nec jungit utrumque
Conjurata fides: pietas sed certa, genusque

per unus gignens unum, et unus genitus ab uno ante mundum, qui, ut est Deus, nec agnoscit tempus nec numerum. Quis audeat dicere potestatem et sui juris, et æternam retro, et sub una majestate regnantem esse Deos duos, et separare vires unius Divinitatis. Num Pater adoptavit sibi aliquem Filium, ut is alterius generis impleat numerum duorum, et distinctus efficiat duos Deos? Est verus Filius, qui forma est veri Patris; atque ostendit recte esse unum Deum, cum retinet eandem formam. Non amor pactus copulat, nec fœdus promissum conjungit Patrem et Filium; sed

NOTÆ

tio.' Et Hilarius lib. VIII. de Trinitate his verbis exposuit: 'Hoc Ecclesia intelligit; hoc Synagoga non credit; hoc Philosophia non sapit, unum ex uno, et totum a toto Deum, et Filium, neque per nativitatem Patri ademisse quod totus est: neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.'

47 *Naturæ scindere vires*] Mox, 'Quæ rectorem lucis et orbis Scinderet in partes.' Non audiendi ergo, qui legunt, *exscindere*.

49 *Externi generis*] Generis nomen pro natura sumi interdum solet. Hilarius lib. VII. 'Universa nativitas non potest non in ea esse natura, unde nascitur. Non affert externi generis substantiam, quia ex uno non subsistit alienum. Quod autem alienum a se non est, id unum est genere naturæ.' Et lib. VIII. 'Neque alterius generis Deus est, sed Pater et Filius unum sunt.' Eusebius quoque, qui Emissenus vulgo nuncupatur, in homilia prima de Symbolo: 'Tres videntur in distinctione, sed unum probantur esse in genere.' Tertullianus cap. 16. carnem Christi ait fuisse 'genere, non vitio Adæ.' Ambrosius de Filio loquens Hexaëm. II. 5. 'Nihil in illo naturæ degeneris invenitur, cujus opus a paterna non degenerat voluntate.' Hinc illa priscis usitata locutio est orta, ut consubstantiali degenerem opponerent, tanquam a genere, i. e. natura desciscentem.

54 *Genus*] Quædam sunt vocabula, quibus Occidentis Ecclesiæ tum Patres, tum Theologi suam de sanctissima Trinitate sententiam professi sunt, uti vocibus disparem, sic re consentaneam et concordem: tametsi propter linguarum dissimilitudinem, quod alteri alteros non caperent, ingens inter illos altercatio nonnunquam orta sit. Hæc autem sunt

Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam.
Hæc tibi, Marcion, via displicet: hanc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ? quis somnus inerti
Incubat ingenio? cui per phantasmata duplex
Occurrit species, bivio dispersa superno.
Si vim mentis hebes stupor obsidet, aspice saltem
Obvia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta Dei dignata est prodere signis.
Hanc heresin præsaga Patris præviderat olim
Majestas fore, quæ rectorem lucis et orbis
Scinderet in partes, geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumque oculis, ne quis duo numina credat
[Imperitare vagis mundi per inania formis.]
Una per immensam cœli caveam revolutos
Præbet flamma dies: texit sol unicus annum.

verus amor, et una essentia; quæ est Deus, efficit unum Deum. O Marcion, hæc doctrina non placet tibi: et tua secta, quæ distribuit imperium cæli duobus dominis, illam damnat. Quæ tenebræ te perturbant? Quis sopor occupat tuam mentem ignavam? quæ videt per phantasmata dispersa in cælo per duas vias, duplicem speciem. Quod si stupiditas pinguis occupat vim animi, saltem respice elementa exposita oculis terrestribus; quibus signis id, quod in Deo nobis est occultum, vult se ostendere. Majestas Patris, qui novit futura, olim præviderat fore illam hæresim, quæ divideret in duas partes Deum Dominum luminis et mundi, duplicatum imperio diviso. Quare posuit ante nostros oculos exemplar et imaginem manifestam, ne aliquis putet duos Deos formis errantibus per spatia imaginaria mundi regnare. Una flamma currens per magnum fornicem cæli discernit dies elapsos: unus Sol



Put.—47 *exscindere* A. Put. T.—55 *revocatus* B.—69 H. vs. deest Vat. fere omn. P. Eg. A. Torrent. un. *vagas ...formas* B. F.—70 *resolutos* F. G. B.—

NOTÆ

præcipua: substantia, subsistentia, persona, existentia, natura, res naturæ, res, genus, suppositum.

67 *Specimen posuit spectabile*] Cum unius ac trinæ Deitatis fidem contra gentiles aut hæreticos tuentur veteres, uti non incredibilem eam aut absurdam esse demonstrent, nonnulla rerum creatarum exempla proferunt, manca quidem atque imperfecta, sed quorum ope res fere sub sensum cadit. Alii arboris exemplum adducunt, alii animæ, Prudentius vero Solis, qui lucet, comburit, movetur, licet unicus sit nec multiplex.

69 *Imperitare vagis*] Abest hic versus ab omnibus fere codicibus.

71 *Sol unicus annum*] Solenne Alexandri responsum. Darius magnam vim pecuniæ ipsi offerebat, petebat-

Triplex ille tamen nullo discrimine trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet,
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul, lux, et calor, et vegetamen:
Una eademque tamen rota sideris indiscretis
Fungitur his, uno servat tot munera ductu:
Et tribus una subest mixtim substantia rebus.
Non conferre Deo, velut æquiparabile, quicquam
Ausim, nec Domino famulum componere signum:
Ex minimis sed grande suum voluit Pater ipse
Conjectare homines, quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quærere verum.

metitur annum. Is tamen sine ulla divisione existit triplex, nixus triplici potestate; scilicet lucet, incedit, comburit. Incedit motu, comburit calore, et lucet lumine. Tria igitur sunt simul, lumen, calor, et motus: una tamen et eadem rota solis non secti peragit illa; obit tot officia uno tractu; et una materia subest simul tribus qualitatibus. Non auderem illud comparare Deo tanquam aliquid æquiparabile, nec componere Domino exemplar ministrum. Sed Pater æternus voluit ipse homines, qui non possunt concipere sublimia, conjectare ex parvis rebus ipsius supremam majestatem. Agnoscimus speculo rerum parvarum res non intellectas, et fas est quærere auxilio rerum obviarum veritatem ignotam. Nullus vidit duos soles, nisi



76 *indiscreti* Weitz.—78 *mixtum* A.—86 *suffundit* Weitz.—90 *velat* Weitz.—

NOTÆ

que ut Asia ex æquo divideretur. ‘Neque terra,’ inquit, ‘potest duos soles, neque Asia duos reges tolerare.’

75 *Sunt tria*] De eodem exemplo agens August. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 10. hæc habet: ‘Cum itaque lux, splendor, calor, una sit natura, et individua substantia, vocabula vero diversa; constat profecto Patris et Filii et Spiritus Sancti unam naturam individuam essentiam esse, dum in eo, quod significat quid sit, substantialiter spiritus nominatur; et item in personis diversitatem necessariam, dum Pater gignens Filius nascens, Spiritus Sanctus ab utroque procedens prædicatur.’

Lux, et calor, et vegetamen] Lucret. lib. v. ‘Qua ratione Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen: quod maria, ac terras omnes, cœlumque rigando Compleat, et calido perfundat cuncta vapore.’

Vegetamen] Male ac vitiose vegetatio dicitur vegetamen, ab uno Prudentio.

79 *Æquiparabile*] Tanquam id, quod æquari Deo potest. Plaut. ‘Ita tu nunc dicis, non esse æquiparabiles vestras cum nostris factiones atque opes.’

80 *Famulum*] Hoc adjectivo usus est Ovid. de Pont. III. ‘Nec dedignata est abjectis Illyris armis Cæsareum famulo vertice ferre pedem.’



Nemo duos soles, nisi sub glaucomate, vidit:
Aut si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus et aër:
Est glaucoma, aciem quod tegmine velet aquoso.
Libera ne tenerum penetret meditatio cœlum,
Neve Deum rapidis comprendat sensibus unum.
Spargitur in bifidas male sana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus exstruit aras.
Si duo sunt igitur, cur non sint multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello est?

peccet glaucomate, aut nisi nimbus oppositus sparserit radios Solis, igne repercusso, in soles fictos, cum nubes atra operuit cœlum serenum. Animi habent suas nubes, et densum aërem, et glaucoma, quod efficit menti nubilo velamine: ne cogitatio libera penetret in cœlum liquidum, aut ne comprehendat sensibus subtilibus esse unum Deum. Mens malesana sibi fingit duas luces, et ponit duas aras duobus Deis. Atqui si sunt duo Dei, quare non sunt plurima millia Deorum? Quare divinitas ad-



93 *malefida* B.—95 *Sunt duo? Sunt. Igitur cur non sint m.* G. Eg. *cur non sunt*

NOTÆ

85 *Glaucomate*] Glaucoma glaucomatis, vel glaucoma glaucomæ, vitium est humoris crystallini in colorem glaucum mutantis oculum. Unde Plautus in Milite: 'Glaucomam ob oculos objiciemus, eumque ita faciemus, ut quod viderit non viderit.'

86 *Palla*] Pallium muliebre. Vox deducta vel a palam, quia vestis est exterior, vel a πάλλω vibro, motu enim frequenti vibratur. Ita Vossius.

95 *Si duo*] Nonnulli tamen, Epiphanio teste, dicunt Marcionem, qui totus ex Platone pendet atque ex ejus decretis, quod tunc moris erat, tria posuisse principia: hoc est Deos tres. Primum, omnium supremum, quem, itidem ut Plato, Bonum appellabat; secundum, aspectabilem, eundemque creatorem et δημιουργὸν, i. e. opificem, qui hanc totam universitatem condidit: tertium denique, medium inter ambos illos, Diabolum.

Sunt igitur] Male quamplurimi legebant, *Sunt duo? Sunt igitur.* Etsi illis Egmondanus astipulatur.

Cur non sint multa Deorum Millia] Jam longius progreditur Prudentius, tertiumque argumentum proponit. Ratio, quæ probat plures Deos non colendos esse, probat duos Deos non esse colendos, ergo aut plures Dei colendi sunt, aut non colendi duo Dei. Illud antecedens solide atque ingeniose stabilivit Tertull. lib. I. adv. Marcion. 'Primo enim exigam, cur non plura? si duo. Quando locupletiorem oporteret credi substantiam divinitatis, si competeret ei numerus. Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere Bython et Sigen. Cum usque ad triginta Æonum fœtus,

Annon in populos dispersa examina Divum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis passim nullo discrimine monstris,
Quis fera barbaries perituros mactat honores?
Dissona discretum retinent si numina cœlum,
Convenit et nebulis, et fontibus, et reboanti
Oceano, et sylvis, et collibus, et speluncis,
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Assignare Deos proprios: sua cuique jura.
Vel, si gentiles sordet venerarier umbras,
Et placet esse duos sceptris socialibus æquos,

mittit tantum duplicitatem? Nonne erat satius seminare turbam Deorum, dispersam per homines, et implere passim sine ullo ordine vastum mundum semideis monstrosis, quibus immanes barbari immolarent victimas perituras? Si Dei separati possident cœlum divisum, decet dare et nubibus, et fontibus, et mari resonanti, et sylvis, et montibus, et antris, fluviis, ventis, fornacibus, et metallis suos Deos, et Deis singulis sua imperia. Sin autem te pudet adorare figmenta paganorum, si vis duos esse

Weitz.—105 *jura cuique* G.—107 *esse Deos* Weitz. F. B. W. superscr.—114

NOTÆ

tanquam Æneiæ Scrophæ, examen divinitatis effudit. Quæcumque ratio plura summa magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum. Post unum enim, numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit et plura. Post duo enim, multitudo, unione jam excessa. Denique apud nos vis rationis istius ipso termino plures Deos credi non sinit, quod nec duos illa regula unum Deum sistens, qua Deum id esse oporteat, cui nihil adæquetur, ut summa magno: unicum autem sit, cui nihil adæquetur.'

97 *Examina Divum*] Proprie quidem apum coloniæ ad novas sedes quærendas emissæ vocantur examina, quasi ἐξημμένα 'simul ligata.' Sed et de puerorum turba dixerunt Hor. Od. I. 35. 'Juvenum recens Examen:' ac Plinius Paneg. 'Adventante congiarii die, observare principis egressum in publicum, insidere vias examina infantium, futurusque populus solebat:' et de Piscium copia. Plin. XXXI. 1. 'Rapiunt eo secum piscium examina.'

105 *Sua cuique jura*] Quod immutari haudquaquam debuit. Lib. I. adv. Symmachum: 'Omnibus ante pedes posita est, sua cuique sordens Arula.' Lib. II. 'Vincendi quæris dominam? Sua cuique dextra.' Mox: 'Imus ad occultum: suus est mos cuique genti.' Ubi etiam perperam codices non pauci: *sua cuique vetusta Arula: sua dextera cuique est.*

106 *Umbras*] Simulacra Deorum, atque imagines. Umbra enim alicujus rei ab ipso Cicerone sumitur pro illius signo tenuissimo ac vestigio. Hinc umbra veritatis, umbra luxuriæ, nempe species quædam veritatis, luxuriæ vestigium. Nisi velis idola, vera esse phantasmata, quæ vocantur umbræ. Alienatus animus pravusque utrumque fingit et excogitat.

Dic age, quis terras ditionis sorte retentet,
Quis regat æquoreas æterna lege procellas,
Ede cohæredum distinctum jus dominorum.
Unus, ait, tristi residet sublimis in arce,
Auctor nequitiæ, scelerum Deus, asper, iniquus:
Qui quodcumque malum vitioso fervet in orbe,
Sevit, et anguino medicans nova semina succo,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipse opifex mundi, terram, mare, sidera fecit;
Condidit ipse hominem lutulenta et membra coëgit,
Effigians quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe resolvat.
Ast alii pietatis amor, placidumque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia servans.
Testamenta duo fluxerunt principe utroque:
Tradidit iste novum melior; vetus illud acerbus.

Deos æquales potestate sociali, dic, quæso, quis obtineat sorte dominium terræ, quis gubernet jure æterno procellas maris. Designa imperium distinctum duorum Deorum cohæredum. Unus, inquis, auctor improbitatis, principium criminum, durus, injustus, qui disseminavit omne malum, quod exoritur in mundo vitioso, quique, perfundens prima semina succo anguineo, traxit elementa rerum ex fomite peccati, residet sublimis in arce tristi. Is est creator mundi; fecit terram, mare, stellas; is formavit hominem, et conjunxit artus luteos, ministrans quod morbus consumat, quod inquinetur plurimis peccatis, quod sepulcrum dissolvat fœda tabe. Sed est alteri amor probitatis, et voluntas benigna medendi; erigit homines, conservat humanum genus. Duo testamenta proveniunt ex utroque Deo. Deus mitior

NOTÆ

109 *Quis regat æquoreas æterna lege procellas*] Tale illud Horat. 'Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum, et urbes, regnaque tristia, Divosque mortalesque turmas Imperio regit unus æquo.'

110 *Ede*] Dic. Juven. Sat. III. 'Ede quid illum Esse putes?'

118 *Effigians*] Formans, sive effingens. Octav. Felix. 'In lapides effigiatos, unctos, et coronatos.' Paulin. lib. III. de vita S. Martini: 'Effigians clypeo insanam cristisque Minervam.' Hanc vocem reponunt viri docti in l. ult. cod. Theod. de excus. artif. 'Ad effigiandos sacros vultus.'

123 *Tradidit iste novum melior; vetus illud acerbus*] Marcion de discrimine Novi et Veteris Testamenti librum Antitheses dictum edidit, Tertulliano teste. 'Opus ex contrarietatum oppositionibus, Antitheses cognominatum, et ad separationem legis et evangelii coactum: qua duos Deos dividens, proinde diversos, alterum alterius instrumenti, vel quod magis usui est dicere, testamenti; ut exinde evangelio quoque secundum antitheses credendo patrocinaretur.' Ubi Vetus Testamentum fuisse malum, nefarium, iniquum, atque a malo Deo

Hæc tua, Marcion, gravis et dialectica vox est:
Immo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri.
Novimus esse patrem scelerum: sed novimus ipsum
Haudquaquam tamen esse Deum: quin immo gehennæ
Mancipium, Stygio qui sit damnandus Averno.
Marcionita Deus, tristis, ferus, insidiator:
Vertice sublimi, cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput et fumo stipatur et igni:
Liventes oculos suffundit felle perusto

dedit novum; sævus Deus dedit vetus. En, o Marcion, tua seria et vera responsio, vel potius insania certa cerebri turbati. Scimus esse auctorem criminum, sed scimus illum auctorem non esse proinde Deum; quin immo est mancipium gehennæ, dignum quod damnetur Inferis, Deus fabricatus a Marcione, severus, crudelis, fallax, attollens caput anguinum, quod cinctum nubibus nigris circumdatur et fumo, et igne: Invidia, quæ non potest ferre gaudium proborum, aspergit felle usto oculos invi-



anguineo A. *suco* Weitz.—125 *cerebri m. phrenesis* A.—130 *sublimis* Weitz.—

NOTÆ

impositum, novum vero æquum, perfectum, atque a bono Deo latum ausus est asserere. Tertull. lib. IV. adv. Marcion. in eo totus est, ut utrumque Testamentum omnino sibi consentire demonstret. Refutat præcipue Marcionem Esaiæ verbis: 'Olim concionatur Esaias proditurum ex Sion legem, et sermonem Domini ex Hierusalem: aliam utique legem, aliumque sermonem. Denique judicabit, inquit, inter nationes, et traducet populum plurimum, scilicet non unius gentis Judæorum, sed nationum, quæ per novam legem Evangelii et novum sermonem Apostolorum traducuntur.'

124 *Dialectica vox est*] En tuum principium philosophicum, sive ratiocinium. Nam dialectica pars præcipua philosophiæ, cujus finis est verum a falso discernere.

125 *Immo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri*] Serenus quoque mediam hujus dictionis syllabam corripuit: 'Ex vitio cerebri phrenesis furiosa movetur.' Sed perperam. Juven. quippe longa est, Sat. XIV. 'Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis.' Et Martial. lib. IV. 'Declamas in febre Mathon, hanc esse phrenesim Si nescis, non es sanus, amice Mathon.'

126 *Patrem scelerum*] Cur dæmon dicatur 'pater scelerum,' atque auctor peccati mox ostendam.

128 *Stygio qui sit damnandus Averno*] Forte loquitur Poëta ex sententia eorum, qui dæmones, post admissum peccatum suum, non statim ad ima Tartara præcipitatos esse putant, sed supplicii et ignis expertes esse, dum extremus mundi occasus ac judicii dies adveniat.

132 *Liventes oculos suffundit felle perusto Invidia*] Præsens primorum parentum felicitas vehementer dæmonem cruciabat, ac spes futuræ beatitudinis, qua ipse exciderat. Quare statuit dolis atque astutia Adamum Evamque ad peccatum adducere. Unde Sapient. II. 'Invidia

Invidia, impatiens justorum gaudia ferre.
Hirsutos juba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, et virides allambunt ora cerastæ.
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervosque in vincula tendit.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis, retinacula denique cæcis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille est venator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non cessat plectere Nebroth;

diosos: coma spissa tegit serpentibus effusis humeros setosos: et cerastæ virides os lambunt. Ipse ligat manu in nodos laqueos reflexos filis mobilibus, et jungit pedicas tortas vinculis flexibilibus, et extendat nervos in nexus. Illi ea est occupatio, nempe captare brutos homines, involvere retibus viros deditos vitiis, denique tendere in locis opacis animis æqui deviis laqueos indeprehensibiles. Hic venator atrox est Nembroth, qui non cessat afficere mortibus frequentibus animas in-

152 *felle perusto.* *Invidia* i. Weitz.—133 *Invidiæ* G.—141 *Indepressa* Eg.—

NOTÆ

diaboli mors intravit in orbem terrarum.' Quod recte ostendit D. Thomas Quæst. LXIII. 2. 'Et ideo post peccatum superbiæ consecutum est in Angelo peccante invidiæ malum, secundum quod de bono hominis doluit.'

134 *Hirsutos juba densa humeros errantibus hydris Obtegit*] Non immerito poëta et vipereos crines, et alia Eumenidum insignia tribuit dæmoni, qui hominum gloriæ invidet, gaudet vero infortuniis. Hydrus, vel hydra proprie serpentis genus in aquis degens, ab ὕδωρ aqua. 'Tot Erynnis sibilat hydris.' Virg. Æn. VII.

135 *Virides allambunt ora cerastæ*] 'Cerastes serpens dictus eo quod in capite cornua habeat similia arietum. Κέρατα enim Græci cornua vocant. Sunt autem illi quadrigemina cornicula, quorum ostentatione veluti esca illiciens sollicitata animalia perimit.' Hæc Isidorus XII. 4. De Brutis animalibus.

136 *Ipse manu laqueos*] D. Bern. eadem fere habet serm. I. in die S. Andreæ: 'Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet et jacula, utpote callidissimus hominum venator, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cujuslibet suggestionis, et in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, et in his includit multitudinem copiosam eorum, quæ in terra repunt.'

143 *Nebroth* [*Nembroth*] In sacris literis Nembroth dicitur, Belus vero a profanis. Babylone regnavit, ejusque conditor habetur ab auctoribus. Turris ædificandæ princeps fuit; ac novum sibi rudes in populos usurpavit imperium. 'Porro Chus genuit Nembroth, ipse cœpit esse potens in terra, et erat robustus ve-

Qui mundum curvis anfractibus et sylvosis
Horrentem scopulis versuto circuit astu,
Fraude alios tectisque dolis innectere adortus:
Porro giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos late exercere triumphos.
Improba mors quid non mortalia pectora cogis?
Ipse suam (pudet heu) contemto principe vitæ
Perniciem veneratur homo: colit ipse cruentum
Carnificem, gladiique aciem jugulandus adorat.
In tantum miseris peccati nectare captis
Dulce mori est! tanta in tenebris de peste voluptas!
Qui mala principio genuit, Deus esse putatur:
Quique bona infecit vitiis, et candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse Deas Febrem Scabiemque sacellis.

cautas; qui circuit astute et callide terram horribilem ob circuitiones sinuosas, et montes sylvigeros, aggressus alios deludere fraude et dolis tacitis, alios autem prosternere luctando ingentibus viribus; agere late triumphos funebres. O pessime diabole, quid non cogis corda hominum facere? Homo, o pudor, despiciens auctorem vitæ, veneratur ipsemet suum exitium, colit ipsemet sævum interfectorem, et jugulandus adorat aciem ensis; usque eo est gratum mori miseris, qui sunt sopiti illecebris peccati; tanta est voluptas in tenebris obortis scelere. Is, qui dedit elementis rerum pravitatem, quique depravavit vitiis bonitatem, et nigrore candorem, creditur esse Deus. Hic furor æqualis est furori eorum, qui dicuntur collocasse in numero

143 *Nimroth* F. G.—144 *sinuosis* Bo.—146 *innectit* A.—162 *honorem* Ro.—

NOTÆ

nator coram Domino,' Genes. cap. x. Unde illum dæmonis dolos ac sævitiam adumbrare vult poëta. Quod ab ipso nomine non valde alienum est. Nam, teste Hieron. Nembroth idem est ac tyrannus, vel profugus, aut transgressor.

144 *Qui mundum curvis anfractibus, &c.*] Hinc Divus Hieron. ad Eustoch. 'Memento, quia in medio laqueorum ambulas.'

149 *Improba mors*] Diabolus, quod Adamum adduxerit ad peccatum, 'et per peccatum mors intraverit in mundum,' mors vocatur a poëta.

Quid non mortalia pectora cogis] Illud Virgilianum: 'Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!' Æn. III.

155 *Qui mala principio genuit*] Id Prudentius ipse mox fuse explicat, quare non immoror.

158 *Consecrasse Deas Febrem Scabiemque sacellis*] Non solum suscepit vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent, verumetiam summa veneratione colerent id omne, quod nocere posset, ipsisve favere. Unde Lactantius I. 20. 'Quod si recipis, o M. Tulli, non vides fore ut irrumpant vitia

Inventor vitii non est Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit:
Qui prius augustum radiabat sidus, et ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore:
Ex nihilo nam cuncta retro, factumque quod unquam est.
At non ex nihilo Deus, et Sapientia vera,
Spiritus et Sanctus: res semper viva, nec unquam
Cœpta, sed aërios etiam molita ministros.
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Majestate ferox, nimiis dum viribus auctus

Deorum febrem et scabiem, templis dicatis. Deus non est auctor peccati. Dæmon, qui ante fulgebat veluti sidus augustum, quique factus ex nihilo magnus splendor, (nam omnia postera, et ea, quæ unquam fuerunt creata, sunt ex nihilo,) invidebat honori hominis, degener creavit peccatum conceptum ex scelesta mente. Sed Deus, Pater, et Filius, qui est vera sapientia, et Sanctus Spiritus, non est ex nihilo. Vivit ab æterno; nunquam habuit principium, atque etiam creavit angelos pure spiritales. Unus inter illos præstantissimus forma, superbus excellentia: dum superbiens

NOTÆ

eum virtutibus; quia mala bonis adhærent, et in animis hominum potentiora sunt. Quæ si vetus consecrari, respondebit tibi eadem illa Græcia se alios Deos colere, ut prosint, alios, ne noceant. Hæc enim semper excusatio est eorum, qui mala sua pro Diis habent, ut Romani Rubiginem ac Febrem.' Febris fanum habuit in Capitolio, aram in Esquiliis. De fano Scabiei unus Prudentius mentionem facit.

161 *Ingens Ex nihilo splendor*] Alia inter deliria Simon Magus ex Selene Angelos procreasse somniavit. Angelici vero, Augustino teste, Angelos non esse creaturas existimarunt, sed quædam numina. Uterque error oppugnatur refutaturque tum a D. Paulo ad Col. I. 'In ipso condita sunt universa in cœlis et in terra visibilia et invisibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.' Tum a Patribus Concilii Lateranensis sub Innocentio III. cap. Firmiter de Sum. Trinit. 'Deus sua omnipotenti virtute simul initio temporis de nihilo condidit utramque creaturam spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet, et mundanam.'

162 *Nutrito ardebat honore*] Forte *nutritum ardebat honorem*, amat enim verba ejuscemodi cum quarto casu conjungere Prudentius.

166 *Sed aërios etiam molita ministros*] Licet multi, ac præcipue ætate Prudentii Angelos aërios esse, ac corporeos putaverint, ne credas tamen poëtam ea opinione fuisse. Nam poëtice omnia, quæ sequuntur, dixisse clarum est atque indubitatum; modo quid de animæ natura sentiat legeris in fine Apoth.

167 *Quidam pulcherrimus ore*] Nisi eminentissimis naturæ et gratiæ donis ceteris omnibus præstitisset, parum probabiliter omnibus præesse, et nemini subesse desiderasset; nec facile tot Angelos ad peccatum exemplo aut suasione adduxisset.

Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito jactantius ignes,
Persuasit propriis genitum se viribus, ex se

granditate sese extollit altius, et jactat ambitiosius quam licebat suum splendorem, suasit nonnullis se fuisse ortum sua virtute, sibi sumsisse ex se substantiam; qua

NOTÆ

169 *Inflatur, dum grande tumens sese altius effert*] Theologi fere una voce docent malos Angelos primum incidisse in peccatum superbiæ, juxta illud Tob. IV. 'Superbiam nunquam in tuo sensu dominari permittas, in ipsa enim initium sumsit omnis perditio.' Eccles. X. 'Initium omnis peccati superbia.' Ezech. XXVIII. 'Elevatum est cor tuum in decore tuo.' Quod Athan. q. 10. ad Antioc. est secutus: 'Constat diabolum cecidisse propter superbiam.' August. de Civit. XI. 15. 'Ab ipsius superbia cœpit peccatum.' Ambros. Epist. 84. 'Superbia a diabolo sumsit exordium.'

170 *Ostentatque suos licito jactantius ignes*] Quodnam fuerit illud superbiæ peccatum, quo dæmones e statu desiderunt, non tam facile inter se conveniunt Theologi. Alii Angelos eo devenisse superbiæ existimarunt, ut appetierint tanquam finem ultimum suam ipsorum perfectionem naturalem, et in ea tanquam in fine ultimo conquieverint; sicut Deus etiam in sua perfectione tanquam in beatitudine sua conquiescit. Alii volunt Angelos appetiisse beatitudinem supernaturalem, tanquam obtinendam suis propriis viribus sine divino auxilio, sicut Deus ipse non alieno auxilio, sed sua propria facultate beatus est. Ii, dæmones expetiisse statum et officium et beatitudinem Christi Domini, adeoque cultum illi denegasse docuerunt. Illi, Angelos indigne tulisse, quod homines et gratiæ ipsorum, et gloriæ essent participes. Denique D. Aug. contendit nemini subesse, Deique ipsius imperium detrectare illis in voto fuisse. 'Si quis perverse voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet a quo formetur, non habet a quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, ut quomodo Deus nullo formante, nullo regente vivat; quid restat, nisi ut in deterius mutatus deficiat? Hoc diabolus fecit: Deum imitari voluit, sed perverse; non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.'

171 *Persuasit propriis genitum se viribus*] Prudentius vero non solum verba Ezech. XXVIII. 'Elevatum est cor tuum in decore tuo, quasi cor Dei; et dixisti, Deus ego sum,' intelligit de subjectione quoad imperium actuale, ut loquuntur Theologi, verum etiam de subjectione simpliciter, quasi vero diabolus esse similem Deo per æquiparantiam appetiisset ac credidisset. D. Thom. LXIII. Q. 3. id oppugnat. 'Quia dæmon naturali cognitione hoc esse impossibile sciverat, nec primum actum peccandi in ipso præcesserat vel habitus, vel passio ligans cognoscitivam ipsius virtutem.' Quare poëtica quadam exaggeratione superbum illius factum interpretando sic explicasse Prudentium dicam, tanquam nullum sui procreatorem agnoverit, quem per superbiam contemneret. Non enim est credibile persuasisse vel sibi, vel aliis spiritibus diabolum, se non ab alio productum, verum a se ipso procreatum esse. Hoc ne homo quidem sui ac

Materiam sumsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nascique suum sine principe cœptum.
Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam,
Quæ docet e tenebris subitum micuisse tyrannum,
Qui, velut æterna latitans sub nocte, retrorsum
Vixerit, et tecto semper regnaverit ævo.
Æmulus, ut memorant, opera ad divina repente
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet unam
Infirmare fidem, sacro quæ tradita libro est.
Nil, ait, absque Deo factum, sed cuncta per ipsum,
Cuncta: nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
Proditus, et primo generis de fonte serenus:

incœperat existere primo, neque ducere suam originem ab auctore. Hinc Marcionitæ cogitaverunt ponere sententiam occultam, quæ docet dæmonem, qui vixerat latitans veluti sub nocte æterna sine initio, et regnaverat ab æterno agens ævum occultum, exiisse subito e tenebris. Is æmulus, ut narrant, exeruit caput a tenebris densis, ut repente fædaret opera Dei. Sed nostra mens, cui nullum est fas refellere dogma fidei, quæ tradita est sacris Bibliis, non assentitur huic. Nihil, ut scriptum est, est factum sine Deo; sed omnia facta sunt per ipsum: neque est quisquam alter, nisi sit factus a Deo. Is quidem extitit bonus in ortu, natus ad bonum, et

183 *Facta* pro *Cuncta* G. in marg.—191 *Convaluisse* Gif. Ind. Lucr. p. 342.

NOTÆ

rationis compos de se sibi persuaderet. Sic luxuriæ dediti pro Deo ventrem habere dicuntur, non quod ita revera sentiant, sed quod re ipsa plus abdomini, quam Deo, tribuant.

182 *Nil, ait, absque Deo factum*] Joan. cap. I. 'Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.' Et 1 Corint. c. VIII. 'Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum.'

184 *Sed factus de stirpe bonus*] D. Thomas Quæst. LXIII. 4. movet hanc quæstionem; statuitque dæmones non esse naturaliter malos. 'Nam quælibet natura intellectualis habet ordinem in bonum universale: quod potest apprehendere, et quod est objectum voluntatis.' Porphyrius quidem posuit dæmones natura fallaces, eo quod putabat dæmones esse animalia habentia naturam sensitivam. Natura autem sensitiva ordinatur ad aliquod bonum particulare, cui potest esse conjunctum malum. Quam autem a vero aberraverit, ostendit Augustinus. Quid plura? Concilium Carthaginiense quartum cap. 1. et Bracarense Canon. 7. dicunt anathema Manichæis et Priscillianistis, qui docebant malum esse natura dæmonem.

Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit invidia, stimulisque instigat amaris:
Arsit enim scintilla odii de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile flatu
Concaluisse Dei: dominum quoque conditioni
Impositum: natura soli, pelagique, polique,
Ut famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, et effusum terreno addicere regi,
Qui cunctum regeret proprio moderamine mundum.
Inflavit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis:

purus de primo principio omnium rerum: mox vero ex sua voluntate fit pejor, cum invidia fœda illum deturpat, et pungit stimulis acerbis. Nam scintilla odii excusa de fomite zeli illum arsit; et dolor repentinus fecit ingenium pravum. Viderat hominem luteum, et imaginem Dei structilem fuisse animatam flatu Dei, et constitutum Dominum sub quadam conditione, ita ut natura terræ, et maris, et cœli subjecta homini nosset edere copiose fructum, et effusum tradere huic, qui erat rex terrenus. Dæmon auxit superbiam suam fermento animi turgescente, et miser traxit vim fer-



conditione G.—195 H. vs. deest P. Eg. Heins. Mss. et in quibusdam postpo-

NOTÆ

189 *Conflavit iniquum*] Ex bono ac sereno deteriorem esse redditum, infectumque significat: eodem ergo momento et superbiam, et invidiam concepisse animo putat.

190 *Viderat argillam*] Tertullianus, Methodius, Cyprianus, Gregorius Nyssenus putant quoque homini invidisse dæmonem, quod præesset Adamus huic terræ. Sed apertius Anastasius Sinaica in 'Ὁδηγῷ' 'Cum igitur Deus aspectabilem hunc mundum fabricaret, hoc est cœlum ac terram, quæque terra continentur, arbitrabatur diabolus, se a Deo constitutum iri regem, ac Dominum aspectabilis creaturæ. Postquam autem productum vidit Adamum, et a Deo collatum ipsi terrenarum rerum dominatum, invidens homini, decepit ipsum.'

191 *Concaluisse*] Giphanius indice Lucretiano, voce Fac, *Convaluisse Dei flatu* vult pro *Concaluisse*.

Dominum quoque conditioni Impositum] Forte *conditione imposita*, ut contra Symmach. I. 311. 'Cui tramite certo Conditio imposita est.' Gennadius tamen in catalogo virorum illustrium, ubi agit de Prudentio, ait: Commentatus est et in morem Græcorum Hexaëmeron de mundi fabrica, usque ad conditionem primi hominis, et prævaricationem. Tum ergo id intelligi potest. Viderat hominem constitutum Dominum fabricæ mundi.

194 *Addicere regi*] In Aldino post hunc versum collocatur, *Qui cunctum proprio regeret moderamine mundum*. Sed abest ab aliis.

197 *Bestia*] Juxta illud Apocal.

Bestia, sorde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis enodem servabat recta juventam,
Complicat ecce novos sinuoso pectore nexus,
Involvens nitidam spiris torquentibus alvum.
Simplex lingua prius varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale caput vitiorum: principe ab illo
Fluxit origo mali: qui se corrumpere primum,
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.

menti de medullis acidis. Is Dæmon, inustus nulla labe, in quo æqua ratio agendi alebat tunc pulchritudinem magni corporis carentem nodo, statim obtegens pulchrum ventrem spiris torquentibus se colligit in novos orbes pectore sinuoso. Ipsius lingua, quæ erat una ante, nunc est insignis varia potestate loquendi, et divisa nequitiis dicit verba trifida. Hinc fuit primum principum peccatorum; fons mali prorupit ab illo auctore, qui, nullo præceptore ipsum docente, didicit primo se depravare, deinde hominem. Infimus orbis, homine suo Domino prostrato, partitur exilium, et omnia

nitur vs. 191.—198 *corde* Weitz.—201 *Involvit* A.—202 *loquenti* W. superscr.

NOTÆ

cap. XII. 'Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.'

Deque acidis vim traxit acerba medullis] Quia fructus acidiores turgescunt, et acescunt; qui duo sunt effectus fermenti. Virg. Georg. III. 'Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.'

203 *Sermone trisulco*] Serpentum linguam poëtæ agnoscunt trifidam. Virg. 'Et linguis micat ore trisulcis.' Ovid. Met. III. 39. 'Tresque micant linguæ.' Jam sup.

204 *Hinc natale caput vitiorum*] Christus ipse dæmonem totius fraudis architectum aperte docet, cum increpans Judæos: 'Vos ex patre diabolo estis, inquit, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.' Homicida vero ab initio non aliter fuit, nisi quia 'primos homines veneno suæ mortificavit invidiæ,' ut loquitur S. Leo. Nec alia de causa S. Joannes diabolum vocat draconem et serpentem antiquum, nisi quia ab initio mundi serpentem induit in hominum ruinam.

Principe ab illo Fluxit origo mali] Impium enim est, atque hæreticum, causam mali, peccatique auctorem Deum dicere. 'Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.' Psalm. v.

206 *Nullo informante magistro*] Et sane desertorum ac rebellium spirituum princeps exemplo ceteros in ruinam præcipitavit: hortatu suo Evam induxit in errorem; cujus Evæ blanditiis infractus Adam, oblatum ab illa interdictæ fructum arboris comedit. Unus ergo Lucifer nullius hortatu, nullius exemplo visus est sibi excellens, dignus admiratione et gloria.

Ultimus exitium subverso præside mundus
Sortitur, mundique omnis labefacta supellex.
Non aliter quam cum incautum spoliare viantem
Forte latro aggressus, prædæ prius immemor, ipsum
Ense ferit dominum, pugnæ nodumque, moramque,
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Jam non obstanti locuples de corpore prædo.
Sic homini subjecta domus, ditissimus orbis
Scilicet in facilem domino peccante ruinam
Lapsus, herile malum jam tunc vitiabilis hausit.
Tunc lolium lappasque leves per adultera culta
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus,
Triticeam vacuis segetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Jamque jugo edomitos rictu laniare juvencos

ornamenta terræ sunt labefactata. Perinde ac cum fur, qui aggressus est forte viatorem improvidum ad illum spoliandum, initio nondum intentus ad prædam conficit gladio ipsum Dominum, principem, et motorem pugnæ, ut, illo interemto, latro factus dives deducat victor vestes captas a cadavere nunc non repugnante. Ita, homine peccante, domus cui homo præest, terra uberrima oppressa promta ruina, jam prona ad vitium, infecta est malitia Domini. Tum tellus abundans glebis male pinguibus ausa est emittere per agros corruptores zizaniam, et lappas leves, et corrupit semen frumenti avenis sterilibus; tum quoque leones sævi cœperunt, occiso pastore, vesci sanguine innocuo vitulorum, et lacerare dentibus tauros fessos aratione;

NOTÆ

208 *Labefacta supellex*] 'Maledicta fuit terra,' ut Bibliorum verbis utar.

Supellex] Stragula, aliaque ejuscemodi, quæ super cubiculares vel tricliniales lectos poni solebant, ita dicta fuere; postea autem latius est extensa significatio ad alia domus instrumenta, quæ in quotidianum usum cadunt. Quæ recte conveniunt terræ frugibus.

217 *Lappasque leves*] Lappa, herba ferens capitula hamis aspera. Virg. 'Intereunt segetes, subit aspera sylva, Lappæque, tribulique.' De Lolio præf. Apoth.

218 *Ferre malignus ager*] Unde S. Ambros. de Paradiso cap. 15. 'Deinde considera, quia non est homo maledictus, sed maledictus est serpens: nec terra in se maledicta est, sed maledicta, inquit, in operibus tuis, quod ad Adam dictum est. Tunc terra maledicta est, si habeas opera terrena, i. e. opera sæcularia. Et maledicta non in universum, sed ut spinas et tribulos generet, nisi fuerit humanæ studio operationis exercita.' Menoch. tamen putat terram tribulos semper germinasse, sed paucos et paucis locis, copiose vero et passim post primi parentis lapsum.

219 *Vacuis segetem violavit avenis*] Hic sermo est de illa avena plane inani ac sterili, in quam dicuntur frumenta degenerare. Unde Virg. Eclog. v. 'Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.'

Occiso pastore truces didicere leones.
Necnon et querulis balatibus irritatus
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens solertia furti
Imbuit, et tortos acuit fallacia sensus.
Quamvis maceries florentes ambiat hortos,
Sepibus et densis vallentur vitea rura;
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno
Tinctas, letiferi fudisse pericula succi?
Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cum prius innocuas tulerit natura cicutas,

atque etiam lupus lacessitus balatibus trementibus est conatus ingredi noctu in stabula plena ovibus. Omnes belluæ fuerunt præditæ solertia mira surripiendi; et dolus acuit illarum sensus non rectos. Nam licet horti floridi circumdentur muro, et vineæ claudantur opacis dumis; aut bruchus edax erodet germina nascentia, aut racemi fœdabuntur concisi rostro avium dirarum. Quid dicam de radicibus herbarum, quæ imbutæ succo salubri emiserint venenum mortiferum et periculosum? Jam humor nocens effervescit in teneris fruticibus; cum antea natura ferebat cicu-



—214 *hominis* Weitz.—229 *populata rodit* A.—235 *rhododafnin* B.—237 *in-*

NOTÆ

224 *Caulas*] Caulæ, inquit Servius ad illud Æn. IX. 'Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili Cum fremit ad caulas,' munimenta et septa ovium. Est enim Græcum nomen *C* detracto. Nam Græci αὐλὰς vocant animalium receptacula. Varro tamen et Festus Caulas a cavitate dictas esse volunt. Quia antiquitus ante usum tectorum oves in antris claudebantur.

227 *Maceries*] Vel Macéria. Terent. in Adelph. 'Jube hanc maceriam dirui.' Perottus deducit a macer, quia minime sit pinguis; quippe ita dicitur paries e lateribus factus sine calce. Martinius a vocabulo Hebræo, quod baculum, virgamque significat. Quia antiquitus fierent septa e virgis.

229 *Gemmantia*] Gemma transfertur ad vitium gemmas, a quibus ex gemmare dicuntur. Sive enim gemma sit a γέμω, 'plenum esse,' sive ab εἷμα, 'indumentum,' recte dicitur de germine vitis, quod turget, vitemque ornat.

Bruchus] Locustæ genus herbas et arborum frondes erodens. Alii vocant erucam, *une chenille;* alii scarabæum stridulum, *un hanneton.*

234 *Innocuas cicutas*] Licet herba ita sit venenata, ut olim Athenienses ipsius succo capitali judicio damnatis necem intulerint. Juven. Sat. VII, 'Et hunc inopem vidistis Athenæ, Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.'

Roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnem
Pabula lascivis dederit sincera capellis.
Ipsa quoque oppositum destructo fœdere certo
Transcendunt elementa modum, rapiuntque, ruuntque
Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos Aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis sylva extirpata procellis.
Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
Transilit objectas, præscripta repagula, ripas,

tas non venenatas: et flos madidus rore, qui implicat viride nerium, erat capellis petulantibus pastus salutaris. Elementa ipsa transcendunt pariter limites positos fœdere certo, quod frangunt, et trahunt, et evertunt omnes res, succutientia viribus terram ex legibus. Venti luctantes frangunt arbores umbrosas; et sylva cadit eruta turbinibus violentis. Alia parte fluvius rapidus vincit aquis currentibus ripas oppositas:

positum A. G. *appositum* F. B.—243 *objectæ p. r. ripæ* F. G. W. B.—246 *lata*

NOTÆ

235 *Rhododaphnem*] Alii rhododendron vocant: alii Nerion. Theophr. Hist. I. 15. *Νήριον, οἱ δὲ ῥοδοδάφνη, οἱ δὲ ῥοδόδενδρον θάμνος.* Apuleius vero lauream roseam, *laurier rose.* Hic frutex, teste Plinio XVI. 33. Sempiternus est fronde, rosæ similitudine, caulibus fruticosus.

236 *Pabula sincera capellis*] Nam, ut Diosc. testatur pag. 1103. rhododaphne jumentis, caprisque, et ovibus venenum est. Et Plinius XXIV. 53. 'Mirum,' inquit, 'folia ejus quadrupedum venenum esse, homini vero contra serpentes præsidium, ruta addita e vino pota. Pecus etiam, et capræ, si aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur.'

238 *Rapiuntque, ruuntque*] Haud absimile illud Lucret. lib. I. 'Quæ, veluti validum flumen, cum procubuere, Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque Impetibus crebris.'

239 *Legirupis*] Plaut. in Pseud. act. I. scen. 3. 'Impudice, sceleste, verbero, bustirape, furcifer, socifraude, parricida, sacrilege, perjure, legirupa, pernicies adolescentum.'

Legirupis viribus] Viribus, quæ rumpunt leges a Deo positas. 'Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.' Job XXXVIII.

240 *Aquilonum*] Ventorum qui flant a Septemtrione, quique ita vocantur a vehementiori flatu, et volatu. Vide Festum.

Aquilonum prælia] Virg. Æn. I. 57. 'Luctantes ventos, tempestatesque sonoras Imperio premit.'

241 *Et cadit immodicis sylva extirpata procellis*] 'Principio venti vis verberat incita pontum, Ingentesque ruit naves, et nubila differt: Interdum rapido percurrens turbine campos Arboribus magnis sternit, montesque supremos Sylvifragis vexat flabris.' Lucret.

243 *Transilit, præscripta repagula*] Idem recte id describit: 'Ita magno turbidus imbri Molibus incurrens va-

Et vagus eversis late dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
Conditor instituit: sed laxa licentia rerum
Turbavit placidas rupto moderamine leges.
Nec mirum si membra orbis concussa rotantur,
Si vitiis agitata suis mundana laborat
Machina, si terras luis incentiva fatigat.
Exemplum dat vita hominum, quo cetera peccent:
Vita hominum, cui quicquid agit, vesania et error
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro fervescat ut igne libido,
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit major ab auro.

quæ erant repagula præscripta; et exundans late effunditur per campos vastatos. Creator tamen non injecit illis nascentibus tam effrænatum furorem. Sed, perturbato ordine, immensa licentia rerum labefactavit leges pacificas. Neque est mirabile, quod partes orbis commotæ se convertant, quod machina mundi vexata suis vitiis vacillet, quod lues incitabulis perturbet terram. Mores hominum sunt exemplo omnibus in peccato: Mores, inquam, hominum; quibus, quicquid agant, vecordia et cæcitas sufficiunt; ut bella flagrent; ut effœminentur luxuria molli; ut libido ardeat igne obscœno; ut vorago avaritiæ, quæ augens desideriis aurum accumulatum acervatim, expletur nullo fine habendi, nam cupiditas divitiarum crescit divitiis acquisitis, voret immanibus faucibus cumulos nummorum. Hinc oritur



W. superscr.—250 *lues* Weitz.—251 *Exemplum latura* F.—252 *vesania terror*

NOTÆ

lidis cum viribus amnis Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis Grandia saxa, ruit quia quicquid fluctibus obstat.'

Objectas, præscripta repagula, ripas] Non, *objectæ præscripta repagula ripæ.* Hæc nimirum est epexegesis illa, quam toties in Prudentio inscita librariorum oscitantia depravavit. Plura exempla congerere fas est. Sup. 'Omnesque suscipiunt tribus Bis sena fratrum semina.' Mox vs. 788. 'Christigenam fœcunda domum Davidica regna Edidit.' Vs. 846. 'Aversis sed rite oculis post terga tenebras Liquerunt miseri properanda pericula mundi.'

250 *Luis incentiva*] *Luis* probe vetustiores, ne peccetur in metrum. Sed hac de re jam sæpe.

256 *Finis quam nullus habendi Temperat*] Quare S. Basil. homil. de Avar. 'Ut temulentos ad bibendum provocat frequens vini haustus, sic et recenter ditati, cum multa acquisierint, pluribus inhiant; eo semper quod additur, morbum foventes.'

258 *Parto fit major ab auro*] Alio utitur exemplo Basil. 'Helluonibus pueris impune sæpenumero permit-

Inde seges scelerum, radix et sola malorum:
Dum scatebras fluviorum omnes et operta metalla
Eliquat ornatus solvendi leno pudoris:
Dum venas squalentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes forte lapillos
Rimata inveniat: nec enim contenta decore

causa peccatorum, et unica origo malorum: dum ornatus corruptor pudicitiæ auferendæ facit liquidam id, quod fluvii evomunt, et metalla abscondita: dum stulta ambitio, petens secreta naturæ infimæ, fodit viscera terræ squalentis, ut fodiens reperiat fortuito in aliquibus fossis lapides splendentes. Nam mulieres, non con-



A. Eg.—260 *Cum* P.—262 *Cum* Eg.—266 *Ingenita* Eg.—269 *sculptilibus* F.

NOTÆ

timus cibis se affectatis ingurgitare, ut eos tandem e nimia satietate fastidiant. Avaris autem ita non accidit, qui quanto plura ingesserint, appetunt plura.' Hinc Juvenalis Sat. XIV. 139. 'Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, Et minus hanc optat, qui non habet.' Horat. quoque Od. III. 16. 'Crescentem sequitur cura pecuniam, Majorumque fames.'

259 *Inde seges scelerum*] Alludit ad verba Pauli Epist. 1 ad Timoth. cap. VI. 'Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa stulta et nocentia, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est avaritia.'

260 *Scatebras fluviorum*] Cornelius Severus in Ætna: 'Scrutamur terras, evertimus omne profundum: Quæritur argenti semen, nunc aurea vena.'

261 *Ornatus solvendi leno pudoris*] 'Nam ubi pudicitia,' inquit Tertullian. lib. II. de cultu fœminarum, unde hæc emanarunt, 'ibi vacua pulchritudo: quia proprie usus et fructus pulchritudinis, luxuria, nisi si quis aliam messem decori corporis arbitratur. Illæ sibi formositatem et datam extendant, et non datam requirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putent, quod alteri præstant.'

264 *Radiantes lapillos*] Lapillorum nomine gemmas intellexere Horat. Sat. I. 2. 'Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos Sit licet, hoc, Cerinthe tuo tenerum est femur.' Tertull. lib. I. de cultu fœmin. 'Lumina lapillorum, et medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.'

265 *Nec enim contenta decore Ingenito*] Operæ pretium visum est, ceteris, quæ subsequuntur, notis præmittere non invenustum Manilii carmen: 'Hinc lenocinium formæ, cultusque repertus Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis, Perque caput ducti lapides, per colla, manusque, Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla. Ac ne materies tali sub munere desit, Quærere sub terris aurum, furtoque latentem Naturam eruere omnem, orbemque invertere prædæ Imperat, et glebas inter de-

Ingenito, externam mentitur fœmina formam.
Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sutilibus redimitæ frontis in arce,
Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas:

tentæ pulchritudine naturali, simulant formositatem externam, perinde quasi manus Dei Creatoris dedisset vultum non absolutum: cui adhuc aliquid opus est, sive pingere verticem frontis cinctæ hyacinthis consutis, sive circumdare collum integrum corona carbunculorum, sive ligare auribus onustis smaragdos virides. Innectunt

NOTÆ

prendere gazam, Invitamque novo tandem producere cœlo.'

266 *Mentitur fœmina formam*] Quantum id Tertulliano displicuerit, satis apparet. 'Quantum a vestris disciplinis et professionibus aliena sunt, quam indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur; effigie mentiri, quibus lingua non licet; appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur; adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiæ sit?'

267 *Domini manus imperfectum Os dederit*] 'Displicet nimirum illis plastica Dei: in ipsis se nimirum arguunt et reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta.' Tertull. lib. II. de cultu fœmin.

268 *Hyacinthis*] Hyacinthum ex rubinorum esse genere quidam volunt. Vide vs. 859. Psychom.

269 *Sutilibus*] Sic lapillos sutiles, et vinclum sutile Prudentius appellat: Martialis vero rosas sutiles. 'Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo, Lassenturque rosis tempora sutilibus.' Epigr. v. 65. Plinius lib. XXI. 'Coronas sutiles,' nempe coronas e rosarum foliis consutas.

270 *Ignitis sertis*] Serta plurale notare coronas quis neget? Cur autem coronam carbunculorum ignita serta dixerit Prudentius, docet Plinius lib. XXXVII. 'Principatum habent carbunculi a similitudine ignium appellati. Et sane carbunculus ipsis etiam noctibus lucet, et quibusdam quasi radiis refulget.'

271 *Auribus aut gravidis suspendere*] Ipsimet profani scriptores id vitio verterunt fœminis; præcipue vero Seneca de Benef. VII. 9. 'Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Junguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.' Ac Plinius IX. 56. 'Hos digitis suspendere, et binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est.'

Baccas] 'Bacca,' inquit Perottus, 'fructus arborum minutiores, ut sunt lauri et olivæ, significat; sed ab eorum similitudine gemmæ quoque et lapilli baccæ vocantur.' Quare non possum quin notem Isonem in eo peccasse, quod putet Prudentium loqui de unionibus, 'qui uniones,' ait, 'vocantur, eo quod in capite ostrearum aperto cerebro semel reperiantur in anno, et unus tantum.' Primo

Nectitur et nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco

capillos lucentes unionibus albis, et onerant cæsariem catenis aureis. Me tædet recensere ornatus scelestos fœminarum, quæ oblinunt cerussa corpora prædita donis Dei;

G.—273 *rubet* Ro.—274 *Edita sacrilegas* Eg. P.—276 *figmentis* Weitz.—276

NOTÆ

quis credat illud epithetum 'virides' recte conjungi unionibus, de quibus hæc habet Plinius IX. 56. 'Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promtis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti, unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ.' Qui locus Plinii male intellectus Isonem decepit, aliosque quamplurimos. Non enim is scribit unum tantum inveniri; sed negat duos inveniri indiscretos, i. e. similes atque indiscreta similitudine. Dicam ergo baccas virides hic accipi pro smaragdis, *des emeraudes*, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Nec sol, nec umbra, nec lucernæ vividam eam viriditatem auferunt.

272 *Calculus albens*] Quia candore et orbe lapillos æmulantur uniones. Quin etiam apud Suidam, Lampridium, et Cassiodorum margaritæ appellatæ sunt *Albæ*. Cassiod. Epist. IX. 6. 'Assurgit Indici maris de albarum candore fama locupletior.'

Concharum calculus] Concha vulgo dicitur, *nacre de perle*, ceu perlarum, h. e. margaritarum mater.

273 *Aureolis catenis*] Inter ornamenta muliebria catenas aureas ponunt Tertullianus lib. de cultu fœminar. Arnob. lib. II. contra Gentes, ac Plinius XXXIII. 12. 'Habeant fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris; discurrant catenæ circa latera.' Is tamen paulo ante sect. 4. dixerat: 'Est quidem apud eundem Homerum virorum crinibus aurum implexum, ideo nescio an prior usus a fœminis cœperit.' Qua in re a Prudentio et a Tertulliano longe dissentit.

274 *Sacrilegas curas*] Unde Arnob. lib. II. contra Gentes: 'Idcirco Deus animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio compararent? Conspiciendos quærerent corporibus fucos, innecterent his colla? Laminas pertunderent aurium? Imminuerent frontes limbis? Fuligine oculos obumbrarent? Nec informibus erubescerent calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis lævigare.'

275 *Plasmata fuco Inficiunt*] Quæ hac de re D. Hieron. ad Furiam scripsit, digna sunt ubique, et non ibi tantum legi: 'Quid faciat in facie Christianæ purpurissus et cerussa, quorum alterum ruborem genarum labiorumque mentitur, alterum candorem oris et colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia? Quomodo flere potest pro peccatis suis, quæ lachrymis cutem nudat, et sulcos ducit in faciem? Ornatus iste non Domini est: velamen illud Antichristi est. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos Conditor non agnoscit?'

Inficiunt, ut pigmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus male fortis agit, cui pectore in arcto
Mens fragilis, facili vitiorum fluctuat æstu.
Quid? quod et ipse caput muliebris corporis et rex,
Qui regit invalidam propria de carne resectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum. Cernas mollescere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, et rigidos duraverat ossibus artus.
Sed pudet esse viros: quærunt vanissima quæque
Quis niteant: genuina leves ut robora solvant,

ita ut pellis oblita fuco, jam non agnoscenda ob colorem mendacem, amittat id quod habebat. En ea, quæ agunt mulieres non fortes, quarum mens fragilis in corde arcto facile agitatur motu scelerum. Quid, inquies? quia vir ipse et caput et dominus mulieris, qui gubernat hanc partem debilem, quæ fuit tracta a suo corpore, qui habet in sua potestate illud vas caducum, indulget luxuriæ! Videntur enim homines senes, quibus Creator formarat corpus durum, et firmarat ossibus artus rigidos, molliri ornatibus. Eos pudet esse viros: quærunt quæque ornamenta inutilia, quibus renideant. Delicati, ut frangant vires nativas, amant induere vestes talares,



pectore in imo W. superscr.—287 *genuina lues ut robora solvat* Bodl. et al.—

NOTÆ

276 *Pigmentis cutis illita*] In libris editis, *figmentis*, mendose. Auctores enim proxime laudati pro unguentis aut aromatis pigmenta posuerunt. Tertull. 'Proprias præstigias formæ et hic sexus sibi agnoscit: barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum disponere, et decolorare caniciem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distringere.' Dracontius: 'India tunc primum generans pigmenta per herbas Eduxit sub sole novo, rudibusque racemis.' Prudentius ipse dixit, 'pigmentatum crinem;' et 'pigmenta redolentia.'

278 *Sexus male fortis*] Hero ad Leandrum apud Ovidium: 'Urimur igne pari: sed sum tibi viribus impar. Fortius ingenium suspicor esse viris. Ut corpus, teneris sic mens infirma puellis.'

279 *Vitiorum*] 'Quas quia Pygmalion ævum per crimen agentes Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti Fœmineæ natura dedit, sine conjuge cœlebs Vivebat.' Ovid. Met. x.

Fluctuat æstu] Hoc sensu Virgil. Æn. IV. 'Rursusque resurgens Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.'

280 *Rex*] Juxta illud Genes. 'In dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.'

281 *Propria de carne resectam Particulam*] 'Immisit Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.'

Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
Gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Illudant varias distincto stamine formas.
Ut quæque est lanugo feræ mollissima tactu,
Pectitur: hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum

textas non ex lana ovium, sed ex spoliis arborum quæsitis in regionibus Orientalibus, et perfundere corpus robustum scutulis. Ars advocatur, ut lana imbuta succo herbarum recoctarum imitetur varias figuras filis multicoloribus. Quia vero omnes lanæ belluarum sunt tractabiles manu, pectuntur. Videntur homines perquirentes maxima præcipitatione vestimenta mollicula, atque etiam concinnantes novis telis indumenta

NOTÆ

288 *Eoo ex orbe*] Ex regionibus Orientalibus, de quibus Hymn. XII. Cathemer. Seres enim Scythis, Indis, et Sinis sunt contermini.

289 *Ramorum spoliis*] Nobiles Serum sylvæ, quæ lanicium præbent. Sunt enim cuidam arborum generi lanata folia, inquit Plin. lib. VI. eaque candida, quæ primum perfunduntur aqua, mox depectuntur; tum ducuntur in fila, ac denique nentur in subtegmina. Horum meminit Virg. Georg. II. Vide tamen quæ diximus sup.

290 *Scutulis*] Vestibus scilicet crebris laterculis, quadris, orbiculisve distinctis, divisis; qualequid in retibus reticulatisque operibus cernimus. Sic aranearum rete scutulatum Plinius appellat XI. 28. et Juven. Sat. II. 'Reticulumque comis auratum ingentibus implet Cœrulea indutus scutulata, aut galbana rasa.' Papias in vocabulario: 'Scutulata, genera vestimentorum, dicta quod orbiculos quosdam habent in similitudinem scutulorum.' Galli vocant *Lausangias, des lozanges.*

291 *Fila herbis saturata recoctis*] Quia hyacinthinos, purpureos, coccineos, aërinos, ceterosque colores e succis herbarum et concharum salivis confici certum est. Tertullianus autem lib. I. de cultu fœminarum, Christianis id pluribus objicit: 'Quis enim est vestium honor justus de adulterio colorum injustorum? Non placet Deo, quod non ipse produxit. Nisi si non potuit purpureas et aërinas oves nasci jubere. Si potuit, ergo jam noluit. Quod Deus noluit, utique non licet fingi.'

292 *Illudant varias formas*] Ita ut repræsentent referantque figuras avium, florum, arborum, ut quotidie apud nos videmus. In iis enim artifices ludentes auro argentoque talia depingunt. Adi Servium in illud Virgil. 'Illusasque auro vestes.'

294 *Lascivas tunicas*] Molles tunicas et sericas, quod, qui ea induunt vestimenta, immodice voluptatibus deliciisque indulgent. Forte etiam vestes erant obscœnis figuris variatæ. Constat enim in poculis libidines cælasse, ac per obscœnitates bibisse: immo et panes pudenda figura conformasse, ut videre est apud Martial. Epig. IX. 3.

295 *Avium quoque versicolorum Indumenta novis texentem plumea telis*] Nicolaus Fullerus ex plumis avium

Indumenta novis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
Pulvere fœmineas spargentem turpiter auras.
Omnia luxus habet nostræ vegetamina vitæ,
Sensibus in quinque statuens quæ condidit auctor.
Auribus atque oculis, tum naribus atque palato
Quæritur infectus vitiosis artibus usus.
Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus
Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.

plumea volucrum multicolorum. Denique illi delibuti unguentis odoris, et pulvere adventitio exhalant turpiter spiritum fœmineum. Omnia organa vitæ nostræ, quæ Deus formans partitus est in quinque sensus, luxuriant vitiosis artibus. Facimus usum perversum auditus, et visus, et olfactus, et gustus. Tactus ipse, qui fusus est toto corpore, petit ex dulcibus fomentis mollem contactum; optat, pro do-

293 *fere* Weitz.—295 *Ventantem* W.—302 *artubus* Bodl.—304 *ex* A. W. G.—

NOTÆ

versicoloribus opera mira olim elaborasse nonnullos arbitratur, delicatioresque his vestibus ex plumis variis contextis usos fuisse. Unde illud Senecæ Epist. XCI. 'Non avium plumæ in usum vestis conservantur.' Turnebus vero XI. 25. ubi interpretatur verba illa Flavii Vopisci: 'Laneas tunicas purpura micantes, et plumandi difficultate pernobiles. Plumandi,' inquit, 'exponitur, texendi a quibusdam: ab aliis acu pingendi exponitur: et sane videri potest, pro acu pingere interdum accipi, ut a D. Hieron. Species tamen quædam proprie est acu pingendi, cum clavi, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ, aut tesselæ, sic aliæ aliis superassuuntur, ut plumam avium referant: unde et plumariorum et plumandi nomen ortum est per similitudinem traductum; aut cum, sine assumento, acu pingendo plumæ avium referuntur.' Utut est, meus Fulleri mihi videtur Prudentio congruens magis, magis consona.

297 *Pigmentis redolentibus*] Unguentis odoris, quæ ad ungenda corpora, deliciarum et luxuriæ causa inventa sunt. Nostris, *des essences.*

Peregrino Pulvere] Intellige moschum, aliosque ejuscemodi exoticos odores, *des parfums*, quos fœminæ spirare unice diligunt.

298 *Fœmineas auras*] Nempe jacientes gratum suavemque odorem de corpore moscho atque unguentis perfuso, ut spargere solent fœminæ.

299 *Vegetamina vitæ*] De illa loquendi ratione propria Prudentii jam sup.

303 *Toto pollet qui corpore, tactus*] Cicero de N. D. II. 'Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus.' Alcimus I. 85. 'Tactus ad hæc, solus toto qui corpore judex Sentiat, et proprium spargat per membra vigorem.' Aristot. idem sentit de Part. Anim. II. 8.

Proh dolor, ingenuas naturæ occumbere leges,
Captivasque trahi regnante libidine dotes!
Perversum jus omne viget, dum quicquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria vertunt.
Idcircone, rogo, speculatrix pupula molli
Subdita palpebræ est, ut turpia semivirorum
Membra theatrali spectet vertigine ferri,
Incestans miseros fœdo oblectamine visus!
Aut ideo spirant, mediaque ex arce cerebri

lor, ut leges laudabiles naturæ deleantur, et voluptas victrix mittat dotes in servitutem. Jus omne deformatum est, dum homines mutant in usus oppositos id omne, quod Deus permisit possidere. An, amabo vos, ideo oculi puellæ oculatæ teguntur tenui palpebra, ut ea polluens miseros visus turpi delectatione aspiciat super theatrum membra obscœna mollium saltatorum torqueri in orbem? An vero ideo

314 *Dimittunt* W.

NOTÆ

309 *Pupula*] Vel pupilla, puella. Utrumque a pupa. Mart. Epig. IV. 20. 'Dicit se vetulam, cum sit Cærellia pupa.'

310 *Palpebræ*] Pilis scilicet prodeuntibus ex oculorum tunicis. 'Palpebræ' autem, teste Isidoro II. 1. 'a palpitatione dicuntur, quia semper moventur. Palpito enim est, leviter ac crebro moveor.'

Semivirorum] Id de effœminatis viris intelligendum est, ac mollibus, qui molliores sunt, magisque impudici, quam eunuchi ipsi.

311 *Theatrali*] Quam turpia fuerint, quam obscœna theatralia spectacula apud veteres, nos docent et Christiani scriptores et profani. Tertull. Apolog. 'Nihil est nobis cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ.' Ovid. Trist. II. 'Ut tamen hoc fatear, ludi quoque semina præbent Nequitiæ; tolli tota theatra jube, Peccandi causam, quæ multis sæpe dederunt Martia cum durum sternit arena solum.'

312 *Incestans miseros visus*] Quia, ut ait Chrysost. 'radix adulterii est curiosa inspectio.' Salvianus vero lib. III. de Gubernat. Dei, addit luculenter: 'Intelligere possumus, quam castos nos esse Salvator jusserit, qui etiam licentiam visionis abscidit. Sciens enim fenestras quodam modo esse nostrarum mentium lumen oculorum, et omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos, introire; eas penitus foris voluit extinguere, ne intus orirentur.' Hinc Ovid. Trist. II. 'Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?'

313 *Aut ideo spirant*] Tertullianus idem paucis explanat lib. de Spectaculis: 'Neque oculos ad concupiscentiam sumsimus, et linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulæ crimen, et ventrem ad gulæ societatem, et manus ad vim, et gressus ad vagam vitam.' Unde colligit, 'hominem corpore et spiritu desciisse a suo institutore.'

Demittunt geminas sociata foramina nares,
Ut bibat illecebras male conciliata voluptas
Quas pigmentato meretrix jacit improba crine?
Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorumque sonos, et convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?
Perque cavernosos jussit penetrare meatus
Vocis iter? numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram

duo foramina adjuncta ducunt spiritum, et demittunt ex media sede cerebri duas nares, ut libido male parta trahat blanditias quas spargunt capilli uncti pessimæ meretricis? An Deus effinxit aures patulas, et jussit viam vocis esse tritam per ductus sinuosos, ad audiendum cantum vanum puellæ psaltriæ, et sonos fidicularum, et cantilenas bacchicas libidinis calentis vino? Numquid sapor datus ori humido liquitur propter hanc causam, ut cibi præparati

NOTÆ

316 *Meretrix jacit improba*] Et sane meretrices ac prostibula fuco, cerussa, pigmentis, odoris unguentis, aliisque ejuscemodi, quibus vitia corporis occultantur, ut magis placerent, præ ceteris utebantur. Unde Tertull. id Christianis mulieribus objiciens: 'Video et inter matronas atque prostibula nullum de habitu discrimen relictum. Circa fœminas quidem etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur.'

317 *Num propter*] Quare D. Hieron. tom. II. in Reg. Monach. 'Cantor quoque pellatur, ut noxius: tibicinas et psaltrias, et istiusmodi quasi mortifera Sirenarum carmina, perturba ex ædibus.'

Lyricæ puellæ] Puellæ ad lyram carmina cantantis, vel psaltriæ fidicinæque.

Modulamina vana] Ne dicam cantilenas lascivas atque impuras. Nam, teste Gellio I. 11. tibicinæ illæ lascivientium erant deliciæ conviviorum. 'Halyattes autem Rex terræ Lydiæ, more atque luxu barbarico præditus, cum bellum Milesiis faceret, ut Herodotus in Historiis tradit, concinentes fistulatores et fidicines, atque etiam fœminas tibicinas in exercitu atque in procinctu habuit, lascivientium delicias conviviorum.' Claudian. vero Carm. XXII. in prim. Consul. Stilich. 'Nullo citharæ convivia cantu, Non pueris lasciva sonant.'

318 *Convivale carmen*] Theodosius ex conviviis operas cantorum edicto expulit.

Calentis nequitiæ] Usu quotidiano atque experientia novimus Baccham semper Venerem comitari. Unde illud Terent. tritum ac vulgare, 'Sine Cerere et Baccho friget Venus.'

321 *Sapor inditus ori Vivit*] Quia humor sponte liquitur, et linguæ nunquam deficit. Quo sensu Varro I. 11. 'aquam vivam' dixit: 'Si omnino aqua non est viva, cisternæ faciendæ sub tectis.' Et Virg. Æn. II. 'Flumen vivum.' 'Donec me flumine vivo Abluero.'

322 *Medicata fercula*] Cibi enim alii aliis farciuntur; hi illis condiuntur, et in injuriam naturæ innatum relinquere, et alienum coguntur afferre saporem. Quod semper apud omnes

Ingluviem, vegetamque gulam ganeonis inescent?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem, lassetque gravem sua crapula ventrem?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidumve, Deus cognoscere nosmet
Attactu voluit, palpandi interprete sensu.
At nos delicias plumarum, et linea texta
Sternimus, atque cutem fulcro attenuante polimus.

alliciant ingluviem pigram et gulam voracem helluonis; ut homo traheret noctem convivio instructo variis condimentis; ut ipsius intemperantia fatiget ventrem repletum? Deus voluit, ut tangendo cognosceremus, sensu tangendi judice, quid esset durum, quid molle, quid lene, quid asperum, quid calidum, quid frigidum. Sed nos extendimus lectos plumeos suaves, et sindones lineas, et curamus cutem fulcro nos comminuente. Quam fortunatus est ille, qui

—323 *vetitamque* Weitz.—328 *Ad tactum* A. B.—329 *palmarum* B. super-

NOTÆ

maximum fuit luxuriæ instrumentum, certumque mollitiei signum, ut ipse testatur Claudian. in Eutrop. xx. 326. 'Juvenes venere protervi, Lascivique senes, quibus est insignis edendi Gloria, corruptasque dapes variasse decorum,' i. e. mistas dapes.

Pigram] Nam segnes fiunt et ignavi, qui sese cibis ingurgitant.

323 *Ingluviem*] Sinus est gutturis, sive pellis cava, qua cibus primo ingestus, et adhuc indigestus, continetur. A gula, quasi ingoluvies. Unde pro voracitate et prodiga aviditate sumitur.

Vegetamque gulam] Natam ad helluationem, aptam, exercitatamque. Tale illud Cic. de Div. II. 'Ut illa tertia pars rationis eluceat, et se vegetam ad somniandum, acremque præbeat.'

Ganeonis] Popinas frequentantis. Ganeo autem, ganeumque, teste Cæsare Scalig. Exercit. CCCXVIII. 11. dicuntur a γάνος gaudium: nempe quod lætam voluptariamque vitam ganeones agitent. In Rottendorphio *Labeonis*, pro *Ganeonis*. Nec male: ne peccetur in metrum. Prima enim *ganeonis* producitur. Juven. Sat. XI. 'Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.'

324 *Prandia ducat In noctem*] Alterum vinolentiæ ebriositatisque specimen. Hinc Claud. Carm. XX. in Eutrop. 'Inter quæ tumidus leno producere cœnas In lucem, fœtere mero.' Magis vero luculente Martialis: 'Nocturno fœtere mero qui credit Acerram, Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.'

325 *Crapula*] A Græco Κραιπάλη, ἀπὸ τοῦ τὸ κάρα πάλλειν, quasi caput vibret. Plin. lib. XXIII. 'Capitis dolorem et vertigines facit; ab hoc dicta crapula est.'

329 *Delicias plumarum*] Tale illud Apul. Metamorph. X. 'Disternebatur lectus Indica testudine pellucidus; plumea congerie tumidus, veste serica floridus.' Quibus apparet his omnibus semper usos fuisse homines prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.

330 *Cutem fulcro attenuante polimus*]

Felix, qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumque modum servare fruendi.
Quem locuples mundi species, et amœna venustas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori:
Qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis sanctumque bonumque
Principio rerum, Christus cum conderet orbem:
Vidit enim Deus esse bonum: velut ipse Moyses
Historicus mundi nascentis testificatus;
Vidit, ait, Deus esse bonum quodcumque creavit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,
Inspirante Deo quod sanctus vaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,
Esse bonum quicquid Deus, et Sapientia fecit.
Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus.

potuit uti moderate donis concessis a Deo, et servare, cum fruitur, modum temperatum; qui non decipitur tanquam puer, nec excitatur ad stultum amorem facie copiosa, et jucunda pulchritudine mundi, et copia, quæ nos cingit, et decipit rebus splendidis; qui perspicit venenum letiferum abscondi involucro boni fraudulenti sub lenitate ficta! Sed olim initio mundi, cum Deus creabat orbem, id nobis fuit datum et sanctum et bonum. Nam, ut Moyses, scriptor rerum quæ spectant mundum nascentem, testatur, Deus vidit illud esse bonum. Deus, inquit, vidit omne quod fecit esse bonum. Deo igitur insinuante, credam, et habebo defixum in animo, quicquid Pater et Filius fecit, esse bonum, ut scripsit sanctus Propheta, narrans primordia primæ creationis. Ergo Pater, et Filius cum Patre, est creator

script.—335 *amore* Weitz. T.—336 *obumbrata* Eg. P.—341 *testificatur* Weitz. Vat. quidam.—343 *sequor* Weitz.—348 *unus* W.—354 *peperit*-

NOTÆ

Hæc duo longo ex somno oriuntur: pinguitudo, ita ut cutis levigetur, molliaturque: atque animi remissio, ac dissolutio, qua frangimur. Adde quod is etiam somnus sanitati noceat, debilitetque corpus, quod nos delicatos et laboris impatientes reddat.

Fulcro] Fulcrum pro ipsismet lectulis ponitur: pars scilicet pro toto. Lectulos enim fulcra sustinent.

331 *Felix, qui indultis potuit mediocriter uti Muneribus*] Galteri carmina juvat hic commemorare: 'Libera gens Scythiæ nil appetit ulterius, quam Prima parens natura dedit; de munere cujus Nec cuiquam servire potest, nec, ut imperet, optat. Esse sui juris hominem, sua seque tueri, Contentum esse suis, alienum nolle, beatum Efficiunt. Igitur si quid quæsiveris ultra, Excedunt tua vota modum finemque beati.'

341 *Testificatus*] Genes. cap. I. in Rottendorphio, *testificatur*.

Nam Deus, atque Deus Pater, est et Filius unum:
Quippe unum natura facit, quæ constat utrique
Una voluntatis, juris, virtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices: quoniam generis dissensio nulla est,
Atque ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenii: peperit bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ violatur origine venæ:
Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia sordet.
Numquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum,
In se vim sceleris, cum formarentur, habebant?
Quod jugulatur homo, non ferrum causa furoris,
Sed manus est; nec equum vesania fervida Circi

boni. Nam Deus Pater, et Deus Filius est unum. Siquidem natura, quæ est utrique eadem voluntate, potentia, potestate, amore, facit unum. Quod nulla est differentia naturæ, ideo non sunt duo Dei, nec duo creatores rerum; atque ita nulla est dissimilitudo operis, nulla mentis. Unus Deus fecit omnia bona. Nihil cænosum manat ex fonte, nec aqua exit turbida, nec origo primæ venæ illam fœdat; sed, dum aqua pura contingit glaream nigram, sordescit inter fœdos contactus. An equus, ferrum, taurus, leo, funis, oleum habebant in se, cum creabantur, naturam mali? Ferrum non est causa insaniæ, sed manus, quando aliquis interficitur.

NOTÆ

351 *Non tamen idcirco duo numina*] Adi vss. 39. 40. not. ubi pluribus ostendi, secundum oppositionem relativam nihil distingui ab altero in divinis.

352 *Generis dissensio nulla est*] Jam vs. 54. hujusce libri: 'Pietas sed certa, genusque Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam.' Generis nomen pro natura posuit. Vide sup. vs. 40. not.

354 *Bona omnia*] Male Giselinus τὸ *nam*, *bona nam omnia*, inculcat. Synalœpha est Prudentio familiaris.

358 *Inter contagia sordet*] Ovid. Pont. IV. 2. 'Scilicet ut limus venas excæcat in undis, Læsaque suppresso fonte resistit aqua.'

361 *Non ferrum causa furoris*] Huc pertinet, quod scribit Arnobius lib. VII. 'Quis in gladium formavit ferrum? Non homo? Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari.'

362 *Vesania fervida Circi*] Furorem et insaniam Circo omnes una voce tribuunt. Tertull. lib. I. adv. Marcion. 'Quid non frequentas tam solennes voluptates Circi furentis, et caveæ sævientis, et scenæ lascivientis?' August. lib. II. de symbolo ad Catechumenos: 'Quid delectat in Circo? Aurigas videre certantes, populos insania, furia anhelantes.' Herodian. ait: 'In Circo maxime solitum populum per tumultum convenire, et suæ voluntatis significationem dare.'

Auctorem levitatis habet, rabidive fragoris.
Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum,
Perfurit: infami studio perit utile donum.
Sic Lacedæmonias oleo maduisse palæstras
Novimus, et placidum servire ad crimina succum.
Inde per aërium pendens audacia funem
Ardua securis scandit proscenia plantis.

Nec vecordia ardens ludorum agnoscit equum esse auctorem inconstantiæ, et tumultus furiosi. Mens populi inops rationis insanit, non vero agilitas equorum; quare munus tam fructuosum fit inutile voluptate effrænata. Scimus Lacedæmonios sic fuisse conspersos oleo in luctationibus, et usos fuisse ad scelera liquore pacifero. Hinc vir temerarius suspensus e fune sublimi ascendit firmis pedibus proscenia dif-

que F. Eg. *bona nam somnia* G.—363 *rapidive* Weitz.—373 *Consessus* Weitz.

NOTÆ

Circi] Circus, locus a Tarquinio Prisco Romæ exstructus montes inter Aventinum ac Palatinum, ludis celebrandis, præcipue vero decursionibus equestribus. 'Illustret Circum sonipes, quicumque superbo Perstrepit hinnitu Bœtin.' Nomen inde habuit, quod Circularis, seu orbicularis esset figuræ; longior tamen quam latior. Tertullianus tamen atque Isidorus scribunt Græcos putasse Circen, Solis filiam, primam patri instituisse ludos Circenses, atque a suo nomine locum appellasse Circum.

363 *Rabidive fragoris*] Statius III. Sylvar. ad Claudiam: 'Certe lascivia cordi Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi, Aut intrat sensus clamosi turba theatri.'

366 *Lacedæmonias*] Lacedæmonii populi fuerunt Græciæ, in extrema Peloponneso ad Meridiem; aliter Lacones dicti, et Spartani, ab urbe Laconiæ principe Sparta. Palæstritæ autem fuerunt clarissimi, teste Propertio, 'Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ.'

Oleo maduisse palæstras] Loquitur de hoc palæstræ genere, ubi colluctaturi ceromate sive oleo prius perfundebantur; mox inde pulvere conspergendi, quo corpora sudore et oleo lubrica facilius amplecterentur palæstritæ.

Palæstras] Græca vox, παλαίστρα. Radix πάλλω agito, propter corporis in ea agitationem. 'Calliope liquidas Alciden posce palæstras.'

368 *Per aërium funem*] Intellige funambulos, quorum artem Manilius luculenter describit lib. V. 'In prærupta dabit studium, vincetque periclo Ingenium, aut tenues ausus sine limite gressus Certa per extentos ponit vestigia funes, Et cœli meditatus iter vestigia perdet, Et pæne ut pendens populum suspendit ab ipso.'

369 *Ardua*] Quod se mortis periculo committant. Unde Apul. 'Comœdus sermocinatur, Tragœdus vociferatur, funirepus periclitatur.'

Proscenia] Proscenium, locus ante scenam, seu pars anterior scenæ, ut contra, postscenium, pars scenæ posterior. Plaut. Prolog. Amphit. 'Etiam histriones anno cum in proscenio hic Jovem invocarunt, venit, auxilio eis fuit.'

Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt.
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consensus, legesque jubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum discerpta cruentis
Morsibus oblectent hilarem de funere plebem.
Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi

facili ascensu. Hinc homines inconsiderati transiliunt belluas saltu celeri, et ludunt inter pericula mortis. Omnes una voce concelebrant spectacula cruenta sanguine humano, et leges jubent parari supplicia venalia, in quibus corpora hominum lacerata sævis morsibus delectent populum gaudentem de illorum morte. Dolet mihi re-



P.—375 *hilaram* Heins. Eg. P.—383 *contentus sternere* A. *contentam sternere*

NOTÆ

370 *Feras temeraria corpora Transiliunt*] Bestiarii scilicet, qui auctorati aut agilitate corporis in bestias irruebant, et colla arte constringebant, aut earum pectora venabulo confodiebant. Claudianus Carm. XVII. 294. 'Non aspernata rogantem Amphitheatrali faveat Latonia pompæ. Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum Arte ligent, certoque premant venabula nisu.'

Volucri saltu] Apud Cassiodorum Theodoric. Rex Epist. v. 42. 'Pari in se cursu festinat et prædator et præda: nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem vitare cupit, occurrerit. Tunc in aëre saltu corporis elevato, quasi vestes levissimæ supinata membra jaciuntur, et quidam arcus corporeus supra belluam libratus, dum moras discedendi facit, sub ipso velocitas ferina discedit.'

371 *Mortis inter discrimina*] Id fuse narrat Theodor. apud Cassiodorum atque explicat: 'Voluptatem præstat sanguine suo, et infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire.' Et paulo post: 'Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.'

372 *Publicus edit Consensus*] 'Hunc ludum crudelem,' teste Theodorico apud Cassiodorum, 'Sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam, ut ita dixerim, feritatem, Athenienses primum ad civitatis suæ perduxere culturam, justitia permittente divina, ut ad illusionem spectaculi perveniret, quod falsæ religionis ambitus invenisset.'

Legesque jubent venale parari Supplicium] Unde Theodoricus ad Maximum scribens: 'Sed vobis, quibus necesse est talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, ut hæc miseris faciatis esse votiva. Alioqui violenta compulsio est, solennia dona subtrahere, et mortes detestabiles imperare. Et ideo quicquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate pervenit, sine aliqua dilatione concedite supplicanti. Quia homicidii reatus est, illis esse tenacem, quos editio vestra invitavit ad mortem.'

Percensere piget, quæ veri oblita Tonantis
Humanum miseris volvunt erroribus ævum.
Nemo animum summi memorem genitoris in altum
Excitat, ad Cœlum mittit suspiria nemo:
Nec, recolens apicem solii natalis, ad ipsum
Respicit auctorem; nec spem super aëra librat:
Sed mentem gravidis contentam stertere curis,
Indigno subdit domino, perituraque pronus
Diligit, et curvo quærit terrestria sensu.
Hoc pulchrum, quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica; commendat quod perniciosa voluptas;
Quod, velut excitus difflato pulvere ventus,
Præterit, exemplo tenuis quod transvolat umbræ.
His ægras animas morborum pestibus urget

ferre alia quamplurima gaudia insulsa stultorum hominum: quæ adimentia memoriam veri Dei præcipitant genus humanum perversis erroribus. Nemo extollit ad cœlum suam mentem memorem supremi parentis. Nemo suspirat in cœlum; nec aspicit creatorem ipsum, considerans altitudinem sedis natalis; nec conjicit spem super aërem. Sed contentus requiescere in rebus corporeis subjicit se domino immerito, et prostratus amat caduca, et venatur sensu demisso res terrenas, nempe illam pulchritudinem, quam tellus fert, quam dat vanitas mobilis, quam libido exitiosa laudat, quæ transit, quasi ventus ortus, postquam disturbavit pulverem; quæ effluit tanquam umbra levis. Latro fortis, quem corda hominum excipiunt cir-

P. *contentus stertere* B.—386 *perit* W. sed *et capit* superscr. quod et in B.—

NOTÆ

378 *Miseris volvunt erroribus ævum*] Manilius non inepte idem cecinit lib. IV. 'Quid tam solicitis vitam consumimus annis? Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum; Æternisque senes curis, dum quærimus ævum, Perdimus, et nullo votorum fine beati Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.'

385 *Curvo quærit terrestria sensu*] Homines nihil sapiunt, nisi terram: bonaque et mala solius corporis sensu et voluptate perpendunt. Hujus arbitrio ut religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt. Unde Persius ipse Sat. II. 'O curvæ in terris animæ, et cœlestium inanes!'

389 *Quod transvolat umbræ*] Seneca in Hippolyto: 'Anceps forma bonum mortalibus, Exigui donum breve temporis, Ut velox celeri pede laberis! Non sic prata novo vere decentia Æstatis calidæ dispoliat vapor: Sævit solstitio cum medius dies, Et noctem brevibus præcipitat rotis, Languescunt folio lilia pallido, Et gratæ capiti deficiunt rosæ: Ut fulgor teneris qui radiat genis Momento rapitur! nullaque non dies Formosi spolium corporis abstulit. Res est forma fugax: quis sapiens bono Confidat fragili?'

390 *His ægras animas morborum pestibus urget Prædo potens*] Dæmon

Prædo potens, tacitis quem viribus interfusum
Corda bibunt hominum. Serit ille medullitus omnes
Nequitias, spargitque suos per membra ministros.
Namque illic numerosa cohors sub principe tali
Militat, horrendisque animas circumsidet armis,
Ira, superstitio, mœror, discordia, luxus,
Sanguinis atra sitis, vini sitis, et sitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies habituque minaces:
Ambitio ventosa tumet: doctrina superbit:
Personat eloquium: nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto.

cunfusum tacitis viribus, infestat illis malis morborum animas non sanas. Is disseminat in intima præcordia omnia scelera, et effundit per artus milites suos. Nam densa turma pugnat in his sub tali duce, et obsidet animam armis horrendis; ira scilicet, vana religio, tristitia, dissidium, intemperantia, execranda cupiditas sanguinis, cupiditas vini, et cupiditas divitiarum, invidia, impudicitia, fraus, calumnia, furtum: quorum omnium vultus deformes injiciunt timorem, et ipsa sunt minacia forma. Ambitio fastuosa inflatur. Scientia se effert insolenter. Facundia vociferatur. Fraus simulata implicat nodos. Hinc elo-

NOTÆ

scilicet, qui tum a sacra Scriptura, tum a sanctis Patribus dicitur infestus latro, omnibus illis modis nos allicit ad peccatum.

396 *Ira, superstitio, mœror*] Alludit ad hunc locum S. Pauli ad Gal. cap. v. 'Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt scortatio, adulterium, immundities, lascivia, veneficium, simulacrorum cultus, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, hæreses, invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes.' Quæ verba D. Chrysostomus exponit, ita ut maxime faciat ad intelligentiam Prudentii. 'Vides igitur, quod hic non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione, quæ humi serpit eoque terrorem ingerit, dicens, Qui talia faciunt, regni Dei non erunt hæredes. Quod si hæc essent naturæ malæ, non voluntatis pravæ, superflue dixisset, faciunt: sed, patiuntur.'

399 *Informes horrent facies*] Vitiorum forma describitur hic a Prudentio; a quo sancti Patres non admodum abludunt.

400 *Ambitio ventosa tumet*] *Ventosus*, ut jam monui sup. Apoth. vs. 411. not. ponitur pro tumido ac vano, apud Virg. Æn. xi. 'An tibi Mavors Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis Semper erit?' Adi hymnum Laurentii, ubi Poëta jam fuse superbiæ, iræ, invidiæ, aliorumque animi motuum naturam descripsit.

Doctrina superbit] Paulus 1 ad Corinth. cap. viii. 'De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus, quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat.'

402 *Canina facundia*] Quod Appii dictum apud eruditos scriptores in adagionem cessit in eos, qui tantum ad maledicendum eloquentiæ studium

Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam,
Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas.
Incerat lapides fumosos idololatris
Religio, et surdis pallens advolvitur aris.
Heu quantis mortale genus premit improbus hostis
Armigeris! quanto ferrata satellite ductor
Bella gerit! quanta victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananeus, atque agmina denset

quentia mordax intonat in omni foro. Hinc stulta philosophia gerit clavam Herculeam, et ostendit suos philosophos per vicos. Falsus cultus Deorum incerat statuas fumosas, et pagani pallidi se prosternunt ad altaria Deorum surdorum. Eheu quantis militibus atrox ille inimicus oppugnat genus humanum! quantis custodibus is dux facit bellum ferratum! quanto imperio premit debellatos! Chananeus, terribilis galea, agitans mento barbam ponderosam, et movens

396 *luctus* P.—405 *idololatrix* Weitz.—410 *densat* G.—411 *terribili* A.—417

NOTÆ

exercent; a rixa canum et oblatratu sumto epitheto. Divus Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum: 'Procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam.' Unde obtrectatores suos subinde canes appellat.

403 *Herculeam clavam*] Clavam inter Philosophorum insignia jungit Sidonius carm. xv. 'Tetrica nodosæ commendat pallia clavæ.' Ep. iv. 9. 'Tum præterea non cæsariem pascere, neque pallio aut clava, velut sophisticis insignibus, gloriari, aut affectare de vestium discretione superbiam, nitore pompam, squalore jactantiam.' E Græcis Lucianus in Parasito: Ξύλα μὲν ἔχουσι καὶ εἰς βαλανεῖον ἀπιόντες, καὶ ἐπ' ἄριστον. Et quod propius ad clavam, Chrysostomus de Statuis 17. 'Ubi nunc sunt qui palliis amiciuntur, et promissam barbam ostentant, et clavas dextra gestant externi Philosophi.'

Herculeam] Hercules enim cultus fuit a doctis; quia laboriosi ii esse debent et benefici, inquit Fabricius. Unde Romæ consors cum Musis templum habuit in Circo Flaminio.

404 *Vicatim*] Cicero pro domo sua: 'Servorum omnium vicatim celebratur tota urbe descriptio.'

Gymnosophistas] Gymnosophistæ Ægyptiorum et Æthiopum proprie sunt Sacerdotes. Sidonius Epist. viii. 3. 'Ad Æthiopum Gymnosophistas, Indorumque Brachmanas peregrinere.' Ita dicti, quasi γυμνοὶ σοφισταί, quia nudi incederent per opacas solitudines, summamque ad tolerantiam se exercerent. Unde omnes Philosophi Gymnosophistæ dicti sunt.

405 *Incerat*] De verbo incerare, hoc est, cereas tabellas, literis signatas, quæ vota explicant, idolis affigere, jam sup. Apoth. vs. 457. not.

Idololatris] Alii legunt, *idololatrix Religio;* quod respuit Heinsius, cum nec Græcum sit, nec Latinum. Gronovius quoque in observationibus Ecclesiasticis, *idololatris*, scripsit.

410 *Surgit in auxilium Chananeus*] Quæ sequuntur, pati possunt difficultatem. Quare animadvertas velim Prudentium ea omnia, quæ narrantur libro Josue, transferre ad perturbationes animique motus, qui homines

Casside terribilis; setarum pondera mento
Concutiens, dextramque gravi cum cuspide quassans.
Ast alia de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhæi: tum millia Gergeseorum
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt cominus illi.
Ecce Jebusaicæ fervent ad prælia turmæ:
Aurea tela quibus de sanguine tincta draconis

manum armatam gravi telo, ipsi venit auxilio, et congregat turmas. Sed ex altera parte exercitus Regis Amorrhæi furens ardet; tum multi Gergesei sparsi per omnem agrum explicant aciem. Hi procul percutiunt: illi propius pugnant. En cohortes Jebusæorum accenduntur ad certamen. Ipsis sunt tela aurea, quæ conspersa

NOTÆ

oppugnant, vincunt, ac debellant. In hoc tamen a scriptura discrepat, quod ii septem populi terræ Chananæorum ab Israëlitis subacti fuerint, et bello domiti. Nam cap. XXIV. Josue filios Israël his verbis alloquitur: 'Transistis Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananeus, et Hethæus, et Gergesæus, et Hevæus, et Jebusæus: et tradidi illos in manus vestras. Misique ante vos crabrones; et ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. Dedique vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis.' Deinde apud Patres nomina illa metaphorice quoque sumi pro vitiis, denotareque triumphum, quem de hominibus agunt dæmones. 'Auctorem ergo Chananeorum Chanaan fuisse manifestum est; qui fuit filius hujus Cham, qui impius in patrem extitit. Altior autem sensus nominum interpretatione signatur. Cham enim calor est: Chanaan, turbatio eorum. Qui enim calet, continue movetur et perturbatur: ideoque evidentissime declaratur, non tam hominem patrem hominum fuisse, sed passionem malam improbæ passionis generatricem, quæ esset a patris moribus, hoc est, ab usu virtutis aliena.' Ambros. lib. de Noë et arca cap. XXVIII.

Chananeus] Chananei appellati, inquit Isidorus lib. IX. de Chanaan filio Cham: quorum terram Judæi possederunt.

411 *Setarum*] Seta, pilus durior rigidiorque. Plautus Cas. act. v. scen. 2. 'Ita, quasi setis, labra mihi compungit barba.'

414 *Regis Amorrhæi*] Amorrhæi, populi Palæstinæ, in Judæa, ab Emor patre Sichem, teste Isidoro, dicti.

Gergeseorum] Quintus Chanaan filius Gergeseus vocabatur, a quo Gergesei.

417 *Jebusaicæ*] Jebusæi, populi adhuc Palæstinæ, in Judæa, sic a Jebus tertio filio Chanaan dicti, a quo Hierosolyma condita est, ut vult Isidorus. Unde illa Jebus prius appellata est, teste Hieronymo.

418 *Aurea tela*] Tela minio tincta, aut cinnabari. Mihi enim videtur hic Prudentius in ea opinione, ut putet Cinnabarim 'saniem esse draconis elisi elephantorum morientium pondere, permisto utriusque animalis sanguine.' Addit enim, 'de sanguine tincta draconis.' Scaliger quidem de

Mortifero splendore micant, radiantque necantque:
Necnon terrificas pilis armare catervas
Te, Chettæe, juvat: sed gens Pherezæa sagittis
Insultat virtute pari, sed dispare ferro.
Postremum cuneum rex promovet Evæorum,
Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
His subnixa viris scelerum perversa potestas
Edomat invalidas mentes, quæ simplicitate
Indociles, bellique rudes sub fœdere falso
Tristis amicitiæ primum socia agmina credunt,
Mammoneamque fidem pacis sub amore sequuntur.

sanguine draconis coruscant, et fulgent, et splendent decore letali. Atque etiam, o Gettæe, tibi placet instruere pilis catervas terribiles. Gens Pherezæa pari animo, sed armis diversis, decertant sagittis. Rex Evæorum indutus thorace squameo, facto ex pelle serpentis, ducit ultimum cuneum. Prava potestas vitiorum nixa illis militibus, subigit animas debiles, quæ indociles ob nimiam credulitatem, et insciæ artis militaris primo putant sub fallaci fœdere funestæ amicitiæ esse socia agmina; et desiderio pacis se conferunt in fidem Mammonæ. Deinde, cum

Zebusiacæ Eg. Pnt.—419 *micant, radiantque micantque* W. B. *nitent r. micantque* F. G. *micant r. nitentque* Bodl.—421 *Chitee* Eg. *Cittæe* Pnt. *Gettæe* Delph. *Fereza* Pnt.—423 *Euveorum* Pnt. Ro. A. *Hevæorum* F. G. *Æveo-*

NOTÆ

draconis elisi sanguine fabulam rejicit. Sed Solinus Plinio affirmanti credidit, et Isidorus.

De sanguine tincta draconis] Id est, venenata tela. Nam, ut letale vulnus ferant, draconis sanguine, qui frigidum est venenum, tela illita jaciunt hostes. Unde Prudentius subjungit: 'Mortifero splendore micant, radiantque necantque.'

421 *Chettæ* [*Gettæe*] Gettæi, populi adhuc terræ Chanaan, ut testantur Biblia lib. Josue cap. XIII. 'A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem, terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philistiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gettæos, et Accaronitas.' Hic tamen variant interpretes Prudentii. Heinsius dedit *Cettæe*. Mss. Reg. *Cittæe*. Egmondanus *Chittæe*. Quod si in metrum non peccaretur, legerem ego, *Hethæe*. Hethæi enim, ab Heth filio Chanaan dicti, numerantur a Josue cap. XXIV. quem tamen locum Poëta solum respexit.

Pherezæa] Pherezæi, populi Palæstinæ, circa Samariam, de quibus Josephus de antiquitatibus Judæorum.

423 *Evæorum*] Evæi ipsi sunt Gabaonitæ, a civitate Gabaon Palæstinæ, in colle, in secunda parte tribus Benjamin; qui supplices venerunt ad Josue.

424 *Squamosum thoraca gerens de pelle colubri*] Draconum pellis, ob duritiem et squamas armis impenetrabilis, firmum est ac validum pectoris in bello munimentum. De Mammona sup.

Mox faciles ad vincla rapi, juga dura volentes
Addictis subeunt cervicibus, et nebulonum
Spirituum jussis servire ferocibus optant.
Ille, supervacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisque inhians, contemto limite, agellis,
Ducitur innexus manicis, et mille catenis
Ante triumphales currus, post terga revinctus,
Nec se barbaricis addictum sentit habenis:
Hic, qui ventosæ scandit fastigia famæ,
Inflaturque cavo pompæ popularis honore,
Qui summum solidumque bonum putat, ambitionis
Crescere successu, præconum voce trementes

possunt mitti facile in servitutem, subdunt sponte jugo aspero capita addicta; et amant obedire mandatis sævis malorum spirituum. Is avarus augens suum patrimonium bonis supervacaneis, et spretis terminis appetens agros vicinos, impeditus manicis, et ligatus post tergum pluribus catenis, ducitur ante currum triumphalem; neque sentit se esse vinctum duris vinculis. Ille superbus, qui ascendit ad fastigium laudis inanis, et superbit honore futili pompæ popularis; qui credit summum et verum bonum illud esse, amplificare fortunam adeptione rerum, quas ambit;



rum B.—431 *nebulosum* Weitz. Eg. G. in marg. Gif. Ind. Lucr. p. 471.—

NOTÆ

431 *Nebulonum Spirituum*] Nebulo, teste ad Terentium Donato, fur, quod nebulas objiciat, vel inanis et vanus ut nebula est; quod in diabolum optime quadrat. Giphanius *nebulosum* legit.

434 *Finitimisque inhians agellis*] Avarorum vota atque optata belle describit Horatius Sat. II. 6. 'O si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum: O si urnam argenti fors qua mihi monstret.'

435 *Ducitur innexus manicis, et mille catenis Ante triumphales currus*] Tangit morem Romanorum triumphantium. Proxime enim ante Imperatoris currum victi cernebantur vincti. Ovid. Trist. IV. 2. 'Vinclaque captiva reges cervice ferentes Ante coronatos ire videbit equos.' Cicero in Pison. 'Quid tandem habet iste currus? Quid victi ante currum duces? Quid simulacra oppidorum? Quid aurum? Quid argentum? Quid legati in equis et tribuni? Quid clamor militum? Quid tota illa pompa? Quid vehi per urbem?' De ventosa fama sup. Apoth. vs. 411. not. et sup. vs. 400. not.

440 *Qui summum solidumque bonum*] Simile illud Lucretii v. 1121. 'Quoniam ad summum succedere honorem Certantes iter infestum fecere viai. Et tamen e summo, quasi fulmen, dejicit ictos Invidia interdum contemtim in Tartara tetra. Ut satius multo jam sit parere quietum, Quam regere imperio res velle, et regna tenere.'

441 *Præconum voce trementes Exanimare reos*] Nempe ambire, honoresque et magistratus quærere. Præcones enim in judiciis senatusconsulta prædicabant, et recensebant, posteaquam

Exanimare reos, miserorum in corpora fasces
Frangere, terribiles legum exercere secures;
In laqueum jam colla dedit, jam compede dura
Nectitur, et pedibus servilia vincula limat.
Credite, captivi mortales, hostica quos jam
Damnatos cohibent ergastula, quos famulatu
Pœnarum virtus non intellecta coërcet;
Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ

perterrere voce præconis reos trepidantes; comminuere fasces in corpora calamitosorum; tractare secures legum formidolosas; jam subjecit collum vinculis, jam vincitur valida compede, et parat suis pedibus catenas serviles. O homines captivi, qui jam condemnati includimini in carceribus hostilibus; qui premimini servitute pœnarum a virtute non cognita, credite mihi. Ecce illa Babylon, ecce

432 *aptant* A.—434 *contento* Eg.—442 *Examinare* W. *corpore* Weitz.—449

NOTÆ

decreta erant; ac bona, quæ proscribebantur, publicæ actioni proponebant.

442 *In corpora fasces Frangere*] Sup. in Cassiano: 'Fragiles inque ora tabellas Frangunt.' De Fascibus sup. not. De Securi sup. not. De Ergastulo sup. not.

448 *Virtus non intellecta*] Vitia, quæ vana virtutis umbra et specie parum cautos decipiunt. Unde Juven. Sat. XIV. quem Prudentius hic ob oculos habuit: 'Fallit enim vitium specie virtutis et umbra, Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.' Et Hor. ad Pison. vs. 25. 'Decipimur specie recti.' Et sane 'perniciosiora et a remediis longinquiora sunt vitia,' inquit Vincentius in Specul. XX. 51. 'quæ sub specie virtutum et imagine spiritualium rerum videntur emergere, quam illa quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expositi et manifesti errores, et arguuntur cominus et sanantur. Illa vero, dum sub prætextu virtutum geruntur, incurata perdurant, et deceptos quosque periculosius faciunt ac desperatius ægrotare.' De Babyl. sup.

449 *Transmigratio nostræ Gentis*] Quæ de Transmigratione Judæorum ac clade Hierosolymitana hic scribit Prudentius, ea paucis complectar. Nabuchodonosorus a patre Nabopollasaro missus venit in Syriam, et victo Nechao Ægypti Rege, Joakimum anno ejus ineunte quarto sibi subjecit. Qui cum post annos tres rebellasset, ab ejusdem Nabuchodonosori exercitu captus est; proque eo regnare jussus Joachin, qui et Jechonias, ejus filius. Sed post menses tres, Nabuchodonosoro rursus ad obsidendam Hierosolymam veniente, Jechonias sponte se illi dedidit, atque in Babyloniam cum matre, ac proceribus, aliisque compluribus est abductus. 'Et transtulit omnem Hierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitu decem millia captivorum.' Postremus in locum Jechoniæ a Nabuchodonosoro creatus est Judæ rex Mathanias, qui et Sedecias, Josiæ filius; desertor et ipse

Gentis, et horribilis victoria principis Assur:
Carmine luctifico quam deflens Hieremias,
Orbatam propriis ululavit civibus urbem.
Num latet, aut dubium est, animas de semine Jacob
Exilium gentile pati, quas Persica regna
Captivas retinent, atque in sua fœdera cogunt?
Illic natali desuescunt vivere ritu,
Moribus et patriis exutæ in barbara jura
Degenerant, linguamque novam, vestemque sequuntur,

translatio nostræ nationis, et triumphus funestus regis Assur; quem deplorans Hieremias verbis lugubribus implevit urbem viduatam suis civibus. An ignoramus, aut dubitamusne homines ortos posteris Jacob, quos Persæ tenent captivos, et compellunt in sua fœdera, tolerare exilium apud idololatras? Illic cessant vivere secundum consuetudinem majorum: et exuti moribus patrum deflectunt in ritus externos, et utuntur nova loquela, et novis vestimentis; et discunt contemni, quod pol-

nostra W. superscr.—453 *haud dubium* Eg. W.—460 *petulantia pectora* Weitz.

NOTÆ

religionis ac fidei, tam Deo debitæ, quam ei, a quo rex erat factus, Babylonio præstitæ. Nam ab eo anno regni sui nono descivit, eundemque provocavit in sese. Cœpta est igitur obsideri Hierusalem anno sabbatico, period. Jul. 4123. ut ex Hieremia colligitur, ac tertio anno capta, templumque incendio concrematum. Sedecias e fuga retractus, et oculis, quibus jugulari ante se prius liberos suos viderat, orbatus, in vinculis Babylonem perducitur. Ita Petavius.

450 *Assur*] Assur, urbs Palæstinæ, quæ et Antipatris dicta fuit; sita erat non longe ab ora maritima, inter Joppen ad Austrum, et Apolloniam ad Boream, nuncque diruta jacet.

451 *Hieremias*] Hieremias Sedecia rege insignis extitit propheta. Is, Hierusalem capta, Nabuchodonosori mandato, a Nabuzardane honorifice est habitus, facta ubi vellet habitandi copia. Sed, Godolia ab Ismaële occiso, in Ægyptum ab suis popularibus cum Barucho invitus abripitur. Ibi dum Judæorum sceleribus obsistit, multa perpessus, demum ab illis interficitur.

452 *Orbatam propriis ululavit civibus urbem*] Hieremias cap. I. Lamentation. 'Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo.' De Jacob. sup. de Perside sup.

456 *Illic natali desuescunt vivere ritu*] Nam per annos septuaginta, ut Hieremias vaticinatus fuerat, Hebræi a Nabuchodonosoro rege Chaldæorum oppressi fuere servitute miserrima. Cultum enim Sabbati, Circumcisionem, aliosque Judæorum ritus irriserunt Chaldæi, iisque gravius onus imposuerunt sabbatis, quam aliis diebus profanis. Quare Hieremias cap. I. Lament. 'Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.'

458 *Linguamque novam, vestemque sequuntur*] Omnia servitutis signa.

Deque profanato discunt sordescere cultu.
Nutricemque abolent petulanti e pectore Sion.
Jam patriæ meminisse piget: jam mystica frangunt
Organa, et externi laudant anathemata regni.
Nonne fuit melius sævum Memphitidis aulæ

lucriat religionem, et tollunt e suo corde improbo Sion nutricem. Jam pudet meminisse patriam; jam comminuunt sacra organa; et laudant execratos ritus imperii externi. Num fuisset satius majores pati asperam dominationem aulæ Ægyp-

NOTÆ

Quotquot enim fuere populi, vestem, patriam, maternam linguam, ritus, moresque majorum mutare erubuerunt. Hinc Alexander, tot provinciarum regnorumque domitor, a suis militibus dictus atque habitus Jovis filius, quod vestem Persicam induisset, in externum degenerasset cultum, atque imitatus fuisset devictarum mores gentium, quas ante victoriam spreverat, fuit omnibus contemtui, et apud proceres, quos non pudebat patriæ, laus ipsius obsolevit.

459 *Profanato cultu*] Hieremias per literas sæpissime collocutus est cum suis, qui in Babyloniam abducti fuerant, ut eos ab idololatria, ad quam incredibili pruritu trahebantur, avocaret, ut videre est cap. x. Cap. vero XLIV. vehementius et acrius populares suos, qui in Ægyptum fugerant, objurgat ab idololatria aliisque sceleribus, ita ut ab ipsis ductus fuerit ad mortem, lapidibusque obrutus.

Discunt sordescere] Unde Hieremias cap. I. Lament. 'Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus.'

460 *Nutricem Sion*] Mons Sion pars fuit Hierosolymorum superior, atque arx. David hanc arcem, pulsis inde Jebusæis, expugnavit, ibique regiam constituit.

Sion] Apud Venant. Fortunat. prior quoque syllaba producitur lib. I. de partu Virginis: 'De quo Zacharias, exulta, filia Sion.' Inf. 'Exsuperans portas Sion splendore corusco.' Et apud Paullnum Psal. CXXXVI. 'Cum patrium memori traheremus pectore Sion.'

461 *Jam mystica frangunt Organa*] Pineda lib. VII. de Salomone, explanans hæc verba Psalmi CXXXVI. 'In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra,' putat a Judæis citharas, quibus Dei laudes olim dicebant Hierosolymis, appensas fuisse salicibus, quæ erant ante Jovis Beli templum, in ipsa urbe Babylone. Qua in opinione fuit Prudentius.

462 *Externi laudant anathemata regni*] Legimus tamen apud Psalmum CXXXVI. Judæos in Babyloniam abductos, Dei memores fuisse, idolaque Chaldæorum ac ritus profanos horruisse; 'Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.' Et paulo post: 'Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.'

463 *Memphitidis*] Memphis, urbs quondam Ægypti primaria, regum sedes. Sita fuit superiore illius Δ angulo, ubi Nilus in duo cornua funditur.

Imperium tolerasse patres, penitusque sinistris
Assedisse focis? positos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo et paleis servire paratos,
Carnis et immodicæ spurco ructamine crudos?
Quo tantum auxilii per prodigialia signa
Effudit Dominus, populum dum forte rebellem
Servat ope immerita, vinclis dum subdita colla
Solvit, et Ægyptum virga serpente coërcet?
Quid juvat æquoreum pelago cedente profundum
Pulverea calcasse via, cum conscia ponti
Saxa sub ignoto patuerunt prodita cœlo,
Aruit et medio sitiens in gurgite limus?
Si victor virtute Dei, mediasque tenebras
Luce columnari scindens exercitus olim,
Perdidit inventi vallem botryonis opimam?

tiæ, et manere in sedibus omnino adversis, subjectos esse pedibus injusti Pharaonis, destinatos esse ad vertendum lutum et paleam, et crudos exhalare turpes ructus nimiæ carnis? Ad quid Deus tulit tantam opem signis prodigiosis, dum conservavit populum infidelem auxilio, quo erat indignus, dum vindicavit a vinculis capita captiva, et castigavit Ægyptum virga Moysis? Quid juvat incessisse via pulverulenta per profundum maris, aquis discedentibus; cum saxa mersa in mari apparuerunt prolata sub cœlo, quod non viderant, et limus aridus duruit in medio alveo? Quid juvat, inquam, si ille exercitus victor potestate Dei, et dividens quondam medias tenebras lumine columnæ, amisit vallem feracem vini reperti? si

P. Eg. W.—461 *nam* W.—473 *Purpurea* C.—475 *sub gurgite* Weitz.—476 *Sic*

NOTÆ

464 *Sinistris Assedisse focis*] Habes Exod. I. 16. quæ sequuntur: necnon semel atque iterum in hymnis Cathemer. egi de Israëlitarum in Ægypto habitatione, de eorum in solitudine vagatione, de transitu per mare Rubrum interruptum, aliisque de rebus, quas hic narrat Prudentius.

466 *Limo et paleis servire paratos*] Quoniam Hebræi, inquit Salianus, in mediis laboribus pullulabant, jubet Pharao illorum laborem subtracto auxilio geminari: nimirum partita operarum multitudine, ut non omnes in luto laborarent, ut antea, sed pars in conquirendis tota Ægypto paleis, pars lateribus conficiendis desudaret. Hinc propheta: 'Filii colligunt stipulas, et mulieres quisquilias, et patres subigunt lutum, ignemque succendunt, ut faciant lateres regi Pharaoni.' Adi Exod. cap. VI. de Ægypto sup.

478 *Vallem opimam*] Agrum scilicet Jerichuntinum, ab Hierosolymis 20. mill. pass. in ortum recedentem versus Jordanem fluvium, a quo 6. mill. abest.

Botryonis] Juxta illud Num. c. XIII. 'Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo

Si nescit versare solum, cui melle perenni
Gleba fluens niveos permiscet lactea rivos?
Si domitam Jerichon lituis atque ære canoro
Rursus in antiquos patitur consurgere muros?
Si ripis reflui Jordanis pellitur, et jam
Deserit ascriptam dimensa in jugera sortem?
Denique si structam tantis sudoribus urbem,

nescit colere terram, cujus cespes stillans melle perpetuo miscet rivos candidos lacte? si permittit Jerichon destructam sonitu buccinarum et æris sonori ponere iterum antiqua mœnia? si exturbatur ex ripis Jordanis refugi ad caput, et jam linquit hæreditatem ascriptam in arva divisa? denique si non potest custodire Hierusa-

NOTÆ

viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt, qui appellatus est Nebelescol, id est, Torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israël.' Botryo autem, vel botrus, uva dicitur, quod inde *ποτὸν φέρω*.

479 *Cui melle perenni, &c.*] Missi enim exploratores Moysi hoc responsum dedere atque Israëlitis: 'Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle.' Num. cap. XIII.

481 *Jerichon*] Jericho, civitas Palæstinæ in tribu Benjamin, 150. stadiis ab Hierosolymis in ortum, Jordanem fluvium versus sexaginta.

Lituis atque ære canoro] Notissima enim est hæc civitas in Veteri Testamento, quod Josue eam septies circuierit cum arca Domini, murique ejus firmissimi corruerint, et urbs diruta fuerit. 'Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.' Josu. cap. VI.

482 *Patitur consurgere muros*] Achabus, religionis patriæ desertor, Jezabelem Ithobali Tyriorum regis filiam infaustis auspiciis duxerat, perditam ac turbulentam fœminam, cujus ad nutum regnum moderabatur. Unde invaluit apud Israëlitas nova idololatria, ita ut quinquaginta supra quadringentos Baalis prophetæ numerarentur. In diebus autem illius Hiel de Bethel urbis Jericho mœnia renovavit atque instauravit. Lib. 3 Reg. cap. XVI. Qui juxta imprecationem Josue, 'in primo genito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus,' ceteris, dum ipsa urbs reædificaretur, morte sublatis, eodem ordine quo nati fuerant. 'Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.' Lib. Josue cap. VI.

483 *Reflui Jordanis*] Alludit ad hæc verba Psalm. CXIV. 'Et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum.' Quod prodigium eo fuit illustrius, quo major fuit eo tempore aquarum copia, qualis solet tempore messis in Jordane contingere. Josue cap. III. Sed de his fuse sup. Ubi quomodo Josue populum siccato Jordanis alveo, in Chananæam traduxerit, describitur.

484 *Deserit ascriptam dimensa in jugera sortem*] Juxta illud: 'Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysem, et tradidit eam in possessionem filiis Israël secundum partes et tribus suas.'

Et quæ nubigenas transcendunt culmina nimbos,
Defensare nequit? si nescit, quis lapis ille est
Hostibus obsistens, ut inexpugnabile turris
Præsidium, quem non ærato machina rostro
Arietat insiliens, nec ferrea verbera quassant?
Angulus hic portæ in capite est, hic continet omnem

lem conditam tantis laboribus, et tecta, quæ superant nimbos nubiferos? si non novit, quis sit ille lapis repugnans inimicis, veluti munitio turris inexpugnabilis, quem lapidem machina resultans non dejicit rostro aheno, nec impulsus ferri percutit? Hic lapis angularis est positus in vertice januæ: hic conservat totum ordinem



Eg.—483 *rivis* A.—488 *et* Weitz. *terris* B. sed *turris* superscr.—489 *Præsidium, quem non fragor hosticus, arietis aut vis Concutit impacta, aut ærato machina rostro Arietat* Weitz. Vat. tres. sic Gif. et Ro. sed in Gif. *aut quem Vis impacta quatit non æris,* et in Ro. cum Torrent. tribus, *aut arietis Vis impacta*

NOTÆ

485 *Structam tantis sudoribus urbem*] Maximis impensis atque immenso labore positam fuisse Hierusalem tum ex templo Salomonis tum ex regia intelligimus. Et sane pulcherrimam urbem fuisse, florentissimam, ac potentissimam scribunt Plinius Tacitusque. Hinc a Davide 'civitas regis magni' dicitur, 'civitas Dei' a Tobia, 'civitas gloriosa' a Sophonia, a Daniele 'civitas sancta,' denique ob multitudinem civium portæ ejus ab Ezechiele vocantur 'portæ populorum.'

486 *Nubigenas transcendunt culmina nimbos*] Philo lib. περὶ ὀνείρων. Joseph. l. 6. aliique de Hierusalem magnificentia ædiumque altitudine loquuntur.

487 *Quis lapis ille*] Quæ sequuntur, de Christo intelligenda sunt; ut docet Paulus ad Ephesios cap. II. 'Superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.'

489 *Præsidium, &c.*] Giphanius, Weitzius, atque Oxonius legunt: *Præsidium, quem non fragor hosticus, arietis aut quem Vis impacta quatit, non æris machina rostro Arietat.* At Mon. Reg. et Thuan. veterrimi decurtant superflua hoc modo: *Præsidium, quem non ærato machina rostro Arietat insiliens.* Nec quisquam emunctæ naris, inquit Heinsius, dubitabit quin reliqua tollenda sint, si advertet animum ad illa *hostibus obsistens,* cui mox subjungitur *fragor hosticus:* tum illa *arietis* et *arietat,* quæ prorsus inconcinna sunt.

490 *Quem Arietat*] Arietare solenniter cum casu quarto conjunxit Prudentius, ut 'Arietare ædes' Plaut. et 'arietare aliquem in terram.' Curt.

491 *Angulus hic portæ in capite est, hic continet omnem Saxorum seriem*] Chrysost. hom. 6. in cap. II. ad Ephesios: 'Qui totum continet est Christus. Lapis enim angularis et parietes continet et fundamentum, in quo est universum ædificium. Vide quomodo ipsum conjunxerit, ut qui aliquando quidem totum corpus superne contineat ac comprehendat, aliquando autem inferne portet ædificium, et sit radix. Illud autem condidit in seipso

Saxorum seriem, constructaque limina firmat,
Quem qui rite suis per propugnacula muris
Noverit insertum, seque ac sua mœnia vallo
Præcingat triplici, celsa stans eminus arce
Fretus amore petræ, castis et pervigil armis,
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus

lapidum, et firmat ostium ædificatum. Is, qui hunc habuerit recte insertum suis manibus per munimenta, et confisus amore lapidis prospiciens eminus ex alta arce, et vigilans armis castis se cinxerit et suos muros tribus vallis, nec vincetur a regina Tyri, nec a Parthis, qui habitant ad Euphratem latum, nec ab Indis decoloribus,

****

quatit non arato.—495 *Præcingit* Weitz.—506 *volubilibus* P.—521 *Bellia* Eg.

NOTÆ

in unum novum hominem, per hoc significavit, per se ipsum conjunxit utrosque parietes, quoniam in ipso sunt creati.'

497 *Regina Tyri*] Quænam sit illa Tyri regina, ignoro, ac, nisi fallor, conjectura tantum consequi possumus. Constat tamen, ut recte notat Weitzius, turpiter aberrasse eos, qui id ad Reginam Saba referunt. Quare dico Prudentium vel de Tyriis ipsis, vel de Carthaginensibus sermonem habere. Quod si de urbe Tyro loquatur, Tyri regina, licet hæc loquendi formula duriuscula videatur, idem sonat, ac Tyrus regina, nempe urbs regia, et superba regibus; quod de Roma Constantinopolique apud Themistium atque alios Scriptores dictum reperies. Sin autem Carthaginenses bellicosos denotat, Didonem vocat reginam Tyri, quia a Belo rege Tyri oriunda erat. Hinc Carthaginenses appellati Tyrii.

Tyri] Tyrus, urbs Syriæ, in Phœnicia et in ora maris Mediterranei. Alias ampla fuit et munita, in saxo undique prærupto, cum portu capaci; nunc in ruinis jacet. Cujus originem, antiquitatem, divitias, fortunam pluribus prosequitur Quintus Curtius lib. IV.

498 *Euphratis*] Euphrates, fluvius Asiæ, ortus ex monte Niphate, majorem Armeniam a Cappadocia; et, quæ pars ejus est, ab Armenia minore dirimit; tum Syriam atque Arabiam desertam a Mesopotamia: donec longo flexu ad Orientem versus duplici finditur alveo: quorum alter in Meridiem abit, alter in Orientem pergens Tigri miscetur prope Seleuciam.

Parthi] Parthi, Asiæ populi, sagittis formidolosi præcipue, quas inter fugiendum in insequentes retorquebant, mira arte versis equis et instaurata pugna. De iis Claudian. Carm. VII. 72. 'Parthi liquere Niphaten.' Plin. lib. VI. 'Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia. Ex iis undecim, quæ superiora dicuntur, incipiunt a confinio Armeniæ, Caspiisque littoribus.' Alcimus lib. I. 'Euphratem Tigrimque vocant, qui limite certo Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.'

Decolor Indus] 'A Gange,' inquit Plin. VI. 19. 'versa ad meridiem plaga, tinguntur sole populi, jam quidem infecti, nondum tamen Æthio-

Tempora pinnatis redimitus nigra sagittis.
Quin si fulmineos cogens ad bella gigantas
Allophylus tua castra velit delere tyrannus,
Tutus eris, nec te firma statione movebit
Ipse Charon mundi, numen Marcionis: ipse,
Qui regit aërio vanas sub sole tenebras.
Nam vanum quicquid sol aspicit: ex elementis
Cuncta solubilibus fluxoque creamine constant.
Fallo, creaturam nisi doctor Apostolus omnem
Subjectam vanis non sponte laboribus orsus,

coronatis circa capita nigra sagittis pennigeris. Quinetiam, licet tyrannus Allophylus, colligens ad prælium suos gigantes fulminantes, velit capere tua castra, eris securus; neque Charon ipse terræ Deus fictus a Marcione, is, qui præest rebus inanibus degentibus sub Sole sublimi, te statione tua firma movebit. Nam id omne, quod Sol videt, est inane. Omnes res sunt concretæ ex partibus solutilibus et creaturis caducis. Sum mendax, si Apostolus doctor Gentium, posteaquam dixit omnes creaturas

NOTÆ

pum modo exusti: quantum ad Indum accedunt, tantum colore præferunt sidus.' Quo igitur Austrum versus a Gange remotiores fiunt, eo sunt nigriores colore. Unde Ovid. Met. IV. 'Decolor extremo qua cingitur India Gange.'

500 *Fulmineos gigantas*] H. e. dæmonis asseclas, qui Deum, ut olim Jovem Gigantes, vehementissime oppugnant.

501 *Allophylus*] Imperite quidem, sed plurimi penultimam hujusce vocis corripuerunt. Amœnus: 'Faces caudis circumligat, in sata mittit Allophylum.' Et Paulinus 7. Nat. 'Credite non armis, neque viribus esse timendos Allophylum populos.'

Allophylus tyrannus] Alienigena atque a nobis alienissimus. Quod recte diabolo tribuitur.

502 *Tutus eris*] Alludens ad hæc verba Isaiæ: 'Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: et qui crediderit in eum, non confundetur.'

503 *Charon mundi*] Dæmon a Poëta dicitur Charon mundi, quia Charontem terrenis omnibus præesse finxerunt poëtæ, animasque defunctorum per tria inferni flumina transvehere. Dæmon autem homines trahit in perniciem atque in Inferis mergit; atque ipsi terrena hæc omnia subjecta esse docuit Marcion. Unde mox addit: 'Qui regit aërio vanas sub sole tenebras.' Alludens ad hunc locum Joannis cap. XII. 'Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.' Et Luc. cap. XXII. 'Sed hæc est hora vestra! et potestas tenebrarum.'

505 *Nam vanum quicquid Sol aspicit*] 'Vanitas vanitatum! dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum! et omnia vanitas.' cap. I.

507 *Creaturam omnem Subjectam vanis non sponte laboribus*] Ad Romanos cap. VIII. 'Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe.' Quid hoc sibi vult, vanitati creatura subjacet? Corruptibilis effecta est. Quo nomine, et quamobrem? Propter te hominem. Quandoquidem enim corpus accepisti mortale, et patibile,

Perjuro ingemuit miserans servire latroni:
Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis,
Et carne, et venis ferventibus, et vitioso
Felle putat, calidisque animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit:
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cœlum inter et infima terræ
Quod patet, et vacuo nubes suspendit hiatu,
Fræna potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belia rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, ut sacra nobis
Oris Apostolici testis sententia prodit.

pati invite vanos labores, non gemuit motus misericordia, quod obedirent perfido dæmoni. Ille, inquit, qui credit nostram animam pugnare contra sanguinem, et corpus, et venas calidas, et bilem vitiosam, atque eam peccare, quia ignis insidet in medullis, fallitur. Corpus nostrum non obruit animam, neque vis carnea invadit, et provocat ad certamen spiritum cœlestem. Sed noctu et diu luctamur cum dæmonibus tenebricis, qui habent dominationem in aërem humidum et crassum ob graves vapores. Nam hoc intervallum, quod est interjectum inter cœlum et infimam terram, et quod retinet nubes in spatio vacuo, premitur imperio diversarum potestatum, et horrescit dominis perversis; quorum Belial est princeps. Pugnamus in hos latrones, ut sancta verba oris Apostoli testantia denotant. Nullus igitur peccator conferat culpam in formam

NOTÆ

idcirco et terra execrationem accepit, et spinas tulit, ac tribulos. Ita Chrysost. hom. 14. in Epist. ad Romanos.

510 *Errat, qui luctamen cum sanguine nobis putat*] Paulus quidem ad Ephesios cap. VI. id aperte docet: 'Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.'

517 *Densus nebulis obtemperat aër*] Vide quæ dixerim sup. et Hamart. vs. 128.

521 *Sub Principe Belia*] 'Belial Hebraice Bel dicitur, idolum Ninivitarum.' Isid. VIII. 9. Unde pro dæmonum principe accipitur a sacris Scriptoribus. Paul. Epist. 2. ad Corinth. cap. VII. 'Quæ enim,' inquit, 'participatio est justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?'

Belia] Media hujusce vocis syllaba producitur a Prudentio, quæ ab aliis corripitur.

Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans
Corporis accuset: facile est frænare rebelles
Affectus carnis, nimiosque retundere pulsus
Materiæ fragilis, et viscera victa domare.
Quippe animus longe præstantior, utpote summo
Æthere demissus, subjectos si velit artus
Imperio quassare gravi, jussisque severis
Dedere, regnanti domino vis nulla resistet.
Major inest vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, et tenuem tenui ferit aëre mentem.
Parthica non æque ventos transcurrit arundo,
Cujus iter nullus potis est comprendere visus;

naturæ, et irritamentum carnis. Non est difficile coërcere motus carnis inordinatos, repellere impulsus immoderatos corporis debilis, et contundere membra fracta. Nam si animus multo præstantior, eo quod delapsus est cælo, velit continere membra duro imperio, et cohibere sævis mandatis, nulla vis repugnabit Domino jubenti. In homine vero ea vis, quæ inspirat venenum flabile, et percutit animum cælestem levi flatu, major est: sagitta Parthica, cujus viam nullus oculus potest dis-



Belial Vulg.—531 *resistit* Weitz.—536 *volucris* Weitz.—538 *rumpit* B. F.—

NOTÆ

525 *Facile est frænare rebelles Affectus carnis*] Ambros. de Abraham. Patriarcha II. 6. 'Pecora autem sensus corporis irrationabiles significari accepimus. Qui sunt ergo pastores sensuum, nisi præceptores, et quasi quidam rectores gregum, duces eorum, vel monitores alicujus sermonis, vel mentis nostræ cogitationes? Qui si Pastoralis disciplinæ gnari et tenaces sunt, non permittunt longius sensuum gregem vagari, et inutilibus ac noxiis inhærere pabulis, sed provido doctore revocant, et frænos rationis admovent, atque obsistunt renitentibus. Mali autem præceptores, vel inutilis disceptationis permittunt eos impetu suo ferri, et in præruptum ac periculum ruere, et culta obterere, fructuosa depasci, ut si qui sunt in eadem anima virtutum hujuscemodi fructus, eos quoque dissipent. Hinc ergo cogitationum nostrarum discordia.'

532 *Major inest vis illa, quæ flatile virus Ingerit, &c.*] I. e. Vis illa dæmonis, quæ materiam nostris animi motibus nostrisque perturbationibus suggerunt, qui letalibus nos aggrediuntur tentationibus, qui *invisibiles*, quod per aërem vagentur, nos feriunt, perniciosior est ac damnosior, quam carnis petulantia, appetitusque, quos frangere, sedare, et regere ratione debemus.

534 *Parthica arundo*] Jam monui vs. 498. Parthos sagittis formidolosos fuisse et claros, idque omnes de ipsis referunt. Justin. lib. XLI. 'Hos,' servos scilicet, pari ac liberos suos cura habent: et equitare et sagittare magna industria docent.'

Præpes enim volucres dum pennis transvolat auras,
Improvisa venit, nec stridor nuntiat ante
Adventum leti, quam pectoris abdita rumpat,
Securam penetrans medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis et medicata sagitta,
Quam jacit umbrosi dominatio lubrica mundi,
Eludens excussa oculos, calamique volantis
Præpete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animæ est, aut tarda cavendi
Vulneris: ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium, purum, sapiens, subtile, serenum,
Mobile, solicitum, velox, agitabile, acutum:
Factorem modo casta suum veneretur, et ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum:
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce jacens, alieno et dedita regno

cernere, non scindit pariter aërem; nam, dum velox transvolat plumis leves auras, erumpitque inopinate, ita ut strepitus non moneat de propinquitate mortis prius, quam ea pervadat plaga mortifera ad hominem nihil timentem, lacerat ima viscera pectoris. Sed sagitta, quam expellit dominus fallax hujus mundi opaci, est et celerior et perniciosior. Immissa subterfugit oculos, et cursu veloci pennæ volantis perfodit abdita cordis. Mentis tamen natura non est ignava, sive iners ad evitandum vulnus. Nam Deus ipsi dedit intellectum igneum, integrum, sapientem, solertem, pacatum, mobilem, vigilantem, expeditum, agilem, sagacem. Modo mens sancta colat suum creatorem, et pugnet pro eo, et temperans spernat mundum debellatum; modo allecta insana delectatione nihil degustet ex bonis perniciosis, seu ex fructibus adulteratis terræ; et pressa pondere, et habita imperio alieno possit decli-

539 *Securam rapiens* Weitz.—544 *segni* Eg.—547 *Nobile* Weitz.—548 *facta*

NOTÆ

535 *Cujus iter nullus potis est comprendere visus*] Tale illud Claudian. Rapt. Pros. II. 198. 'Torrentius amne Hyberno, tortaque ruunt pernicius hasta. Quantum non jaculum Parthi, non impetus Austri, Non leve solicitæ mentis discurrit acumen.'

539 *Medicato vulnere*] Pro plaga mortifera, quia tam quæ sanant, quam quæ nocent, medicamento continentur.

550 *Falsificatis*] Falsificare, vel falsare, idem quod adulterare. Rabanus Maurus lib. contra Judæos cap. 13. 'In tantum namque eorum processit impietas, ut etiam scripturam Propheticam falsare conati sint.' Et Charta Ludovici VI. Reg. Franc. 'Aut liberi suscipiant, aut contradicendo falsificent.'

Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malum mundique hominumque maligni
Hostis ad invidiam detorqueo? cum mala nostra
Ex nostris concreta animis genus, et caput, et vim,
Quid sint, quid valeant, sumant de corde parenti?
Ille quidem fomes nostrorum, et causa malorum est.
Sed tantum turbare potest aut fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito suggesta leoni
Armamenta damus: friget fera futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat.
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum:
Ut genuit David, alias pater optimus, unum
Crimen Abessalon: tetrum pater ille, sed unum

nare a sagittis levibus inimici. Sed cur ego confero in dæmonem improbum invidiam omnium malorum, et terræ, et hominum? Siquidem nostra mala generata ex nostris mentibus ducunt e nostro corde illorum auctore, genus, et originem, et virtutem, quid sint, quid possint. Dæmon quidem est incitabulum et fons nostrorum malorum; sed potest tantum nos perturbare, seu decipere, quantum nos, qui ministramus arma seni leoni, volumus. Hæc bellua languet fremens vane, nisi se corroboret consensu generis humani. Producimus omnia nostra mala de nostro corde: ut David quondam pater optimus procreavit Absalomum unum sceleratum. Is pa-

Vulg.—552 *Ne* Weitz.—553 *Ne* A.—554 *mundi* Weitz.—563 *nostro* A. F. B.

NOTÆ

557 *Sumant de corde parenti*] Idem habet Matth. xv. 'Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.'

559 *Quantum Nos volumus*] Notent velim hæc tria verba infensi atque generis humani gloriæ inimici, ne dicam divinæ bonitati, qui putant comparatam ita esse hominum naturam, ut inviti vi tentationum vincamur, atrocissimaque in peccata aliquando incidamus.

560 *Decrepito leoni*] Eodem nomine dæmonem vocant Patres, juxta illud Petr. Epist. 1. v. 'Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.'

562 *Humani generis ni per suffragia gliscat*] Eo spectat illud August. serm. 197. de Tempore: 'Latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit.'

565 *Abessalon*] Ita apud 70. interpretes Ἀβεσσαλώμ. Is autem Davidem patrem Hierosolymis, ac regno expulit: occupataque regia fœdissimo stupro paternas concubinas polluit. Sed paulo post prælio victus miserrime periit. Consule Biblia. De David. sup.

Innocuas inter soboles genuit patricidam,
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum.
Ah pietas! signis contraria signa paternis
Egit, et unius commisit sanguinis arma.
Nostra itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt: versis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum vivere pœnis:
Depopulantur enim nimium fœcunda parentum
Viscera, et interitu genitalis stirpis aluntur.
Progeniem verum ille suam rex utpote summus,
Atque Dei vates, pariturae et virginis auctor,
Tristibus atque piis variaverat, ut Solomonis
Frater Abessalon sereret sua crimina justis
Pignoribus, dulcemque domum turbaret amaris.
Nos dignum Solomone nihil: nos degener implet
Solus Abessalon, lacerans pia viscera ferro.
Si licet ex ethicis quicquam præsumere, vel si

ter suscepit filium crudelem, unum vero, inter tot liberos innocentes, patricidam; qui fuit ausus educere ensem in genitorem. Ah pietas! opposuit vexillis patris vexilla infesta, et commisit arma ejusdem sanguinis. Pariter nostra corda procreatione dolorifica generant liberos crudeles; qui, conversis statim in nos morsibus, consuescunt vivere suppliciis eorum, qui genuerunt. Nam diripiunt uterum parentum nimis fertilem, et vescuntur morte matris parturientis. Sed David, rex nempe magnus, et propheta Dei, et atavus Mariæ, intexuerat suam prolem malis et bonis liberis, ut Absalom frater Solomonis confunderet sua scelera cum virtutibus proborum filiorum, et perturbaret rebus molestis domum quietam. Nos vero nihil gignimus simile Solomoni; unus Absalom degener replet nos, discerpens gladio pia viscera. Quod si fas est capere quicquam ex philosophia, vel aliquod exemplum ex rebus



—570 *duros* A. F. B.—575 *vero* C. ex conj.—577 *Salomonis* Weitz.—578 *mis-*

NOTÆ

570 *Diros natos*] Puta verba, cogitationes, ac desideria.

576 *Pariturae et virginis auctor*] De genere David fuisse Mariam Matth. et Luc. scribunt. Is quidem stirpem paternam recenset, Matthæus vero stirpem maternam. Sed satis sit hæc indicasse.

577 *Solomonis*] Solomon enim, natus ex Bethsabee legitima tum uxore, opibus ac sapientia mortalibus longe omnibus antecelluit.

580 *Nos dignum Solomone nihil*] Eo spectat illud Concil. Arausicani: 'Nemo habet de se nisi mendacium et peccatum.'

582 *Ethicis*] Partem Philosophiæ, quæ pertinet ad mores, quos ἤθη Græci vocant, ethicam appellamus, sive moralem.

De physicis exempli aliquid: sic vipera, ut aiunt,
Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis.
Mater morte sua, non sexu, fertilis, aut de
Concubitu distenta uterum: sed cum calet igni
Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum
Ore sitit patulo: caput inserit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oscula fervidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Infusasque bibit, caro pereunte, salivas.
His pater illecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles: nam postquam semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris

naturalibus. Vipera fœmina non parit parte pudibunda, sed sua morte; nec habet uterum gravidum semine; sed ea, cum incitata desiderio coitus calet, impudica appetit ore hiante marem moriturum. Mas immittit caput suum in os trilingue fœminæ; et avidus incipit complecti, infundens illa junctura oris humorem genitalem. Fœmina vipera, sauciata vi libidinis, mordendo abscindit in his dulcibus blandimentis caput maris impositum in os; et suo dilecto mare intereunte, exhaurit salivam immissam ab ipso. Mas interficitur illis lenociniis; et proles inclusa in utero occidit fœminam. Nam, cum fœtu crescente exigua corpora incipiunt repere per viscera



ceret Weitz.—588 *trilinguâ* Weitz. Put. T.—594 *ac* G. P. superscr.—595

NOTÆ

583 *Sic vipera, ut aiunt, Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis*] Sic Plin. lib. x. 62. 'Tertia die intra uterum catulos excludit: deinde singulos singulis diebus parit, viginti fere numero. Itaque ceteræ tarditatis impatientes, perrumpunt latera, occisa parente.' Sic Aristot. lib. v. Hist. Anim. Herod. lib. III. Creditum id scilicet veteribus; negat recentiorum experientia, inquit Harduinus ex Charasio et Aldrovando.

585 *Aut de Concubitu distenta uterum*] Coitum fieri in viperis, ut in ceteris animantibus, Philostratus asseverat, aliique complures; licet Plinius loco citato: 'Coëunt complexu, adeo circumvolutæ sibi ipsæ, ut una existimari biceps possit;' atque Ælian. lib. I. coitum negent.

587 *Moriturum maritum*] 'Viperæ mas,' ait Plinius loc. cit. 'caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine.' Cui Hieronymus subscribit: 'Fœmina in ipso coitu, sive magna dulcedine exagitata, sive futuri præscia periculi, dum absorbet semen, caput masculi abscidit, et sic eum occidit.'

588 *Caput trilingue*] Cur serpentes dicantur trilingues dixi sup.

Serpere, motatumque uterum vibrata ferire,
Æstuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conscia sexus
Progeniem, septi rumpentem obstacula partus.
Nam, quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum,
Ingressum vitæ vix eluctatus, et ortum
Per scelus exsculpens: lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum nascitur orba,
Haud experta diem, miseræ nisi posthuma matris.
Non dispar nostræ conceptus mentis: ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa venenum
Conjuge Beliade: sic oscula devorat haustu,

calida, et mota percutere uterum agitatum, proles interna pia erga patrem impie excruciat matrem: quæ particeps sexus reprobati luget, quod sua progenies crudelis rumpat impedimenta partus clausi. Nam venter, cum nullus est exitus, ut pariat, scinditur laniatus fœtu cupiente nasci: et aperit viam per viscera discerpta. Tandem illa proles parta doloribus, vix prætergressa aditum vitæ, et extorquens originem per scelus, nascitur morte matris. Anguiculi reptantes, dum gignuntur orbati parentibus, nam non fruuntur luce, nisi post mortem matris infelicis, lingunt corpus maternum. Conceptus nostræ animæ similis est huic. Ea, nupta Dæmoni, haurit similiter venenum immissum ex ore vipereo; accipit similiter ore hiante complexus,

adulta B. superscr.—597 *motatuque* G.—598 *pietatis pectore* G.—608 *matri*

NOTÆ

598 *Pietatis crimine*] Qua patris necem ulciscuntur anguiculi, pii sunt, qua autem matrem dilaniant, impii sunt et rei.

599 *Damnati sexus*] 'Dominus' enim dixit 'ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terræ: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.'

606 *Exsculpens*] Eo sensu Terentius usus est: 'Possumne hodie ex te exsculpere verum?' Quia 'sculpere rem, dicimus, cum difficultate investigare,' ait Iso Magister.

607 *Reptantes catuli*] Catuli proprie sunt canum fœtus; translative, quorumlibet animalium, præterquam avium. Plinius de vipera: 'Tertia die intra uterum catulos excludit.' Et Virgil. 'Aut catulos tectis aut ova relinquens Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.'

608 *Nisi posthuma matris*] Quasi catuli post humatam matrem nati; cujus viscera ipsimet lacerarunt. Unde hic scribitur *posthuma*, non *postuma*, i. e. postrema proles.

611 *Conjuge Beliade*] Anima enim, quoties peccat, toties Beliadis, id

Interiusque rapit: sic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, perituro mixta marito.
Tunc prægnans letale genus, concepta maligni
Fert opera ingenii, de semine complicis hydri;
Quem pœnis pensare prius sua facta necesse est
Corruptæ pro stupro animæ, proque orbe peremto.
Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, soboles dum parturit ex se
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, et pastos materno funere natos.
Hinc illa est Domini justa objurgatio Christi:
Nonne pater dæmon, vos increpo peccatores,
Concubitu carnis, semen sitientis iniquum,
Vos genuit? Sanctum, lector, percense volumen:
Quod loquor, invenies Dominum dixisse profanis

et attrahit in se. Circumvoluta similiter marito morituro, repletur criminibus, inflammata veneno voluptatis. Tum anima concipiens liberos mortiferos fert fœtum mentis pravæ ortum ex semine serpentis consortis in scelere; qui serpens, ob adulterium animæ vitiatæ, et mundum corruptum, debet prius compensare tormentis suum facinus. Dira autem vulnera lacerant multis partubus animam ipsam; cum emittit ex se fœtus productos contra naturam, nempe quamplurima crimina, et liberos altos morte matris. Unde hæc exprobratio Christi Domini æqua est. Num diabolus pater coiens cum carne cupida seminis criminosi vos procreavit; vos alloquor, o peccatores? Lector, evolve sacra Biblia. Reperies Christum id, quod dico, dixisse

Vulg.—611 *Beliadæ* A. F.—622 *partos* Vulg.—625 *percurre* Weitz. F. G.

NOTÆ

est, diaboli connubium petere videtur, amplexumque; ac, nisi inter se conjuncti sint, anima fœdam peccatorum prolem non procudet. Sed ipse fusius hanc translationem exponit. De Beliade sup. vs. 521. not. De sententia lata in dæmonem sup. vs. 599. not.

617 *Pro stupro animæ*] Unde Chrysost. in Matth. hom. 43. 'Animam vero, quæ omni hac vita præstantior est, fornicari atque deturpari mille spurcissimis cogitationibus sinimus. Nam sive deliciarum, sive formosi corporis, sive odii, sive alia quæcumque cogitatio nobis inciderit, januis continuo apertis, invitamus et trahimus, et cum omni securitate, fornicari cum anima nostra permittimus.'

623 *Pater dæmon vos genuit*] Joan. cap. VIII. 'Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere.'

625 *Percense volumen*] Percensere hic loci est tertiæ conjugationis. Sic hymno Vincentii vs. 60. 'Extorque, si potes, fidem.' Et vs. 396. 'Sic frendit, et corpus sacrum Profanus ...Exponit inter carices.' Denique: 'Nunc Angelorum particeps Collucis insigni stola.' Ita enim optime codex Regius, olim Puteaneus.

Vera objectantem mortalibus: ex Patre nam vos
Esse meo genitos, pietas, ait, ipsa probaret,
Ac pietatis opus. Proh cæca libido! quid hoc est?
Quod cum se thalamis desponsam mens bona justis
Noverit, inque thorum Regis nuptura vocetur,
Et Regis semper juvenis, senioque repulso
Divinum decus æterno servantis in ore;
Malit adulterium, fulvo et se munere vilem
Vendat nocticolæ spurcis complexibus Indi,
Aspernata Dei fusam per virginis artus
Progeniem, dulcesque vocans in fornice natos?
Sentio quam contra moveat pellacia litem:
Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
Nosque lacessito vocet ad luctamina vero.
Si non vult Deus esse malum, cur non vetat? inquit.

objicientem vera hominibus irreligiosis. Nam ait: Sanctitas ipsa, et facta sancta demonstrarent vos esse natos ex patre meo. O libido effrænata! Quid est hoc? quod anima bona, cum sciat se esse destinatam casto conjugio, et nuptura vocetur in lectum Regis, et Regis semper juvenis, et, senectute rejecta, habentis in vultu æterno venustatem cœlestem, malit pati stuprum; et contemnens Filium Dei delapsum de cœlo in viscera virginis, et quærens caros liberos in lupanari tradat se emtam munere scelesto turpibus amplexibus nigri dæmonis noctivagi. Video quam rixam excitet fallacia contra illud, et quo animo captio dialectica oppugnet id totis viribus, et, veritate provocata, nos vocet ad disputationem. Marcion dicit: Si Deus non vult esse malum, quare hoc non impedit? Nihil interest utrum fuerit auc-

perquire B. W. superscr.—628 *aut* B. superscr.—631 *thronum* A. W. superscript.—634 *Mallit* Eg. *furvo* Weitz.—641 *inquis* B.—642 *factorve* Vulg. *fau-*

NOTÆ

626 *Profanis mortalibus*] Pharisæis scilicet, qui mulierem in adulterio deprehensam lapidibus obruendam esse ex lege Moysis asseverabant.

627 *Ex Patre Esse meo genitos, pietas probaret*] 'Si Deus,' inquit Christus, 'Pater vester esset, diligeretis utique me.' Et paulo post: 'Qui ex Deo est, verba Dei audit.'

631 *In thorum Regis nuptura*] I. e. Dei. Idem sancti Patres, scripturæque interpretes passim docent. Nigros esse Indos ac decolores monui vs. 497.

637 *In fornice natos*] Quod meretrices sub fornicibus degerent, ut pluribus ostendi Hymn. S. Agnetis. Juven. Sat. III. 'Et sedeant hic Lenonum pueri quocumque in fornice nati.'

638 *Pellacia*] Fallacia, a pelliciendo, astute enim ad se pellicit. Sic Lucret. II. 559. 'Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.'

641 *Si non vult Deus esse malum*] Multis variisque argumentis, prima hujus libri parte, Marcionis dogma refellit Prudentius; ostendique Deum

Nil refert, auctor fuerit, factorque malorum:
Anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Cum possit prohibere, sinat? quod si velit omnes
Innocuos agere omnipotens, nec sancta voluntas
Degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,
Et patitur, fierique probat, tanquam ipse crearit.
Ipse creavit enim, quod cum discludere possit,
Non abolet, longoque sinit grassarier usu.
Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura sonos. Est perdere tanti

tor ac conditor malorum, an vero permittat sua opera perfectissima fieri vitiata crimine, cum possit impedire? Sin autem Deus velit ut omnes homines vivant insontes; sancta ipsius voluntas nec mutetur, nec polluat manus suas aliquo opere. Deus igitur fecit malum, quod videt e cœlo, et tolerat, et permittit fieri, æque ac si ipse fecisset. Nam is fecit illud quod non delet, et concedit spargi longo usu, cum possit prohibere. O Deus supreme, obsera meas aures, et claude aditus mei capitis stolidi, ne introitus facilis recipiat hæc verba. Expedit multum

torque Ro. C.—644 *qui si* P. Eg. Put. Ro. Torrent. tres.—645 *ne* G.—665 *instau-*

NOTÆ

vanum, futilemque eum esse, qui nec sanctus est, nec peccatorum vindex, nec omnipotens. Jam ultra progreditur, atque ab adversario objecta diluit infirmatque.

Cur non vetat] Idem Tertullianus lib. II. adv. Marcion. 'Si Deus bonus, et præscius futuri, et avertendi mali potens, cur hominem, et quidem imaginem et similitudinem suam, passus est labi de obsequio legis in mortem? Si enim et bonus qui evenire tale quid nollet, et præscius, qui eventurum non ignoraret, et potens, qui depellere valeret, nullomodo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ Majestatis evenire non posset.'

642 *Nil refert*] 'Qui enim patitur, quod prohibere potest, idipsum facere videtur.' Quare, ut testatur Plutarchus, 'ex legibus Lacedæmoniorum, qui se præsente delinquentem non objurgasset, pari castigationi erat obnoxius, cui etiam delinquens ipse.'

652 *Obbrutescentis capitis*] Capitis sine sensu rationis, atque *in brutum degenerantis*, inquit Fabricius. Quo vocabulo usus est Lucret. III. 544. 'Nec refert utrum pereat dispersa per auras, An contractis in se partibus obbrutescat.'

653 *Est perdere tanti, &c.*] Christus ipse Matth. cap. XVIII. hanc doctrinam tradidit: 'Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.'

Extinctum vitæ officium de parte cerebri;
Immunem modo sese anima, expertemque nefandi
Auditus, felix stolida conservet ab aure.
Quis ferat hæc injecta Deo convicia? qui se
Divinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, vel sola benignum
Res probat esse Deum, vetiti quod amore peremtos
Excitat e tumulis homines, regnique per ævum
Participes jubet esse sui: qui si foret auctor,
Servatorque mali, nunquam post damna salutis,
Peccantumque obitus, redivivam ferre medelam
Vellet, et amissos ope restaurare secunda.
Labi hominis, servare Dei est: meritis perit iste:

munus vitæ inutile conquiescere in parte cerebri, modo anima immunis et privata auditu improbo non se inquinet aure stolida. Quis homo, qui novit se ornatum esse donis Dei, ferat illas blasphemias fusas in Deum? Ut prætermittam quamplurima, una res, scilicet quod revocet ad vitam homines mortuos ob amorem erga fructum prohibitum, et velit ut sint socii sui regni per æternitatem, demonstrat Deum esse bonum. Quod si is esset auctor, et fautor peccati, nunquam vellet dare remedium salubre peccatoribus post amissionem gratiæ, et mortem animæ, et reparare altero auxilio perditos. Peccatum est proprium hominis: reparatio est propria Dei.

NOTÆ

657 *Quis ferat hæc injecta Deo convicia*] Tertullianus autem loc. cit. 'O canes, quos foras Apostolus expellit, latrantes in Deum veritatis! hæc sunt argumentationum ossa, quæ obroditis.'

659 *Multa ut taceam*] Quæ Tertull. loc. cit. retulit: 'Bonitas finxit hominem de limo. Bonitas inflavit animam, non mortuam, sed vivam. Bonitas præfecit universis fruendis. Bonitas amplius delicias adjecit homini. Eadem bonitas et adjutorium prospexit, ne quid non boni. Legis observandæ consilium bonitas pariter ascripsit.'

660 *Vetiti quod amore peremtos Excitat e tumulis homines*] Quem locum Giselinus non intellexit. Hic de Adamo, Eva, aliisque, qui Christo resurgente ab Inferis revocati fuere, nulla est mentio. Poëta de hominum reparatione, qui, quod interdictæ fructum arboris comedissent, vitam, id est, gratiam amisissent, Christique de Incarnatione loquitur. Eodem argumento Tertull. loc. cit. Marcionem refutat: 'Ita non in mortem institutum hominem probat, qui nunc cupit in vitam restitutum; malens peccatoris pœnitentiam, quam mortem.'

666 *Labi hominis, servare Dei est*] Idem iisdem fere verbis: 'Igitur sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit.' Et paulo ante: 'Bonitas Dei, a primordio operum perfecta, persuadebit nihil a Deo mali evenire potuisse, et libertas hominis recogitata se potius ream ostendat, quod ipsa commisit.

Ille abolet pereuntis opus, meritumque resolvit.
Argumentum ingens, Dominum, qui talia præstet,
Nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare.
Invitone aliquis potis est peccare Tonante:
Cui facile est in corde hominis componere sensus,
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
Pulsibus, et totum venis infundere honestum?
Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescis, ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas,
Et super ingenio proprio, laxæque soluto
Jure voluntatis: liceat cui velle, sequique

Homo perit suis factis: Deus destruit factum hominis pereuntis, et expiat facinus. Quod est firmum argumentum Deum, qui hæc exhibet, nolle peccatum, neque approbasse ante id, quod expiat postea. Dices? An aliquis potest peccare nolente Deo, qui potest facile ponere in corde hominis sensus, quos vult, et animare cunctas arterias castis pulsibus, et spargere per venas omnem honestatem? O insane, quid, ignoras quanta sit virtus libertatis datæ ab ipso creatore? Ignoras quanta potentia tibi a nativitate tradita fuerit in mundum famulum, et in tuam mentem, et usum liberum voluntatis liberæ; cui fas sit velle, et sequi id quod libet, et nullam afferre



rare Weitz.—668 *præstat* B. superscr.—675 *nescisque* A. F. B.—677 *laxeque*

NOTÆ

667 *Meritumque resolvit*] Unum Deum condigne pro Adami peccato satisfacere potuisse genusque humanum redimere docent Theologi.

670 *Invitone aliquis potis est peccare Tonante*] Acrius urget Marcion, 'Corda nostra in manu Dei sunt,' ergo motus animi cohibere potest, cogitationes nostras, vitamque ad normam rationis dirigere.

671 *In corde hominis componere sensus*] 'In cujus manu anima omnis viventis, et Spiritus universæ carnis hominis.' Job c. XII. et paulo post: 'Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium: palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.'

673 *Nescis tuæ vim libertatis*] Tertullianus quoque, quod homo liber sit, acute concludit adversus Marcionem non in Deum transferendum esse crimen, quod tolerat. 'Tenens enim gravitatem et fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus ejus vindicandas, nec illud miraberis, quod Deus non intercesserit adversus ea, quæ noluit evenire, ut conservaret ea quæ voluit. Si enim semel homini permiserat arbitrii libertatem et potestatem, et digne permiserat, utique fruendas eas ex ipsa institutionis auctoritate permiserat: fruendas autem quantum in ipso, secundum ipsum, i. e. secundum Deum, i. e. in bonum; quantum vero in homine, secundum motus libertatis ipsius.'

678 *Liceat cui velle, sequique Quod placitum*] Non meum est hic, quæ de

Quod placitum, nullique animum subjungere vinclo?
An cum te dominum cunctis, quæcumque crearat,
Præficeret, mundumque tuis servire juberet
Imperiis, cumque arva, polum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet, ut indigno, libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Nam quis honos domini est, cujus mens libera non est,
Una sed impositæ servit sententia legi?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere juste?
Non fit sponte bonus, cui non est promta potestas
Velle aliud, flexosque animi convertere sensus.

violentiam animo? An Deus, cum te imponeret Dominum omnibus rebus, quas fecerat, et vellet terram obtemperare tuis mandatis; et cum tibi præberet terram, cœlum, mare, aquas, aërem, jam tenax nollet tibi committere potestatem tui ipsius, et denegaret libertatem tanquam indigno? Quodnam monstrum esset homo, electus ut esset Dominus totius mundi, nec tamen Dominus sui ipsius, et dedecorus honore imperfecto? Nam quænam est gloria Domini, qui non habet animam liberam; sed cujus voluntas semper eadem observat legem ipsi impositam? Qua laude scilicet, aut qua mercede homo dignus est, quod vivat recte inter utramque viam boni et mali, si nullum init periculum? Is, qui non potest libere velle contraria, et commutare appetitus animi jam flexos, non evadit bonus voluntarie; sed is, qui non evadit

Weitz.—678 *potestatis* A. F.—679 *placitum est* Weitz.—683 *Dederit* Eg.—687 *homini* W. superscr. *hominis* B. superscr. *cui mens* W.—689 *sine nullo* W. su-

NOTÆ

hominis libertate censent Theologi, referre. Id unum animadvertas velim, quot rationibus Prudentius, aliique hujusce ætatis scriptores Marcioni probent Dei sapientis bonique fuisse homini concedere libertatem.

680 *An cum te dominum cunctis præficeret*] Ita Tertull. loc. cit. 'Sed et alias quale erat ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus.'

689 *Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, &c.*] Unde Tertull. 'Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando: quoniam et alias positum hominem sub judicio Dei oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Ceterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.'

Atqui nec bonus est, nec collaudabilis ille
Qui non sponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
Nec tamen est virtus, ni deteriora refutans
Emicet, et meliore viam petat indole rectam.
Vade, ait ipse parens, opifexque et conditor Adæ;
Vade, homo, et afflatu nostri prænobilis oris,
Insubjecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et judex mentis propriæ: mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subjectio et ipsa soluto
Libera judicio. Non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo injustum fugias, justumque sequaris.
Lux comes est justi: comes est mors horrida iniqui.
Elige rem vitæ, tua virtus temet in ævum

bonus voluntarie, neque est bonus, neque laudabilis: quia nulla laus tribuitur, et virtus sordet ignobilis, quando probitas est coacta. Sed virtus nulla est, nisi resplendeat, et eligat voluntate æquiore veram viam boni, respuens pejora. Quare Deus ipse pater, ædificator, et creator Adami, ipsi ait: O homo, qui es nobilitatus spiritu mei oris, non subjectus, potens, Dominus terræ, Dominus quoque, et moderator tuæ animæ, vade: sis mihi uni subjectus voluntario, ut mente libera ipsa summissio sit libera. Non te adigo: neque facio vim; sed hortor ut declines a malo, et facias bonum. Lux comitatur bonum; tenebræ densæ comitantur malum. Elige id quod afferet vitam. Tua virtus te extollet ad cœlum in omni æternitate; tua



perscr.—698 *Unde ait* Weitz.—699 *et* deest Put. Ro. *flatu* C.—700 *In subjecta*

NOTÆ

693 *Nec bonus est, Qui non sponte bonus*] Sic Hieron. in Epist. ad Philemonem: 'Nihil quippe dici bonum potest, nisi quod ultroneum est. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum.' Sic August. lib. I. Confess. 'Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est, quod facit.'

698 *Vade, ait ipse parens*] Ita optime codex Regius. Non, *Unde ait.*

704 *Injustum fugias, justumque sequaris*] 'Declina a malo, et fac bonum: et inhabita in sæculum sæculi.' Psalm. XXXVI.

705 *Lux comes est justi*] Alludit ad hunc locum Joannis cap. III. 'Omnis enim qui male agit, odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus.' Unde Ambros. lib. de Noë et Arca, cap. 17. 'Siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est, et mortuis pascitur sicut corvus. Lumini autem vicina virtus, quæ mentis puritate et simplicitate resplendet.'

706 *Elige rem vitæ*] Deus enim in hortis amœnissimi paradisi cum alias arbores ad usum hominis ac voluptatem, tum insignes collocavit duas; alteram vitæ, alteram scientiæ boni

Provehat, æternum damnet tua culpa vicissim,
Præstet et alterutram permissa licentia sortem.
Hac pietate vagus, et tanto munere abundans,
Transit propositum fas, et letalia prudens
Eligit: atque volens illud magis utile retur,
Quod, prohibente Deo, persuasit callidus anguis.
Persuasit certe hortatu, non impulit acri
Imperio. Hoc mulier rea criminis exprobranti
Respondit Domino: suadelis se malefabris
Illectam suasisse viro: vir et ipse libenter
Consensit. Licuitne hortantem spernere recti
Libertate animi? licuit: namque et Deus ante

peccata te pariter addicent æternis suppliciis; et libertas tibi concessa erit causa alterutrius sortis. Adamus liber tanta Dei bonitate, et repletus tantis donis deserit fas propositum; et sciens deligit id, quod ipsi erat mortiferum: et liber putat illud, quod suasit astutus serpens, et quod vetabat Deus, esse magis fructuosum. Suasit quidem hortationibus, non coëgit mandato vehementi. Eva rea culpæ fassa est Deo objurganti, se delinitam suasionibus maleficis illud suasisse Adamo; et Adamus ipse consensit voluntarie. An potuit libertate mentis innocentis contemnere dæmonem hortantem? Potuit sane. Nam Deus monuerat prius ut liber persequeretur opti-



Weitz. W. B.—709 *vigens* Weitz. Vat. quidam.—711 *magis utile dum sibi cre-*

NOTÆ

et mali. 'Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.'

707 *Damnet tua culpa*] Eo spectat illud Tertull. loc. cit. 'Libertas arbitrii non ei culpam suam respuet, a quo data est; sed a quo non ut debuit administrata est. Si mors malum, nec mors comminatori suo, sed contemtori suo faciet invidiam, ut auctori. Contemnendo eam fecit: non utique futuram, si non contemsisset.'

709 *Hac pietate vagus*] Familiaris Prudentio cæsura. Psychom. vs. 713. 'Cum placet aërius, et de phantasmate visus.' Ne legas igitur: *Hac pietate vigens.*

713 *Persuasit certe hortatu, non impulit acri Imperio*] Tale illud vs. 560. 'Friget fera futile frendens, Humani generis ni per suffragia gliscat.' Vide notas.

714 *Hoc mulier Respondit Domino*] 'Serpens decepit me, et comedi.' Genes. III.

716 *Vir et ipse libenter Consensit*] 'Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.'

718 *Licuit*] Tertulliani ratiocinium huc adducam: 'Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non et contemtus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.'

Suaserat, ut meliora volens sequeretur: at ille
Spernens consilium, sævo plus credidit hosti.
Nunc inter vitæ dominum, mortisque magistrum
Consistit medius: vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque suis se motibus alternantem.
Accipe gestarum monumenta insignia rerum,
Prælusit quibus historia spectabile signum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
Pignora cara domus properabat, sede relicta,
Nubibus urbicremis subducere, sulfure cum jam
Nimboso ignitus cœlum subtexeret aër,
Flagrantemque diem crepitans incenderet imber.
Angelus hanc hospes legem præscripserat ollis,
Emissus virtute Dei sub imagine dupla:
Omnis ut e portis iret domus, atque in apertum
Dirigeret constans oculos, nec pone reflexo

ma. Sed Adamus negligens consilium Dei credidit potius crudeli inimico. Positus erat inter Dominum vitæ, et auctorem mortis. Hinc Deus vocabat. Inde dæmon illum vocabat dubium, et fluctuantem liberis motibus. Audi præclara monumenta rerum quæ evenerunt; quibus Biblia delinearunt signum memorabile. Loth exiens Sodomis accensis festinabat, urbe relicta, abducere secum ex turbinibus igneis, qui cremabant urbem, omnes dulces liberos suæ familiæ. Aër ignescens cooperuerat cœlum sulfure delapso instar pluviæ: et imber strepitans inflammarat diem ardentem. Angeli duo hospites missi, potestate Dei, sub duplici figura humana, statuerant illis hanc conditionem; nempe ut cuncta familia egrederetur e januis Sodomorum, et constans intenderet oculos in patentes campos; nec respiceret retro



dit A.—725 *historiæ* F.—728 *Nisibus* Gif. Ind. Lucr. p. 382. *Ignibus* G. in marg.—733 *postis* Eg. *utque* F. G. B.—740 *traxit* Eg.—742 *Traxerit* Bodl.

NOTÆ

728 *Se alternantem*] Modo in hanc, modo in aliam partem euntem. Colum. lib. v. 'Dabimus operam in ordinibus disponendis, ut pari ordine vernaculas et atinias alternemus.' De Lot. et Sodom. inf. Præf. Psychom.

726 *Fugiens Sodomis*] Illud oppidum propter execranda flagitia, ac præposteram libidinem, pice ac sulfure animata cœlestis flamma consumsit. Quo ex incendio ereptus ab Angelis Loth, amissa conjuge, quæ contra vetitum post se respectans in statuam salis est mutata, primum in urbem Segor. inde vicinum in collem subiit. Adi Genes. cap. xix.

732 *Sub imagine dupla*] 'Venerunt,' enim, 'duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis.'

733 *Omnis domus*] Loc. cit. 'Omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac.'

Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremandi est,
Ut semel e muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso, respectet funera rerum.
Loth monitis sapiens obtemperat, at levis uxor
Mobilitate animi torsit muliebre retrorsus
Ingenium, Sodomisque suis revocabilis hæsit.
Traxerat Eva virum diræ ad consortia culpæ:
Hæc peccans sibi sola perit, solidata metallo
Diriguit fragili, saxumque liquabile facta.
Stat mulier, sicut steterat prius, omnia servans
Caute sigillati longum salis effigiata,
Et decus, et cultum, frontemque, oculosque, comamque,
Et flexam in tergum faciem, paulumque relata
Menta retro, antiquæ monumenta rigentia noxæ.

oculis flexis flammas dispersas per urbem. Nemo, inquit, memor Sodomorum, quæ sunt imago mundi cremandi, statim atque protulerit pedem e muris, intueatur, vultu converso post tergum, incendium omnium rerum. Loth prudens paret jussis. Sed conjux levis jactavit retrorsum inconstantia mentis caput fœmineum: et mox revocanda hæsit suis Sodomis. Eva fecerat Adamum participem funesti peccati. Illa vero peccans sibi uni invenit perniciem. Mutata in materiam caducam constipatur: et facta statua facile solubilis servat formam fœminæ, quam habebat ante. Sic versa in longum corpus salis habentis effigiem, retinet omnia: scilicet et decus, et ornamenta, et formam, et oculos, et crines, et vultum detortum in tergum, et mentum paululum relatum retro. Quod signum est solidum criminis præteriti.

—746 *semper salis* W. superscr.—747 *oculosque, manusque* W. superscr.—771

NOTÆ

734 *Nec reflexo Lumine*] Lothum respicere flammas per urbem dispersas jubent Angeli, ne improbi illi scelestique homines proborum virorum miserationem commoverent, seu potius, ne de pœnis, quas ab ipsis Deus repetebat, judicium ferrent.

736 *Quæ mundi forma cremandi est*] Ita Alcim. Avit. III. 46. 'Tunc cum sinceros pastor discreverit agnos, Hædis disparibus diversa in parte locatis, Chasmate divisa medio; quam fluctibus implet Sulfureis volvens undosa incendia gurges Flammarum stagnante lacu; quo fervida quondam Dicitur attracto nubes Sodomitica nimbo Guttatim sparsum fudisse ob crimina fulmen, Cum plueret nox tetra focos, cœloque caduco Aërâ per calidum stillarent undique mortes. Taliter ignifero missi de fonte gehennæ Fluxerunt tristes aliena in sæcula rivi.'

738 *Respectet funera rerum*] 'Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione.' Gen. XIX.

746 *Salis effigiata*] 'Respiciens uxor ejus post se versa est in statuam salis.' Gen. XIX.

Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda,
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio: quantumque armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix fœmina sisti,
Infirmum fluidumque animum per lubrica solvens
Consilia, et fragilis jussa ad cœlestia voti.
Propositum contra non commutabile servat
Loth ingressus iter, nec mœnia respicit, alto
In cinerem collapsa rogo, populumque perustum,
Et mores populi, tabularia, jura, forumque,
Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,

Illa quidem statua humectata sudoribus salsis defluit, sed forma integra nullum contrahit damnum in hac diminutione humida. Quantum pecora comminuunt statuam sapidam, tantum liquor sufficit lingentibus, et reparat superficiem imminutam per damna. Ea mulier peccatrix hac ratione digna fuit, quæ mutaretur in statuam: cum converterit mentem infirmam et levem in cogitationes periculosas, et temeraria fuerit in votis, spretis mandatis divinis. Contra Loth faciens iter exequitur imperium immutabile; neque intuetur muros redactos in pulverem ingenti igne, et plebem crematam, et scelera plebis, tabularia, jura, et forum, balnea, propolas, me-

NOTÆ

751 *Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ Sentit deliquio*] Constat adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus denuo ad pristinam crescit molem. Sic ille, quæ tanto ante Tertull. in carmine de Sodoma eleganter notaverat: 'Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans Durat adhuc. Etenim nuda statione sub æthram, Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis. Quin etiam si quis mutaverit advena formam, Protinus ex sese suggestu vulnera complet.' Hæc Salianus.

761 *Mores populi*] I. e. scelera ac flagitia Sodomæ execranda igni abolita, expiataque.

Tabularia] Tabularium, teste Cicerone, locus in quo acta publica reponuntur. Officinæ quoque tabularia appellantur. Concil. Palentinum: 'Permittimus (Judæis) habere operatoria, tentoria, tabularia, seu boticas.'

Jura] Locum scilicet, in quo jus reddebatur. De foro sup. Perist. XI. 45.

762 *Balnea*] Locum publicum, ubi sanitatis causa, sordiumque abstergendarum, lavabantur veteres. Cic. pro Sext. Roscio: 'Occiditur ad balneas Palatinas rediens a cœna Roscius.' Sic dictum παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, 'quod peliat ex animo dolorem.' Juxta alios autem a βάλανος, 'glans.'

Propolas] Loca ipsa, in quibus, qui mercantur quod statim vendant, merces suas exponunt.

Propola] A Lucillio apud Nonium prima in propola etiam producitur.

Et circum cum plebe sua, madidasque popinas.
Quicquid agunt homines, Sodomorum incendia justis
Ignibus involvunt, et Christo judice damnant.
Hæc fugisse semel satis est. Non respicit ultra
Loth noster: fragilis sed conjux respicit, et, quæ
Fugerat, inverso mutabilis ore revisit,
Atque inter patrias perstat durata favillas.
En tibi signatum libertatis documentum:
Quo voluit nos scire Deus, quodcumque sequendum est,
Sub nostra ditione situm, passimque remissum,
Alterutram calcare viam. Duo cedere jussi
De Sodomis, alter se proripit, altera mussat.
Ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat.
Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas.

ritoria, templa, theatra, et circum cum astantibus, et popinas madidas. Incendium Sodomorum involvit flammis æquis, et punit, Deo judice, omnia facta hominum. Sufficit semel illud devitasse. Noster Loth non respicit ultra: sed uxor levis intuetur; et inconstans lustrat oculis retortis ea quæ reliquerat, et indurata permanet inter ignes patrios. Ecce exemplum libertatis tibi adumbratum; quo Deus voluit ut nos disceremus id quod debemus agere, esse in nostra potestate, et semper licitum esse carpere alterutrum iter. Deus jubet duos egredi Sodomis. Loth exit: uxor murmurat. Ille fugiens properat ire: ea contra renuit. Uterque habet animam liberam; sed uterque habet velle dissimile. Sua voluptas trahens unum-

Quod Weitz.—774 *præripit* A. F. B.—778 *muta* Vulg.—779 *generis* Weitz.

NOTÆ

'Sicuti cum primos ficos propola recentes Protulit, et pretio ingenti dat primitu paucos.'

Meritoria] Loca omnia, quæ quæstus gratia locantur, meritoria dici certum est. Juven. Sat. III. 'Nam quæ meritoria somnum Admittunt?' Hic autem poni pro lupanaribus Sodomæ putat Iso Magister. Nec male. In actis Proconsularibus martyrii SS. Didymi et Theodoræ Judex dixit: 'Jusserunt Imperatores vos, quæ estis virgines, aut Diis sacrificare, aut injuria meritorii provocari.' De Circo sup. vs. 362. not.

763 *Popinas*] Loca ubi publice opsonia venditantur.

764 *Sodomorum incendia*] Quia, ut diximus vs. 736. not. Sodomorum incendium orbis cremandi vult esse imaginem.

767 *Loth noster*] Nam hoc transtulit ad id, quod in nobis experimur. Unde 'Loth noster,' i. e. anima nostra non respicit ultra; sed 'conjux,' caro scilicet, levis atque infirma intuetur. Siquidem animam ad terrena trahit et caduca, licet animæ consortio jam recta, jam cœlestia sapere debeat.

774 *Mussat*] Mussare, summissa et parum distincta voce, quasi timide ac dubitanter, loqui, obmurmurare.

Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido.
Talem multa sacris speciem notat orbita libris.
Aspico Ruth gentis Moabitidis, et simul Orphan:
Illa socrum Noëmin fido comitatur amore,
Deserit hæc: atquin thalamis, et lege jugali
Exutæ, Hebræisque thoris, sacrisque vacantes,

quemque separat huc et illuc. Sacra Biblia exprimunt variis vestigiis tale exemplum. Considera Rutham, necnon Orpham de regione Moabitide. Illa amore perpetuo comitatur Noëmin matrem mariti; altera derelinquit. Cum non erant amplius alligatæ nuptiis et legibus matrimonii; cum jam non erant sociæ lectorum

Orfan Put.—780 *Noomin* Eg. Put.—786 *agrestis aburitur* Weitz. *agrestis*

NOTÆ

777 *Rapiens sua quemque libido*] Sic Virg. Eclog. III. 'Trahit sua quemque voluptas.' De Orbita, sup. Perist. XI. 102. not.

779 *Ruth*] Regio Eglonis genere ortam fuisse somniarunt nonnulli, quos ratio temporis refutat, tenuitas Mahalonis, cui nupsit, reditus incomitatus, et spicilegium collectum. Plebeiam ergo fuisse dico, et ex Petra urbe Arabiæ desertæ, ut testatur Isaias cap. XVI. 'Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti, ad montem filiæ Sion.'

Moabitidis] Nempe ex Moab. Lothus enim per noctem et ebrietatem filias incesto polluit. Hinc orti sunt Moab et Ammon; a quibus totidem propagati sunt populi.

Orphan] Hanc matrem Goliath gigantis, quod 1 Reg. ac 1 Paral. Harapha appelletur, Philo aliique fuisse volunt. Cujus opinionis videtur esse Prudentius vs. 784. 'Malle et semiferi stirpem nutrire Goliæ.' Sed quam vana ea sit, quam absurda, quis non videt? Altera Philisthæa, ex Geth urbe Palestinæ, ac Saulis Davidisque temporibus; altera vero Moabitis, ex urbe Petra, et coætanea Ruth Boozque. Chelion eam duxit.

780 *Noëmin*] Noëmi Hebraice idem sonat, ac pulchra, suavis, amœna. Neptem Nahassonis fuisse tradunt quamplurimi.

781 *Lege jugali Exutæ*] Elimelech, nempe, Abimelech filius Gedeonis, uxor ipsius Noëmi, filiique Mahalon et Chelion, quod dura fames Chananitidem depopulabatur, in Moabitidem abierunt. Elimelecho mortuo, Mahalon Rutham duxit, Chelion Orpham: 'Ibique manserunt decem annis; et ambo mortui sunt. Noëmi orbata duobus liberis ac marito egressa est, cum utraque nuru sua de regione Moabitide! et jam in via revertendi posita in terram Juda, dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum. Elevata voce flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est. Ruth adhæsit socrui suæ.' Adi lib. Ruth cap. I.

782 *Thoris, sacrisque vacantes*] Quibus colligimus Rutham Orphamque Deum coluisse, per vitam maritorum destitisse ab idololatria, et ritus religionemque Hebræorum suscepisse.

Jure fruebantur proprio. Sed pristinus Orphæ
Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per stipulas agresti amburitur æstu,
Fulcra Booz meruit, castoque ascita cubili
Christigenam fœcunda domum, Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum

Hebræorum, et sacrificiorum, habebant dominium sui. Orpha rediens ad primum cultum Deorum elegit religionem Philistinorum, et aluit liberos Goliathi semiferi. Ruth autem, dum comburitur calore camporum per messes, digna fuit, quæ nuberet Booz; et socia lecti casti peperit fœcunda familiam Christi, et reges proavos Davidis, et dedit sanguinem mortalem, ex quo Deus natus est. Ego ipse recordor sæpe



oburitur G.—788 *domum et Davitica r.* Weitz.—789 *artus* Weitz.—796 *umbri-*

NOTÆ

783 *Jure fruebantur proprio*] Uxores enim in ditione sunt maritorum ac potestate, teste Paulo ad Corinth. 1 cap. VII. 'Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.' De Goliatho in Psych.

786 *Per stipulas*] 'Venit enim Noëmi cum Ruth, ac reversa est in Bethleem, quando primum hordea metebantur,' i. e. in Paschate. Die secunda Paschatis Hebræi offerebant Deo primitias spicarum, ac die tertia eas demetebant. 'Dixitque Ruth ad socrum suam : Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas, quæ fugerint manus metentium.'

Agresti amburitur æstu] Sic Ms. Regius, non, *agrestis oburitur æstu.*

787 *Booz*] Filius Salmonis, qui duxerat Rahab, quod Jerichuntem prodiderat Hebræis. Vide cap. IV. lib. Ruth. Allegorice autem, ut notat auctor imperfecti operis in Matth. hom. 1. 'Booz repræsentat Christum, Ruth ecclesiam e gentibus convocatam.'

Meruit] Idem l. c. 'Ruth pro merito fidei suæ nupsit Booz, quia propriam gentem contemsit, et terram, et genus, et elegit Israël, et non despexit socrum viduam simul et peregrinam, desiderio ducta generis ejus magis quam sui, Deos Patrum suorum repulit, et Deum viventem elegit. Rursus Booz pro merito suæ fidei illam accepit in uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato genus nasceretur regale.'

Ascita cubili] Booz Rutham accepit in uxorem, quia jure propinquitatis ad id lege obligabatur. Unde Ruthæ ad pedes prostratæ respondit: 'Facto mane, si te voluit propinquitatis jure retinere, bene res acta est.'

788 *Davidica regna*] 'Phares enim genuit Eston, Eston genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit David.' Lib. Ruth cap. IV.

Pervenisse simul bivium, nutante juventa;
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quodnam
Esset iter melius: cum dextrum spinea sylva
Sentibus arctaret, scopulosaque semita longe
Duceret aërium clivoso margine callem:
At lævum nemus umbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, et lene jacentem
Planities daret ampla viam: squalentibus unum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa;
Porro alium campo sese indulsisse sinistro:
Illum sidereis caput immiscere propinquis,
Hunc in cœnosas subito cecidisse paludes.
Omnibus una subest natura, sed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum segrege forma.
Haud secus, ac si olim per sudum lactea forte

duos fratres, juventute exeunte, simul venisse ad bivium fissum, et dubitasse diu in itinere bifido, quænam via esset tulior; quia copia veprium coarctabat spinis viam dextram, et semita lapidosa dabat callem apertum, cujus ripæ erant clivosæ: sylva autem opaca ornabat viam sinistram aureis pomis viridariorum amœnorum: et lata planities pandebat iter devexum leniter. Ac recordor unum contentum spinis horridis serpsisse per saxa aspera: alium vero se delectasse via læva; sed illum habere caput inter astra propinqua, hunc autem cecidisse statim in paludes lutosas. Eadem natura est omnibus: sed idem finis non est omnibus; quia cupiditates sunt dis-



ficum Ro.—803 *omnis* A. *omnia* F.—804 *placitum quoque* Eg.—805 *aut si*

NOTÆ

792 *Quodnam Esset iter melius*] Dissimiles virtutis vitiique vias, dissimilesque terminos finemque eodem exemplo nobis ob oculos ponunt Hesiod. lib. I. ἔργ. καὶ ἡμερ. Sil. Italic. lib. I. Basil. Max. Tyr. dissert. 4. aliique quamplurimi.

801 *Sidereis propinquis*] Quia sese ad astra extulit, ita ut vertice ea tangat.

803 *Omnibus una subest natura*] Ergo quod ex duobus iisdem gratiis adjutis, atque in iisdem circumstantiis positis alter virtutem amplectatur, sancteque moriatur, alter vero in peccatum letale incidat, pœnasque æternas mereatur, id non Deo, qui 'vult omnes homines salvos fieri,' tribuendum est, sed hominis voluntati, quæ varie se flectit.

804 *Placitorum segrege forma*] Gregorius Nyssenus sub finem libri sexti tam animas hominum, quam intelligibiles omnes substantias, ejusdem naturæ esse docet. Gregorius Nazianzenus, in carmine de Laudibus virginitatis, id ipsum innuit.

805 *Per sudum*] Sudum proprie pars est cœli serena inter nubes. Virg. Æn. VIII. 528. 'Arma inter nubem, cœli in regione serena, Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.'

Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimina visco,
Sparsit et insidias siliquis vel farre doloso:
Illiciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortæ retinacula setæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox ubi jam cœlo revolandum, pars petit æthram
Libera sideream, plaudens super aëra pennis:
Pars captiva jacet, laceris et saucia plumis
Pugnat humi, et volucres nequicquam suspicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicoloras
Infundit natura solo: sed suavibus istic
Devinctæ illecebris retinentur, et æthera paucæ

similes. Non aliter ac cum aliquando grex columbarum albarum delapsus e cœlo descendit in aream agri fructuosi, in quo versutus auceps posuit retia, et oblevit virgas vibisco tenaci, et paravit insidias pericarpiis, aut frumento doloso. Semen fallax attrahit alias; et vincula ex pilis tortis implicat collum avidum cibi; aut viscus mollis colligat pennas implicitas. Sed aliæ, quas nullum desiderium escæ illicit, deambulant pedibus illæsis in herba sterili, et vitant conjicere oculos in cibum suspectum. Sed cum debent rursum volare per cœlum, illæ liberæ, et verberantes alas super aërem, se attollunt in auras superas; hæ implicitæ jacent humi, et vulneratæ alis ruptis se agitant, nec tamen ascendunt cœlum liquidum. Ita natura infundit in terram animas uniformes ex fontibus cœli; sed raræ redeuntes petunt



A. *forma* A.—806 *descendit* A.—820 *unicolores* W. et Vulg.—822 *ad æthera*

NOTÆ

De Aucupio sup. De Siliquis sup. De Setis sup. vs. 411. De Glutine, seu visco sup.

813 *Prolectat*] Illicit, inducitque. Cic. pro Flac. 18. 'Egentes privata benignitate prolectat.' De Æthra sup. not.

820 *Unicoloras*] Non, *unicolores*. Sic 'versicolorus paries' contra Symm. II. 56. et 'lana discolora' hymn. S. Romani. vs. 302.

822 *Devinctæ illecebris retinentur*] Simile illud S. Hieron. 'Ita inciderunt in laqueos feralium voluptatum, sicut aves aucupali fraude captivæ; quæ quo magis conantur evadere, eo innumeris se nexibus illigant, et in profundiores sinus demergunt.'

Paucæ Conscendunt reduces] Hic pugnantia loqui videtur Prudentius. Nam Hymn. ante Somnum vs. 95. vult plures salvari homines quam

Conscendunt reduces: multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Præscius inde Pater liventia Tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquæ furvo suffodit Averno,
Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes.
Norat enim flatu ex proprio vegetamen inesse
Corporibus nostris, animamque ex ore perenni
Formatam non posse mori: non posse vicissim
Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti
Mersandam penitus puteo ferventis abyssi.

cælum, quia detinentur istic moratæ dulci voluptate; esca vero glutinosa decipit quamplurimas, nec ipsis concedit ire in altum cælum. Quare Deus præscius inflammavit plumbo liquefacto nigra Tartara, et excavavit atris aquis Averni infernalis foveas viscosas bitumine, et jussit vermes voraces oriri sub voragine Phlegethontis, ut punirent in æternum crimina. Nam non ignorabat corpora nostra habere vitam a suis animis; animas vero formatas ex suo flatu divino nec posse extingui, nec coinquinatas peccatis posse pariter redire sursum ad cælum, sed debere demergi

Weitz.—832 *Infusam* Weitz.—833 *rursum* Weitz.—834 *Mersandum* W. su-

NOTÆ

damnari. 'Ultor retundit iram, Paucosque non piorum Patitur perire in ævum.'

823 *Viscosus inescat Pastus*] Audi Ambrosium lib. de Bono Mortis cap. 5. 'Avis, quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscumque irretitur insidiis. Sic quoque et anima nostra caveat ad hæc mundana descendere. Laqueus in auro, viscum est in argento, nexus in prædio, clavus in amore.' De Tartaro, Averno, et Phlegethonte in Psychom.

828 *Edaces Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes*] Quorum meminit Isaias c. LXVI. 'Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.' De Vegetam. sup. vs. 299. not.

831 *Animam non posse mori*] Anima immortalis ideo dicitur, quod nec interitura est unquam, nec ab ulla creata re potest perimi. Etenim id natura mortale, et corruptibile dicitur, quod, etsi reipsa non corrumpitur, habet tamen in se corruptionis principium.

832 *Non posse vicissim Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti*] Alludit ad hæc verba Apocal. c. XXI. 'Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.'

834 *Mersandam puteo ferventis abyssi*] Paulo ante Joann. Apost. loc. cit. 'Incredulis, et execratis, et ho-

Vermibus et flammis et discruciatibus ævum
Immortale dedit, senio ne pœna periret
Non pereunte anima. Carpunt tormenta, foventque
Materiam sine fine datam. Mors deserit ipsa
Æternos gemitus, et flentes vivere cogit.
At diversa procul regionibus in Paradisi
Præmia constituit majestas gnara futuri
Spiritibus puris, et ab omni labe remotis,
Quique Gomorræas non respexere ruinas;
Aversis sed rite oculis post terga, tenebras
Liquerunt miseri properanda pericula mundi.
Ac primum facili referuntur ad astra volatu;
Unde fluens anima structum vegetaverat Adam.

omnino in gurgite foveæ igneæ. Deus vult ut vermes, et ignis, et tormenta durent in æternum, ne supplicia, dum animæ non perirent, consumerentur tempore. Cruciatus edunt et fovent materiam semper duraturam. Mors ipsa non eximit has æternas infelicitates, sed cogit miseros vivere. Proculvero in locis amœnis paradisi Deus præscius venturi paravit alia præmia animis piis, et immunibus omnium peccatorum, et quæ non sunt intuitæ incendium Gomorrhæ; sed oculis sancte flexis ad tergum tenebras fugerunt vitantes pericula hujus miseri mundi, et statim revolant facili volatu ad cœlum: ex quo anima delabens dederat vitam corpori Adami

perscr.—845 *et properanda* Weitz.—853 *postlimineo* Weitz. Eg.—855 *diversoria*

NOTÆ

micidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure.'

835 *Discruciatibus ævum Immortale dedit*] Scripturæ, Patrumque Græcorum ac Latinorum de pœnarum perpetuitate, quibus dæmones hominesque plectuntur, evidens et certa sententia est; adeo ut vel dubitare sit nefas, teste Fulgentio in libro de Fide ad Petrum: 'Firmissime tene, et nullatenus dubites, ex ore Dei, justi æternique judicii sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem æternam, justos autem in vitam æternam.'

837 *Carpunt tormenta, foventque*] Est ea de re disertus et elegans Cassiodori locus: 'Absumet, ut servet: servabit, ut cruciet; dabiturque miseris vita immortalis et pœna servatrix.' Tertullian. item existimat Apolog. cap. 48. 'Non enim absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat: adeo manent montes semper ardentes, et qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinerescat.'

838 *Mors deserit ipsa*] In ea enim opinione fuere nonnulli, improborum ac damnatorum animas non perseverare, ac vivere perpetuo, sed aliquando interituras esse. De incendio Gomorr. sup. vs. 728.

847 *Vegetaverat*] A. Gell. 'vegetare memoriam' dixit XVII. 2. 'Co-

Nam, quia naturam tenuem declivia vitæ
Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens secat aëra lapsu,
Exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana Fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis,
Ore renarrantem querulo, quos passa, labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem.
Ditibus, et longo fumantibus intervallo,

formato. Nam, quia pondera vitæ terrestria non retinent naturam levem animæ, nec valida vincula retardant, anima petens cœlum secat densum aërem motu veloci; atque hæc particula ignea, aversata carcerem corporis, in quo inclusa fuerat exul, assurgit supra cœlum iterum trajectum. Tum Fides antiquâ in primo limine recipit sinu illam redeuntem, et recreat dulcibus gaudiis alumnam, quæ memorat voce queribunda multos labores, quos toleravit, dum mansit in corpore. Illic collocans se in lecto purpureo olfacit odores, qui afflantur e floribus perennibus, et de thoro roseo bibit liquorem ambrosium. Vocata a divitibus, qui et cremantur longissime,



Put.—859 *gramine* Weitz. Vat. un. Post h. vs. hi sex sequuntur in Vulg. Vat. un. Weitz. et al. *Ast aliæ, quas dira lues errorque malignus Immersit tenebris, vastoque obsedit Averno, Haud impune piis ah semet abesse fatentur Conciliis, meritas ferre et per sæcula pœnas: Quis patris antiqui aut ægri reverentis abyssus Exclusis mundique bonis cum morte potitis Ditibus*, &c.—860 *Divitibus*

NOTÆ

nabamur postea memoriæ vegetandæ gratia indipisci animo ac recensere.'

851 *Fervens scintilla*] Quia ex sententia Gentilium philosophorum loquitur. Vide notas ad Hymn. circa exequias defunctorum.

854 *Cana Fides*] Sic Virg. Æn. I. 'Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus.'

859 *De stramine*] Alii legunt *gramine*. Sed probe *stramine* ex Mss. Regio, pro thoro aut stramento. Post hunc versum sequuntur in vulgatis seni versus, qui a Mss. Reg. aliisque absunt; quosque tollendos putat Heinsius, cum turbent seriem orationis, et sint insulsi: *Ast aliæ, quas dira lues errorque malignus Immersit tenebris, vastoque obsedit Averno; Haud impune piis, ah semet abesse fatentur Conciliis, meritas ferre et per sæcula pœnas. Quis Patris antiqui aut ægri reverentis abyssus Exclusis mundique bonis cum morte potitis Ditibus et longo*, &c.

860 *Longo intervallo*] Quia decet supplicii locum esse a beatorum sede remotissimum. Unde Patres ac Theologi terræ viscera damnatis assig-

Fluminaque, et totos cœli sitientibus imbres,
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumque apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis longe distantibus inter
Damnatas justasque animas concurrere visus
Conspicuos, meritasque vices per magna notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.
Errat, quisque animas nostrorum fine oculorum
Æstimat; involvit vitreo quos lucida palla
Obice: quis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntque vagas obducto humore fenestras.
Numne animarum oculis denso vegetamine guttæ
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extra

et expetunt fluvios, et omnem aquam cœli, recusat immittere digitum in os, et refrigerare tactu humido vim ignis. Neque mireris, quod visus conspicui, cum inter animas damnatas et animas justas sint loca longe distantia, pervadant: et per illa immensa spatia, quæ polus separat medio orbe, intueantur pœnas debitas. Quicunque judicat de animis ex debilitate nostrorum oculorum, quos tunica perspicua tegit aggere vitreo, in quibus pupilla coagulata format speculum, et refrænat liquore opposito oculos vagos, is decipitur. An ergo oculi animarum vertunt orbes aquosos materia densata? An sunt asperi extrinsecus pilis palpebrarum? An teguntur super-

longo Bodl.—869 *Æstimat involvi* W. *pala* C.—875 *et pupula* T. Ro. Torrent.

NOTÆ

nant. Quibus mox assentitur Prudentius: 'Polus medio quæ dividit orbe:' Adde quod Abraham Divitem his alloquatur Luc. c. XVI. 'Inter nos et vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.'

862 *Implorata negat*] Tangit historiam Lazari ac Divitis in Inferno sepulti: 'Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.' Adi sup.

868 *Quisque*] I. e. *quisquis*. Vide sup.

869 *Involvit quos lucida palla*] Nihil enim similius vestibus est, quam membranæ illæ quibus oculi teguntur.

Vitreo obice] Qui senas oculi tunicas recensent, conjunctivam scilicet, corneam, uveam, araneam, et retinam, adjiciunt vitream. Consule Laurentium Anatom. XI. 6. De Palla, sup. vs. 86.

871 *Fenestras*] 'Per hos corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit.' Greg. lib. XXI. Moral.

873 *Teretes*] Natura teretes oculos fecit, lubricos, et mobiles, ut et declinarent si quid noceret, et aspectum quo vellent facile converterent. Adi Ciceron. lib. II. de N. D. ubi oculorum fabricam eleganter describit.

Horrescunt setis, ciliove umbrante teguntur?
Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
Trajector nebulæ, vasti et penetrator operti est.
Nil ferrugineum solidumve tuentibus obstat,
Nocturnæ cedunt nebulæ: nigrantia cedunt
Nubila: prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aërios visu transmittit hiatus
Spiritus, oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atque ultima littora Thulæ
Transadigit, volucresque oculos in Tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, et cæco delentur tempore formæ.

cilio involvente? Illi habent pervicax acumen. Illis non est pupilla exigua; sed subtilitas, qua pervadunt tenebras, et penetrant immensos Inferos. Nihil fuscum aut densum impedit quominus videant. Cæcæ tenebræ vincuntur ab ipsis: atra nubila vincuntur: area rotunda hujus orbis oppositi vincitur. Animæ non solum pervadunt visu poros aëris, sed etiam permeant lumine montes, prætergrediuntur terminos maris, et ultima littora Thulæ, et conjiciunt oculos veloces in Inferos. Omnes vero colores evanescunt nocte ex oculis corporeis, et figuræ eripiuntur hoc tempore

tres.—882 *Thilæ* Weitz. *Thyle* W. *Thules* G.—883 *Transabiit* Vulg. *Transcurrit* G. in marg. *Transadiit* A. Bodl. B.—884 *oculis pereunt* Eg. P.—

NOTÆ

Palpebralibus] Palpebræ, quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissime factæ et ad claudendas pupillas, ne quid incideret, et ad aperiendas.

874 *Setis*] Munitæ enim sunt palpebræ tanquam vallo pilorum.

Cilio] Vallum autem hoc pilorum Latine cilium dicitur. Ac videntur certe pili palpebris sic, tanquam pali munimentis, infixi, teste Aristot. lib. II. de Part. Anim.

875 *Pupula parva*] Pupula, quæ et pupilla dicitur, foramen est uveæ tunicæ, e quo acies est, qua cernimus. Ob parvitatem ac teneritudinem hoc diminutivo nomine est appellata, quod a pupa traxit, quæ Latinis est parva puella. Unde Prudentius vs. 308. hujusce libri: 'Idcircone, rogo, speculatrix pupula molli Subdita palpebræ est?' Quem locum ita ad verbum reddas: An, amabo vos, ideo pupilla oculorum, qua cernimus, tegitur tenui palpebra? Non vero: An ideo oculi puellæ oculatæ teguntur?

882 *Thulæ*] Thule, seu Islandia, insula est perampla maris Septemtrionalis, quæ a Rege Daniæ Norvegiæque pendet. Dicitur a Virg. Georg. I. 30. 'ultima Thule,' quia maxime Septemtrionalis est versus Occidentem, et ultima terrarum, quas antiqui noverint.

884 *Pereunt sub nocte colores*] Huc spectant Virgilii verba Æn. VI. 272. 'Et rebus nox abstulit atra colorem.' Ut jam monui sup.

885 *Cæco delentur tempore formæ*]

Numquid et exuti membris ac viscere possunt
Agnitione frui rerum, vel cernere formas?
Una animis semper facies habet, et color unus
Aëris, ut cuique est meritorum summa, sinistri,
Seu dextri: alternas nec commutabile tempus
Convertit, variatque vices: longum atque perenne est
Quidquid id est: unus volvit sua sæcula cursus.
Expertus dubitas animas percurrere visu
Abdita corporeis oculis, cum sæpe quietis
Nam soporatis cernat mens viva remotos,
Distantesque locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens? nec enim se segregat ipsa
Aut vitam vivis ex artubus, aut fugit exul

Numquid. Possuntne animæ solutæ a corpore et carne non amplius agnoscere formam rerum, et videre discernendo? Eadem forma semper remanet animabus, et aër unus sinister, aut dexter, prout unusquisque accepit mercedem meritorum, servat [illegible]. Nec tempus mutabile mutat et affert alternas vices. Sed, quicquid id est, perpetuum est et æternum. Idem cursus volvit tempora. Quid! dubitas animas percurrere visu res occultas oculis corporeis, cum id expertus sis, et cum sæpe, sopitis humore somni, anima vivax ferens se per campos, per astra, per maria, videat locos remotos et distantes? Nam ea ante [illegible] nec exul deserit recessus sanguinis et cor-

* * * * * * * * * * * *

[illegible] 893 *Expertus....visus* Weitz. *Expertas* T. sed *Expertis*

NOTÆ

Unde Ovid. 'Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni, Horaque formosam quamlibet illa facit.'

888 *Color unus Aëris*] Acriter hic locus me torsit. Modo enim animum attendamus ad contextum sermonis et continuationem; meo quidem judicio, certum est Prudentium id unum velle, nullam noctem intervenire, quæ rebus colorem auferat, nullamque aëris mutationem, ita ut modo clare menti objecta objiciat, modo funditus deleat; quod oculis corporeis accidere experientia novimus. Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores visibus. Quia vero durum omnibus videbitur ac barbarum Inferorum aërem appellare Sinistrum, et vice versa, cœlorum aërem, Dextrum, forte hæc verba eisdem verbis reddenda sunt atque intelligenda de ipsismet animis ac spiritibus, qui semel atque iterum aërei dicuntur a poëtis et colorati. Quare ita lego. Eadem forma semper remanet animabus; et idem est color spiritui damnato seu beato, prout unusquisque accepit summam meritorum. Apud te sit judicium.

889 *Sinistri, Seu dextri*] 'Pastor,' ait Matth. cap. XXV. 'statuet oves,' i. e. beatos, 'a dextris suis, hædos autem, damnatos scilicet, a sinistris.' Vide Hymn. S. Romani.

891 *Perenne*] Mox Scripturæ Patrumque testimonio tum pœnas damnatorum æternas esse, tum Sanctorum beatitudinem ostendi.

Sanguinis, et carnis penetralia, seque medullis
Exuit, abductamve abigit de pectore vitam :
Viscerea sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus : et qua circumtulit acrem
Naturæ levis intuitum, nullo objice rerum
Disclusa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Objacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin si stelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Pervigilis animæ : quamvis denseta graventur
Nubila, et opposito nigrescat vellere cœlum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris
Corporeus Joannis adhuc : nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensuque, oculisque peragrans,
Ordine dispositos venturis solibus annos,
Procinctum videt angelicum jam jamque cremandi
Orbis in excidium, raucos et percipit aure
Mugitus gravium mundi sub fine tubarum.

poris, nec deponit medullas, aut expellit vitam amotam de pectore. Sed manens in compagibus carneis aspicit cuncta oculis acutis : et qua tendit visum ardentem igneæ naturæ, nullo coarctata obstaculo rerum, intuetur orbem positum ob oculos, et sordida elementa, quæ efficiunt massam orbis. Terra tamen opposita est : sed non impedit visum. Quin etiam, si se convertit ad cœlum stellatum, nihil interjectum oculis reprimit aciem animæ vigilantis ; licet nubes collectæ gravescant, et cœlum nigrescat velo objecto. Joannes gerens adhuc corpus, nec solutus carne, sed carne posita sequestro ad breve tempus, potest videre beneficio somni, et peragrat mente et oculis sæcula collocata ex ordine diebus venturis, et agnoscit mysteria occulta rebus secretis futuris. Videt et Angelos paratos ad eversionem mundi brevi cremandi : et audit auribus sonitum raucum tubarum molestarum tempore excidii ter-

a m. sec.—909 *densata* Weitz.—911 *figuris* F. G. B. in marg.—912 *Johannes*

NOTÆ

911 *Videt Corporeus Joannis*] An in somnis viderit, quæ continentur in Apocalypsi, utrum vero *ἐν ἐκστάσει* dixi sup.

915 *Venturis solibus annos*] 'Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet Gentes.' Apoc. cap. xx.

917 *Raucos et percipit aure Mugitus tubarum*] 'Septem angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent.' Adi cap. VIII. IX. et X. Apoc.

Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repostis?
Certa fides, rapidos subterna nocte caminos,
Qui pollutam animam per sæcula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti
Pauperis expositos; nec secius aurea dona
Justorum dirimente chao, rutilasque coronas
Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc Paradisicolæ post ulcera dira beato
Proditur infelix, ululans in peste reatus,
Spiritus: inque vicem meritorum mutua cernunt.
O Dee cunctiparens, animæ dator, o Dee Christe,
Cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus,

ræ. Is, anima non omnino abeunte, sed tantum secedente, intuebatur has res ante mortem, licet inclusus esset in compagibus corporis. Nonne anima, cum vincula carnis erunt condita in sepulcro frigido, melius sine corpore cognoscet omnia? Indubitatum est ignes rapaces Inferorum subterraneorum, qui per omnia sæcula devorant flammis æternis animas pollutas criminibus, aspici oculis pauperis remoti longo intervallo locorum; et similiter, tenebris non obstantibus, præmia pretiosa, et coruscas coronas Sanctorum ostendi e longinquò addictis supplicio Inferorum. Hinc anima divitis damnata, et deplorans calamitatem conditionis, ostenditur incolæ Paradisi jam felici, posteaquam toleravit sæva ulcera; et invicem aspiciunt sua præmia meritorum. O Deus parens omnium, creatorque animæ, o Christe Deus, cujus ab ore Sanctus Spiritus, qui et Deus est, procedit, gubernor a te regente, ago vitam,

Weitz.—917 *tristes* T. a m. sec. Put.—930 *rabidos* Weitz. F. G. W. B. *tetra*

NOTÆ

922 *Involucris*] Penultimam unus contrahit Prudentius. Mox in Præf. l. I. in Symm. 'Contentum involucris atque cubilibus.'

923 *Subterna nocte caminos*] Ita l. I. in Symmac. 'Religionis opem subternis poscere ab antris.' Alii tamen habent: *Sub tetra nocte caminos.* De Chao Hymn. 12. Cath.

929 *Paradisicolæ*] Paradisi incolæ. Sic Paradisiacum finxit Alcim. 'In Paradisiaca ponuntur sede parentes.'

932 *Dee*] Sanctius vult vocativum illius nominis in *e* tantum desinere, Nebrissensis vero in *us*. Utut est, id constat, aliquando Latinos Atticorum more nominativis et vocativis eandem terminationem dedisse. Horat. 'Sed des veniam, bonus, oro,' pro, bone. Virg. 'Adsis lætitiæ, Bacchus, dator,' pro, Bacche. Quare Dee, pro, Deus, etiam ponetur, quod Græci, ὦ Θεὲ, dicant. Sic Tertull. lib. II. advers. Marcionem: 'Gratus esses, o Dee hæretice, si esses in dispositionem creatoris, quod marem et fœminam miscuit.'

Te moderante regor, te vitam principe duco,
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore, quicquid ago, veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia faciamque loquarque.
Confiteor: dimitte libens, et parce fatenti:
Omne malum merui; sed tu bonus arbiter, aufer,
Quod merui: meliora favens largire precanti:
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium, nervis, cute, sanguine, felle,
Ossibus exstructum, corrupta quod incola luxu
Heu nimium complexa fovet; cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata jacebit
Materies, oculisque suis mens nuda fruetur;
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum
Immitem, rabidum, vultuque, et voce minaci
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo, trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum damnosæ debita vitæ.
Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,

cujus tu auctor es: pallidus contremisco, quia tu es judex meus; sed quia, tu idem judex es, inducor in spem id omne, quod ago, inventurum veniam apud te; licet id, quod et ago et dico, non sit condonandum. Meritus sum, fateor, cunctas pœnas: facilis ignosce, et condona fatenti; sed tu, qui judex es optimus, tolle id quod meritus sum: et propitius concede aliquando meliorem conditionem meæ animæ roganti; cum ea deseruerit domicilium hujus corporis formatum e nervis, pelle, sanguine, felle, et ossibus: quod corpus, eheu, anima incola contaminata luxuriæ fovet nimis diligens; cum tempore mortis hi oculi claudentur, et extincta caro jacebit humi, anima vero soluta corpore aspiciet proprio visu. Oro ne ea respiciat unum ex numero dæmonum atrocem, sævum, ferocem, terribilem et aspectu et voce horrifica; qui, tanquam latro, me trahat in præceps, coinquinatum sordibus peccatorum: et me cadentem projiciat in antrum tenebrosum Inferorum, ubi exiget a me omnia debita vitæ criminosæ usque ad minimam partem. O Christe, sunt quamplurimæ



Weitz.—945 *condefleta* Weitz.

NOTÆ

951 *Ad usque Quadrantem minimum*] Matth. cap. v. 'Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.'

953 *Multa est habitatio*] Illud quoque sumitur ex cap. XIV. Joan. 'In domo Patris mei mansiones multæ sunt.'

Disparibus discreta locis. Non posco beata
In regione domum: sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum
Divitias petiere tuas: sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum.
At mihi Tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto: cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat:
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent; me pœna levis clementer adurat.


mansiones in regno tui patris, separatæ locis variis. Non peto habitare in regno cælesti. Illic versetur multitudo pia hominum, qui spernentes bona terrena, quæsiverunt tuas opes. Illic versentur virgines candidæ flore immortali, quæ coërcuerunt motus animi domiti. Sed mihi sufficit, modo nulla forma dæmonis inferni mihi sit obvia, neque flamma ignis rapacis conficiat meam animam mersam in fornacibus infernis. Sit ita, ut ignis luctuosus me coquat in loco cavernoso; siquidem maculæ susceptæ de corpore exigunt illud. Saltem ignis lentus emittat exhalationes mitiores, et ardor, vi deficiente, infringatur. Maxima lux, et coronæ cingentes capita exornent alios, sed pœna levis me vexet moderate.

NOTÆ

954 *Non posco beata In regione domum*] Adde: Statim ab obitu.

958 *Animum castrata recisum*] Alludit ad hæc verba Matth. cap. XIX. ‘Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.’ De Gehenna sup.

963 *Tristis me sorbeat ignis Averno*] Orat ut ne æterno igne crucietur, sed purgetur emendatorio. De Averno in Psych.



7

